Stengley

IHS

AZIONALE
8
7 — H
10
VITT. EMANUELE
ROMA

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

54
II
10

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

NOVA
S. SCRIPTVRAE
TINEA.

HOC EST,

IACOBVS REIHING

ARANEORVM PARENS,

DIVINI VERBI

POPVLATOR,

E SVIS LATEBRIS

EXCVSSVS

Coll: Rom: Soc: Iesu. B. S.

à

Catal: inscr:

GEORGIO STENGELIO
AVGVSTANO, SOCIETATIS IESV,
S. Theologiæ Doctore & Profeſſore
ordinario.

INGOLSTADII,
Formis GREGORII HÆNLINI.
CIↃ. IↃC. XXIV. +

Digitized by Google

Digitized by Google

IOANNI CHRI-STOPHORO
REVERENDISSIMO ANTISTITI, ILLVSTRISSIMO PRINCIPI, EPISCOPO EYSTETTENSI, INGOLSTADIENSIS ACADEMIAE CANCELLARIO PERPETVO,

Domino ſuo Clementiſsimo.

INTER maximas & ſingulares immortalis Dei laudes, *Reverendiss. & Illvstriss. Princeps*, etiam illa in diuinis litteris eximiè celebratur, quæ ei de omnipotentiâ ſuâ venit. *Timeat Dominum omnis terra*, inquit Regius Pſaltes, *ab eo autem commoueantur omnes inhabitantes orbē. Quoniā ipſe dixit, & facta ſunt: ipſe mandauit, & creata ſunt.* Quæ terra illum Dominū non timeat, qui fecit omnem terram? Quis terræ indigena, coram illo non contremiſcat & in faciem procidat, cuius *verbo cœli firmati ſunt*? Vetus & recepta eſt Patrum Pſal. 32. 8. Ibid. v. 6

ſententia, in vnica arca fabricanda centum à Noë conſumptos fuiſſe annos. Neq; verò in ea elaboranda ſolus Noë, aut quatuor homines operam ſuam impenderunt; ſed credibile eſt, vt D. Auguſtin: loquitur, *Noë fabros alios conduxiſſe, qui tamen mercede acceptâ, nihilq́ aliud curantes, ob eorum incredulitatem non intrârunt.* Sapientiſsimum Salomonem in templo exædificando ſeptem annos traxiſſe, hiſtoria Regum perdocet. Quanto arca maior terra? Quantò ſplendidius cœlum, quàm templum? Non centum, non ſeptem annis; in temporis momento, omnia quæcunq; hic mundus continet, Deus eſt architectatus. Quid multa? *ipſe dixit, & facta ſunt; ipſe mandauit, & creata ſunt.*

S. Aug queſt. 5. in Geneſ. & q. 230. rig lib. 4. contra Celſum. S. Greg. homil. 15. in Ezechiel. Rupert. lib. 4. in Geneſ. cap. 20. Plura S. Aug. lib. 15 de ciuit. cap. vlt. & lib. 12. contra Fauſt. c. 18. 3. Reg. 7. 39.

Neq; impotentior in mutandis naturis, quàm in dandis eſt. Vxor Lot in ictu oculi, dum reſpexit, ſtatua pro femina eſſe cœpit; penè antè ſale induta, quàm homine exuta. Virgam manu Moyſes proiecerat, colubrum terra excepit in ipſo caſu re-

Gen. 19. 26.

Exod. 4. 3.

pen-

pentè natum. Sed & mox iterum vix Moyſes colubrum attigerat, cùm ſenſit eum in virgam rediјſſe. Quem enim ſerpentem apprehendit, virgam ſuſtulit. Quàm breui tempore ſuperbus ille Nabuchodonoſor à dignitate regis ad vilitatem bouis deiectus eſt? Eadem hora in aula & ſilua; inter proceres & pecudes; ſplendidus & ſqualidus; diadematus & inſtar aquilæ capillatus inceſſit. Nempe *Daniel. 4. 29.*

> ----- *immenſa eſt, finemq́ potentia cœli*
> *Non habet, & quidquid ſuperi voluêre, peractum eſt.* *Ouid. lib. 8. Metam.*

Hanc diuinæ immenſæq́; potentiæ laudem, non minùs quàm ceteros titulos, Dei Simia Diabolus ſemper affectauit: cumq́; vires ei deeſſent, quibus paria faceret, ſaltem conatus non defuit, quo paria ſimularet. Expert⁹ hoc Radbodus Friſonum Rex, cui, ne ad Chriſtiana ſacra tranſiret, obiecta legato eius aureæ domûs, ſplendidiſſimiq́; palatiј ac throni imagine, perſuadere Alaſtor voluit etiam ſe eſſe cœlorum conditorem. *Iſai. 14. 14. Tertull. de Præſcript. cap. 40.* *Ionas apud Surium die 20. Martij. tom 2. & Baron. Anno Chriſti. 719.*

rem. Sed dicto citiùs totum maieſtatis illius mendacium euanuit, & in fumum, immò in lutum abiuit: neque enim fuerant *Pſal. 32. 6.* *cœli* illi *verbo Domini firmati.* Vt primùm quippe legati comes Diaconus dixit: *Si à DEO cunctipotente facta ſunt iſta, perpetuò maneant: ſi autem à diabolo, citò diſpareant. Et cùm vallaret ſe continuò ſanctæ crucis munimine, dux itineris, qui videbatur homo, euaneſcendo tranſiit in Diabolum, & domus verſa eſt in lutũ.* Expertus eſt idem quoq; Moyſes & Aaron, qui ſeu de virga anguem, ſeu de aqua ſanguinẽ produxiſſent; *vocauit Pharao ſapientes & maleficos: & fecerunt etiam* *Exod. 7. 11. & v. 22.* *ipſi per incantationes Ægyptiacas & arcana quædam ſimiliter*; non veros Dracones, quẽadmodũ Moyſes producendo, ſed vel clanculùm aliundè adducendo, virgis tantiſper è conſpectu ſurreptis, vel per præſtigias oculis illudendo. Siquidem vt Afri generis *Tertull. lib. de anima. Idem ſenſit Proſper 1. part de promiſſ. c. 35. Iuſtin. in* diſertiſſimus Tertullianus ait, *ſolent dæmones phantaſmata præſtare, & corpora fingere, quibus exteriores oculos circumueniunt: ſed*

Moy-

Moyſis veritas mendacium eorum deuorauit. *quæſt. orthodox. q. 26. & complures alij*
Deniq; quis neſcit, quot & quantæ à Poëtis metamorphoſes enumerentur? Scilicet antiqui ſerpentis calliditas tot ſomnia excogitauit, vt vel in fabulis haberet, quod ei hiſtoriæ negauerunt.

Porrò cùm multa alia præclara potentiæ ſuæ argumenta nobis patefecerit Deus, illud quoq; ſæpiùs exhibuit, vt hæreticos per *araneos*; & per *telas araneorum*, technas hæreticorum ſignificaret. Æquè enim virulenti hæretici, atq; *aranei*: æquè fragiles hæreticorum technæ, atq; *araneorum telæ:* & quemadmodum non aliunde filum aſſumit *araneus*, ſed ex ſuo ventre ſtamina deducit, *laqueosq́* in *retis* ſpeciem contextos diffundit, quibus non niſi imbecilles muſcas, & animalia aut cæca, aut obtusè videntia capit; ita hæreticus ſpreta Eccleſiæ, Traditionum, Sanctorumq́; Patrum auctoritate, ex proprij ingenij temeritate, quidquid ſibi videtur, id ſcripturam dicere affirmat. Hinc prodigij olim loco fuit,

quod

Digitized by Google

quod in ſexta Synodo Oecumenica Conſtantinopoli habita contigiſſe Paulus Diaconus alijq́; Scriptores memorant. Nam cùm ab vniuerſo Concilio anathema in Monothelitas quoſdam conclamaretur, & Primipilo eorum Macario Antiocheno, qui vitam antè, quàm contumaciam finire conſtituerat, Pallium aliaq́; Patriarchalia inſignia cum ignominia & dedecore detraherentur, diuinitus euênit, vt eodem planè temporis momento quàm plurimæ & fœdum in modum nigrãtes *aranearum telæ*, in luce atque in oculis totius populi, immò in medium quoque illius præcipitatæ, nouo oſtenti genere ſignificarent, damnatæ hæreſeos ſordes, vtiq; *improbam texturam*, pariter eſſe præcipitatas. Igitur vel telæ illæ reglutinato ſubtemine de angulis ſuis exeuntes cadentesq́; indicio fuerunt, hæreticorum ſeu *Laqueos*, ſeu *Retia*, cauſſa cecidiſſe.

Paul. Diacon. lib. 6. c. 4. de geſtis Longobard. & ex eo Tilmannus Bredenbach. Collat. ſacrar. lib. 7. cap. 23. eandemq́; rē ex Anaſtaſio narrat Card. Cæſar. Baron. Anno Chriſti 681.

Plura de *Araneorum* ominibus exempla alij recēſent. Quare ſicut Theodoretus contex-

textam ab Aduerſarijs ſuis accuſationem *araneæ telam* eſſe oſtendit; ita non ſolùm D. Hieronymus hæreticos *araneas* meritò appellauit, ſed etiam Ioannes Dauid noſtræ Societatis ſcriptor integro libro, quem *hæreticum Araneum* inſcripſit, hæretici, *araneique* ſimilitudinem exactè declarauit. Ex quo & ego in ſecunda Reuocatione hæreticum atque *araneum* inter ſe ſe comparaui. Nec ſine cauſsâ id feci. Nam *Araneam* vocaui Apoſtatam, qui voluntarijs ſuis erroribus meruit, vt à Deo permitteretur in *Araneã* degenerare. Sicut enim virga è manu Moyſis proiecta ſtatim in ſerpentem eſt commutata; ſic Apoſtata diuinę manûs ſuſtẽtatione indignus, quàm primùm à Deo eſt in terram abiectus, illico & ipſe in venenatum animal eſt conuerſus. *Homo cùm in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt iumentis* beſtijſque *inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis:* Ambulauit enim, *ſicut* teſte Paulo, *& Gentes ambulant in vanitate ſensûs ſui, tenebris obſcuratum habentes intellectum,*

Theodor. lib. 6. de Prouid.

Reuocat. ſecund. cap. 2.

Pſal. 48. 13.

Epheſ. 4. 17.

 alie-

Digitized by Google

alienati à vitâ Dei, per ignorantiam, quæ eſt in illis, propter cæcitatem cordis ipſorum, qui deſperãtes ſemetipſos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis, &c. Itaque ex homine *Araneus* factus eſt; *in vanitate ſensûs ſui,* tanquam in aëre quodam & ventis pendens; deorſumque terris & prædis inhians, tanquam *alienatus à vita Dei*; intra ipſa retia habitans, vt alios capiat, *propter cæcitatem cordis ipſorum*; Si enim oculos in mente haberent, ne tendere quidem illis retia conaretur. Iam apud tam tales in *araneam* mutatus, dum aliud nihil poteſt, *araneam* agit; hoc eſt, venenum, & inſidias facit.

Quid incipiat hîc ſimia Dei diabolus? factũ viderat ex Apoſtatâ verum *araneum,* placuit illi, ſi veros facere non poſſet, ſaltem fictos *araneos* per Apoſtatam ſuum producere. Quo pacto etiam in fabulis furibunda Minerua, cùm ab Arachne operis ſubtilitate victa eſſet, fingitur eam in *araneam* tranſmutauiſſe. Ad eundem modum Apo- *Ouid. lib. 6. Metam.*

ſtata

ſtata (craſſa vtiq; & pinguis Minerua) cum ſe proſtratum videret, finxit Felicem, Forerum, & Stengelium in *Araneos* eſſe deformatos. Scilicet vt diabolus Dei æmulatione perſtringitur; ita & mancipia diaboli eos æmulantur, qui Deum imitantur. Vnde & Iacobus ſe multùm poſſe arbitrabatur, ſi idem quod D. Hieronymus, quod Ioan. Dauid, quod ego potui, poſſe videretur. In compendio dicam. Nullum libri ſui titulum habuiſſet, niſi à nobis eum furatus eſſet.

Itaque triennium iam ferè ijt, cùm Iacobus Reihing veriſſimum *araneum* imitatus, *Laqueis* iam antè implicitus, atque intra *Retia* conſtitutus, inſidiari, & alios quoque in idem perditionis linum pellicere occepit; ne leuiùs periret, ſi ſine aliorum nocumento periret. Neque ſatis habuit, virilem Religionis togam exuiſſe, vt muliebrem quæreret; ſed etiam cum Antiocheni illius pertinaciâ, auſus eſt in has verborum inſanias erumpere: *Sic dicam: ſic canam.* *Iac. Reih. in Laq. Pontif. pag. 2.*

nam: ſic ſcribam, dum lingua, dum manus vitâ hac motuq́ fruentur.

Siue igitur eo tunc furore efferbuit, vt verba calenti animo conſentirent; ſiue, quod magis ſuſpicari procliue eſt, cogitationi ſuæ vim intulit, ſermonemq́; ad aures & ſportulas propitiandas accommodauit, in neutro veniam meruit. Tam enim veritatem violat, qui aduerſus eam mentitur, quàm qui aduerſus eam inſanit. Quãobrem duplici illum reſponſione quatiendum cenſui. Primâ *Laqueos* illi ſuos in collum reieci: quod & alij duo è Societate Theologi mecum fecerunt. Alterâ, proprijs *Retibus* miſerum Piſcatorem irretitum oſtendi, atq; ex prædone prædam feci. Conclamatum eſt vtrinq́; illicò, & haud obſcuris ambarum partium ſuffragijs damnatus eſt Apoſtata. Multi Lutheranorum indignatione moti dixerunt, Silentium ſe illius pluris facturos fuiſſe, quàm declamationes tam luteas, & obuia de fæce hauſtas. Multi Catholicorum etiam gratias Iacobo pro

ſcri-

Digitized by Google

ſcribendi labore agendas iudicârunt; nam cùm ab illo magni oraculorum theſauri expectarentur, quiſquilijs ſuis inopiam prodidit Aduerſariorum.

Pannoſa ſuperbia, hoc vnum tibi deerat, vt etiam ab auctore tuo damnareris. Quod ſanè factum eſt abundè, quando *Araneorum operæ* illi exciderunt. Labor & liber prorſus inutilis, nec iam caſſæ tantùm nuci, ſed leuiſſimæ etiam *aranearum telæ* perſimilis: non tam effectu, quàm affectu noxius, ſoloque ferè titulo minax. Nam in aditu præfigit toxicum, in receſſu contra ſpem lectoris, recondit pharmacum, virulentus pariter & ſalutaris. Tam futilia enim affert iſte Prædicanticus tiro, tam ex impetu paſſim loquitur, tamq; apertè falſitatis patrocinium ſuſcipit, vt nemo non animaduertere poſſit, verba eum dare, non reſponſa; & vel fortiùs ſcribere illũ non voluiſſe, vt ſi ad noſtras partes poſtliminiò rediret, retractandi labor minor eſſet: vel cõtra manifeſtæ veritatis ſolem audaciùs calamum

ſtringere non potuiſſe, meridiana claritate fatuam lucem nimium quantum obtundente. Qua in re infantulo par fuit in nutricem ſuam incitato, quam non tam percutit, quàm plaudit tenera iraſcentium manuum imbecillitas. Hæc ergo & plura talia, cùm ex *Araneorum operis* vndequaq; eluceſcant, quid aliud egit miſellus deſertor, quā vt cauſsam ſuam iam antè afflictam magis deſtrueret, perſpicueq́ue demonſtraret, tela ſua & *telas araneorum* parem vim habuiſſe?

Ex quibus apparet prouidentiſſimum illud Numen, ſicut quondam atris *araneaꝛum telis* deiectis, indicauit ſe Macarij, Stephani aliorumq́; hæreſin vehementer deteſtari, ita & nunc viliſsimis iſtis *Araneorum operis* in conſpectum publicum datis, Iacobum eiuſq́ue doctrinam voluiſſe maximè contemtam reddere. Et meritò habet Iacobus auſpicium, quod metuat. Nî enim ſe correxerit, quando extremâ tandem Iudicij ſeueriſſimi actione terribilis illa damnationis ſententia in eum feretur, etiam hæ

ni-

nigerrimæ, quas ſibi texuit, *araneorum opera* in eum decident, non exiguam illi ad æterna ſupplicia partem additura.

Sed nihil hæc moratur Apoſtata. Id quod ſe videt eſſe factum, alios nominat. Vnde ſicut *Lutheranos laqueos*, & *Lutherana retia* antehac *Pontificios laqueos*, & *Pontificia retia* vocauit, vertigine præpoſtera circumactus, ita nunc *telas*, quas ipſe texuit, itidem alijs tranſcribere voluit, ne depoſuiſſe vertiginem videretur. Sed bono iuſtoq; errore accidit, vt inſcriptionis notam, quam figere alijs deſtinârat, libro ſuo inureret, iuxta illud. *Gladius eorum intret in corda ipſorũ:* Pſal. 36. 16. nihil enim poteſt videri vel tam ab *Araneis* profectum, vel tam *Araneis* dignum, quàm illud muſcis, mæandris, ambagibus, vento, inanitate tam plenum prægnanſque volumen.

De S. Felice Nolano Presbytero refertur, eum cùm Eccleſiæ hoſtes, quos impietatis arguerat, facto impetu irruentes fugeret, in anguſto duorum parietum interuallo ſeſe oc-

In Breuiar. Roma. 14. Ianu. Vide Baroniũ Martyrolog. Rom. qui de hoc plura & plures citat. 14. Ian.

occultauiſſe. *Qui aditus cùm repentè aranearum telis prætextus viſus eſſet, nemini recentis latebræ ſuſpicionem reliquit*. Arguit impietatis & Iacobum Reihing Eccleſiæ hoſtem aliquis Felix, & ſocij Felicis. Fecit in eos impetum Apoſtata, ſed non ſine interuentu *telæ aranearum*. Hæc *tela* igitur vel ab ipſo Aduerſario nobis oppanſa, nos defendit. Quantò enim tela hæc eſt infirmior, tantò minus ſuſpicionis & metûs eſt, ne ab illo deprehendamur.

Atque hæ ſolæ cauſæ ſuffeciſſent, vt ob eas dubitare potuiſſem, an non ſolùm pugnâ non neceſſariâ tempus vellem contere-re; ſed etiam, an præſtaret, ſi otio vel maximè abundâſſem, ad Plautini illius ſeruuli vilitatem ſeſe demittentem *Araneoperdam* ſilentio aſpernari? Quid enim? Non opus eſt, vt quis refutet, quod ſeipſum refutat. Conſtatq; haud ignobiles aut indoctos Lutheranos, inſpectis Auguſtæ *Araneorum operis*, ingenuâ libertate dixiſſe, *Iacobi Reihingi librum eſſe magnam crumenam, ſine magna pecunia*.

Plaut. Aſinar. Act. 2. Vbi Leonida Libano id negotij dedit, vt deijceret operas aranearum, & aliud faceret, quod ibidem præcedit. Patricia hæc vox eſt, & à Patriciis excepta.

Quia tamen *ille eſt maior & tetrior inſipientium morbus animorum*, teſte D. Auguſtino, *quo irrationabiles motus ſuos etiam poſt rationem plenè redditam, quanta homini ab homine debetur, ſiue nimiâ cæcitate, qua nec aperta cernuntur; ſiue obſtinatiſsima peruicacia, qua & ea quæ cernuntur, non feruntur, tanquam ipſam rationem veritatemq́; defendunt, fit neceſsitas copioſiùs dicendi plerunque res claras, velut eas non ſpectantibus intuendas, ſed quodammodo tangendas palpantibus, & conniuẽtibus offeramus.* Tametſi enim pſpicacioribus nihil officiunt eiuſcemodi ipſa ſua craſſitudine palpabiles tenebræ, imitandus eſt tamen ille, qui, vt Venerabilis Beda narrat, *Didicerat tentatis multifarias antiqui hoſtis pandere verſutias, quibus facilè caperetur animus, qui vel fraterno, vel diuino amore nudatus exiſteret: at qui integra fide roboratus incederet, inſidias Aduerſarij, Domino auxiliãte, quaſi caſſes tranſiret* ARANEAE. Eſto ergo nullum Aquilis immineat periculum à *caſsibus Araneorum Reihinganorum;*

D. Auguſtinus lib. 2. de ciuit. Dei c. 2.

V. Beda in Vita S. Cuthberti Epiſc. c. 12.

Tertullian. lib. de præſcript. aduerſ. hæreticos c. 2. rum; quia tamen, vt ex Tertullliano notum eſt, *hæreſes apud eos multùm valent, qui in fide non valent*, facilè poteſt contingere, vt eiuſcemodi vel nullius, vel non admodum roboratæ fidei homines, tanquam infirmiora quædam & minutiora volatica, retibus etiam non firmis capiantur atq; implicentur. Quocirca & Sixtum ſuum D. *S. Auguſt. epiſt. 104.* Auguſtinus *propter infirmiores & ſimpliciores Dominicas oues* aduerſum hęreticos tanto impenſiùs iubet & vigilando ſcribere, & *Vide Adamũ Kontzen lib. 9. Polit. c. 34.* ſcribendo vigilare. Vnde & imbecillioribus Catholicis vtile fuerit, Lutherani veneni dolos *araneoſq;* patefacere, ne patiamur licentiam mentiendi, quaſi rabiem ad integros contactu procedere: & Lutheranis ipſis proderit ad ſanitatem, ſuorum vlcera detecta cõſpicere ſeductorum. Quid ſi & ipſi Apoſtatæ quamuis inuito beneficium ſim facturus? Abſterrebitur fortaſsè à peccando oratione mea contuſus, qui ſilentio animari poſſet, & ſibi de victoria blandiri. Certè medicos imitari volo, qui in

gra-

Digitized by Google

grauiſſimis morbis robuſta medicina ægros aut ſanare ſolent, aut ſepelire.

Quoniam autem doctum arbitror eſſe neminem, qui *Araneos* iſtius legerit, quin fraudes quoq; iniquas, & imitationem priuam commemorare poſsit; magis mihi timedum eſt, ne multa prætermittere, quàm ne qua in iſtum fingere exiſtimer; quæ eum verè *Araneam* ex homine, atq; rurſus *tineã* ex *aranea* factum demonſtrent; nos autem non ſolùm à nomine atq; titulo *Aranearũ*, ſed etiam ab ipſa ſimilitudine abſoluant; quos Apoſtata, tanquam illi olim, Moyſis æmuli, Pharaonis magi, nõ niſi per mendacium, ſcilicet itidem à mendaci illo Numinis imitatore edoctus *Araneos* vocitauit. Quæ non videntur mihi eruditi, qui vt tandem ſcriberem inſtiterunt, cognoſcere ex me voluiſſe; ſed ea, quæ ſciunt, mecum recognoſcere.

Hanc ergo cognitionem, ſeu recognitionem tibi, Reu.^me & Illuſt.^me Princeps, dedico. Siue enim *araneus* ſum, bono me felici-

Vide Nicolai Gerbelij fabulam apud Ioachim. Camerarium in Narrationibus fabuloſis.

que omine, vt *aranei* vulgò ſolent, redeunti tibi è thermis, & aquis acidulis occurrētem aſpicies; & vt in fabulis eſt, illum alterū *Aranei* comitē ingratū vtiq; Celſ.[ni] Ve.[ræ] hoſpitē, morbum, hoc ipſo, quia commune cū *Aranea* hoſpitiū non patitur, ad te arbitraberis non diuerſurū; ſiue *Araneam, Tineamq́;* excutio & macto, rectè ad Ve.[ram] Celſ.[nem] venio, ſolent & Poëtæ librorū peſtes *Tineas Araneasq́;* mactatas Apollini ſuo conſecrare: & *quoties*, inquit Quintilianus, *noxios crucifigimus, celeberrimæ eliguntur viæ: vbi plurimi intueri, plurimi commoueri hoc mētu poſſint. omnis enim pœna, non tam ad delictum pertinet, quàm ad exemplum.* Celeberrimus igitur & mihi PRINCEPS eligendus fuit, coram quo reum iſtum crucifigerem. Et vtiq; celeberrimum inueni. Nam tu ille es, cuius inquieto hoc ſeculo opem Catholici, opes hæretici quàm maximè ſentiunt. Tu ille *pater pauperum*, auxiliator diuitum, cōſeruator fœderum, perſecutor hoſtium, extirpatorque reorum; quem omnes boni amant,

Quintilian. Declamat. 274.

Iob. 29. 16.

mant, omnes mali metuunt, omnes veritatis amici laudibus venerantur. Quanta illa & vulgi & maximatum ſimul vox eſt! *Quoſdam Principes, quoſdam Epiſcopos eſſe, te pariter & Principis & Epiſcopi perſonam veriſſimè ſuſtinere.* Nempe quia auctoritate es *PRINCEPS*, pietate *EPISCOPVS*, firmitate Columna Eccleſiæ, denique viuum exemplar omnium probatorum *PRINCIPVM* & *EPISCOPORVM.*

Sed & aliæ cauſæ me cum aliquo qualicunq; munuſculo ad Celſ.nem Ve.ram mittũt. Præterquam enim, quòd mos ſit, vt è thermis reduci munere aliquo gratulemur, etiam ipſe Apoſtata (quem itidem aquis acidulis, ſed à me propinatis lautum offero) me commouit, vt huic nomini librũ hunc dedicarem. Faciendum enim eſt, quod illi gratum non eſt. Quantum autem illi diſpliceat, ſi Celſ.ni Ve.ræ libros dedicem, vel inde liquet, quòd ad *Heliconem Chriſtianum*, itemq; ad *Templum Honoris* alludens ita me compellet; *Aliquoties nullo, aut a-* *Apoſtata in Aran. c. 2. pag. 25.*

 lieno

lieno nomine, fabulis & hiſtoriolis ad adulationem comptos libellos, qualis iſte (De Laqueis nomine Pontificijs, re Lutheranis) *ad reprehenſionem eſt, edidiſti.* Nimirum ſi ego PRINCIPIBVS libros vel ſcribo, vel inſcribo, iudicio iſtius Apoſtatæ, *ad adulationem compti* ſunt, quaſi illi adulatoribus delectẽtur. Egregium Apoſtatæ iudicium. Sed Apoſtatæ, hoc eſt, *viri inutilis, qui graditur ore peruerſo*, ac proinde quos vituperat, laudat; immò ſi laudaret, *ore peruerſo* fœdaret & vituperaret. Itaq; vituperatio illi⁹ pro ſtimulo mihi eſt virtutis. Id enim, quod *adulationem* vocat, vera ac debita eſt gratitudo.

Prou. 6.12.

Et ſi hîc numerum inire liceat, quot & quanta beneficia recenſere poſſem, quibus me, quibus meos, quibus ſibi CELSITVDO VESTRA totam obſtrinxit Societatem noſtram? ſi taceant libri, ſatis loquentur muri; ſi ſileant volumina, clamabunt Templa & Collegia. Pro his grati non ſimus? vel ſi gratos nos oſtendere conemur, adulatores audiamus? Immò audiamus, ſed ab ingra-

tis,

Digitized by Google

tis, ſed à paraſitis, ſed à veris adulatoribus. Ita enim mos eſt, vt boni apud malos malè audiant.

Ego ſi alium titulum libri mei dedicandi non haberem, ille vnicus ſufficeret, quòd Ingolſtadienſis Profeſſor Ingolſtadienſis Academiæ *CANCELLARIO* eum dedicem. Illius vnius me piget, quòd paucarum hebdomadarum librum illi conſecrem, qui multorum annorum laborem iure meruiſſet. Valeat *VESTRA CELSITVDO* diu Academiæ, Societati, Germaniæ, Eccleſiæ, Deo. Ingolſtadij Anno Chriſti 1624. 14. Cal. Auguſt.

REVERENDISS. ET ILLVSTRISS.
CELSITVDINIS VESTRAE

Humillimus Seruus

Georgius Stengelius.

Digitized by Google

Digitized by Google

AEQVO LECTORI SALVTEM, INIQVO APOSTATÆ SANITATEM.

NVLLVS vnquam pictor belliorem vanitatis imaginem dedit, quàm Heliogabalus. Hunc aliquando ita cum ſeruis ſuis iocatum tradit Ælius Lamprid. in Heliogab. *Lampridius, vt propoſito etiam præmio eos iuberet millena ſibi pondo* araneatum *deferre. Digreßi illicò ſtrenui venatores, hi ſcopis, illi vaſis inſtructi, per omnes domos & angulos, per omnia tecta & atria anxiè diſcurrerunt; cúmque inanißimo labore decem millia pondo* aranearum, *præclaram vtiq; & dignam Heliogabalo prædam, vnde vnde collegiſſent, atq; ad Imperatorem ſuum attuliſſent, caſſæ fatiga-*

tionis ludibrium egregio epiphonemate hone-ſtauit. Dixit enim, vel hinc intelligendum, quàm magna eſſet vrbs, in quâ tantum ara-nearum repertum fuiſset.

Vanitatis imago Heliogabalus, Helioga-bali Hæreticus, & præcipuè Iacobus; qui ma-gnam libri ſui inanitatem nullâ re clariùs de-monſtrare potuit, quàm quòd eum Araneo-rum operas *inſcripſit. Nihil* Araneorum o-peris *vnquam tam ſimile aut plenum in mor-*
Pſal. 38. 12. *talium oculos prodijt. Nempe tu Deus* pro-pter iniquitatem corripuiſti hominem, & tabeſcere feciſti ſicut Araneam animam e-
Iob. 8. 14. ius. Non ei placebit vecordia ſua, & ſicut te-la Aranearum fiducia eius; *illiúſque, qui ahe-neo circumcinctus muro videbatur, vt D. Paulinus loquitur*, murus Aranea fiet. *Ac vniuerſim rectè Iſaias hæreticos hæreticorúm-*
Iſai. 59. 4. *que libros & dolos illis verbis depinxit*: Con-fidunt in nihilo, & loquuntur vanitates: conceperunt laborem, & pepererunt ini-quitatem. Oua aſpidum ruperunt, *viru-lento nimirum halitu rumpentes necantia*, &

telas

telas Araneæ texuerunt: qui comederit de ouis eorum, morietur: & quod confotum eſt, erumpet in regulum. Telæ eorum non erunt in veſtimentum, neque operientur operibus ſuis: opera eorum opera inutilia, & opus iniquitatis in manibus eorum.

Iſtud ego, Beneuole Lector, præſenti libro perſpicuè oſtendam. Unde cognoſces Apoſtatam, qui nomen Aranei *immeritò aliis tranſmiſit, id ipſum nomen ſibiipſi meritò imponere debuiſſe. Ambages, inquam, fragilitatem, ventum textilem, & de latebris inſidians venenum doctioribus per ſe apertum, etiam ſimplicioribus detegam, vt ſecunda exiſtimatio tot lenociniis collecta loco quo digna eſt habeatur. Nihil tam diſcingit dolos, quàm quod eos patefacit. Quàm diu operiuntur, nocere poſſunt; ceſſat periculum, vbi aperiuntur. Et neq; ipſæ muſcæ in caſſes Aranearum inciderent, ſi eorum indicem prauium haberent. Monſtrabo igitur hominis dolos, vt doli eſſe deſinant.*

Quod quidem, niſi bonis meliora obſtarent, feciſſem ſanè dudum. Et mirati ſunt non pauci,

me, à certâ manifeſtáque victoria tam diu calamum poſſe abſtinere. Sed facile eſt homines ea admirari, quorum cauſſas ignorant. Variis boniſque conſiliis iſta procraſtinatio accidit. Nempe hoc pacto & iuſtæ apud Catholicos fiduciæ ſubſcribebatur; & profuturæ apud Lutheranos ſimplicitati ſeruiebatur. Catholici enim quidam cenſuerant, tam nihili ſtructuram & ſuâmet imbecillitate procidentem, & ab ipſis doctioribus Lutheranis contemptam, nec à nobis feſtinato aliquo incurſu quatiendam: ne magni facere videremur, ſi iudicaremus properandum in occurrendo. Ut enim ipſa feſtinatio plerumque periculi eſt indicium, ſic quod parùm curatur, parùm properatur.

Idoneum erat hoc conſilium, me tamen ſolùm non mouiſſet, cùm ſciam hæreticos plerumque in reſponſionibus dandis tardos, in exigendis impatientes eſſe. Itaque ad hanc illa altera longè potior cauſſa, etiam auctoritate armata, acceſſit. Nam vt ſincerè fatear, Apoſtatæ contra mea ſcripta maximè quiritanti, nec quidquam aliud tam iniquo animo ferenti, parcere

volui,

volui, neque eum nouâ refutatione vulnerare, quem ad ſanitatem rediturum ſperabam. Vt cum aliis ſperarem, & vt adhuc ſperem, nec paucas nec paruas cauſſas habeo. Omnes hîc referre non expedit; vnam exprimo. Eſt ea ipſe illius ſcribendi modus, quo quaſi per epiſtolam clariſſimè nobis ſignificauit, ſe re ipsâ atque in animo Lutheranum non eſſe, ſed Lutheranos ludere, & cum Pſittaco Piciſque aduerſariorum verba conari tam diu, quàm diu eum ita docet

Magiſter artis ingenîque largitor
Venter, negatas artifex ſequi voces. A. Pers. in Prologo.

Perlege, obſecro, vel hanc ſolam Tineam, *Lector, & perſpicuè videbis Iacobum Lutheranis oculos velare, ne videãt ſcopulos ad quos alliduntur. Immò videbis eum ipſum Lutheranos ad nouos ſcopulos impellere; & in eo maximè confidere, quòd iſti ſe duci ſinant. Quanto enim & quot vlnarum naſo quaſi rhinocerotes, eos ducit, dum ait,* me nullis argumentis *vti, cùm lectoribus perſuaſum cupio illum* fictum Lutheranum eſſe? *Adeat obſecro,* Aran. cap. 30. pag. 332.

Digitized by Google

Lector diſſertationis meæ cap. 17. & videat non ſolùm argumenta illius expungi, ſed etiam, appoſito, numero decem ordine recenſeri, quæ perſuadeant illum intellectu non eſſe Lutheranum. Ad quæ omnia mauult Apoſtata mutus eſſe quàm mutire: immo mauult mendax eſſe, ait enim me nullis argumentis vti. *Nempe decem illi argumenta nulla ſunt: dum enim Germanicum numerũ oculo volante aſpexit, figuram duntaxat poſteriorẽ obſeruauit, quæ nullum ſignificat. At quid ille decem mea argumenta curet, qui neque decem Dei præcepta curat? Compendium eſt ſcribendi: ſi decem pro nullo habeas, citò reſpondiſti. Sed & incredibilis illius confidentia hoc libro meo pateſiet; qui*
Ibid. *auſus eſt de ſuo libro ſcribere:* Nemo, qui bono animo legerit, dubitabit, me ſincerè, verè, liberéque veritatem Euangelicam tueri & Pontificios errores refellere. Niſi hic liber argumentum meæ ſinceritatis ſit: nullis ſanè verbis malignè ſuſpicacem animum flectam. *Atqui mi Iacobe, hic liber argumentum tuæ ſinceritatis non erit, ſed argumentum*

mani-

Digitized by Google

manifeſtiſsimum erit tuæ impoſturæ. Ergo actum eſt de te, fruſtra laterem lauabis, neque bono animo legenti librum tuum vnquam perſuadebis te verè eſſe Lutheranum. Quid ſub Araneis lateat, tinea dicet.

Quæ omnia video me ſanè & ſine magno ipſius Apoſtatæ rubore, & ſine nouo quodam vulnere, non poſſe demonſtrare. Quamobrem etiamnum ægrè, & contrariâ auctoritate in contrarium motus, ſepoſitis aliis negotiis, ad hoc ſcribendi genus accedo. Maluiſſem ipſi ad Eccleſiam reuerſo, hunc retractandi ſui laborem relinquere. Quia tamen publica priuatis ſunt anteponenda, iamque ipſâ reſpondendi morâ magnam apud nonnullos Lutheranos legendæ reſponſionis ſitim excitatam audio, malo vnum vulnerare, vt multi ſanentur, quàm vni parcere, vt multi vulnerentur. Habeant igitur, quod optauerunt aduerſarij, & intelligant ſe non ſine ſuo emolumento reſponſi mei ſitibundos eſſe factos.

Quoniam autem non ſolùm Apoſtata clamat, nos confundere diſtinguenda, *ſed ipſe* Aran. cap. 8. pag. 66.

inſi-

Gen. 11. 2. & 9. *inſignis ſcilicet* de terrâ Sennaar & Babel *ædificator maternæ & linguæ & veritatis oblitus omnia confundit, oſtendam quoq; , nos non ſolùm non* confundere diſtinguenda, *ſed etiã diſtinguere, quæ ille callido aſtu confudit. Nam ne ad ſingula reſpondere cogeretur, compendio pigritiæ ſubuênit. Itaque ea quæ non ſolùm ego diuerſis libris contra eum ſcripſi, ſed & quæ diuerſi quoque auctores contra illum ediderunt, quaſi in vnum faſcẽ, immò ſiluam, immò chaos collegit; vt imprudentibus fucum faceret, quaſi ad omnia reſpondiſſet.*

Conſtitui igitur perſpicuitatis & breuitatis cauſâ Araneos *illius deartuare, atque ex ipſis telis circuliſq; ſuis diſtinguere; & hoc quidem opere* omnium Controuerſiarum initium & fundamentum, *vt ille vocat, expedire. Quod omninò ita facere neceſſe. Tot enim ille errores texuit, tot paſsim venena ſpargere molitus eſt, vt nimis magnus foret liber, qui omnia vellet caſtigare. Itaque* per *tam* varias *illius* artes

Iacob. Reih. in Laqu. Pontific. pag. 8.

Ludere cum liceat, currere pigritia eſt.

Martial lib. 7. epigr. 31.

Et

Digitized by Google

Et verò ſi ille mihi prolixiora promittit , & moram aliquam intereà ne impatienter feram, aut rogat , aut iubet ; cur mihi non itidem repromittere, rogare , aut iubere fas ſit ? præſertim cùm non ſolùm ipſe alibi ſcribat , diuidendam ſibi operam fuiſſe, ne & maiori morâ tardior, & nimiâ prolixitate moleſtior tota defenſio prodiret ; *ſed etiam vel ex hoc ſolo libro & argumento totum Apoſtatæ ſtilum, tanquam ex vngue leonem liceat æſtimare ? Sicut ex vno pomo de plenâ arbore , atque ex vno plerumque poculo , de totius dolij vino iudicatur. Terni iuuenes Albani ceciderunt, & totus Romanus exercitus pro victore habebatur. In vno Turno omnes Latini, immò in vno Goliath omnes Philiſthæi ſuperati fuerunt. Sic & tu Lector* crimine ab vno *Apoſtatæ , vel potiùs à multiplici* diſce omnes *reliquas eius controuerſias. Qui noctem & Æthiopem in vultu gerit , pedibus quoque & in caterâ cute non ſolet eſſe candidus.*

Aran. pag. 54. cap. 8.

Iac. Reih. in Epiſt. Dedicat. Excub.

T. Liu. lib. 1.

Virgil. 12. Æneid.

1. Reg. 17. 15.

Duas itaque liber illius vniuerſim partes continet. Prima vſque ad paginam quartam

Digitized by Google

& quinquageſimam cum epiſtola Dedicatoria & Præfatione ferè tota contra me eſt, agitque de cauſis ſcribendi; De titulis librorum ex vtrâque parte editorum; De Dedicatoriâ prima Apoſtatæ epiſtolâ: De loco quodam S. Auguſtini: De Exordio, de Narratione, déque Confirmatione Laqueorum Pontificiorum: quæ omnia quanquam velut parerga duntaxat ſunt quædam, tamen à me non diſsimulabuntur. Quia verò cauſa fidei & Eccleſiæ grauior eſt, quàm mea, & fidei Religioniſque controuerſias exiſtimo minorum gentium litibus anteponendas; ſtatim aggreſſus ſum illam controuerſiam, quæ eſt de ſacrâ ſcripturâ, quamq́ & Apoſtata primo loco poſuit, atque primam litem, & omnium litium inter Pontificios & Euangelicos ianuam *appellauit.*

Iac. Reih. in Laqu. Pontif. pag. 8.

Etenim altera Araneorum pars his diſputationibus conſtat: De Scripturâ: de Iuſtificatione: de Confeſſione auriculari, & certitudine ſalutis: De ijs quæ circa Tranſubſtantiationem, Vtramque ſpeciem & Miſſam in controuerſiam ducuntur. Has materias omnes A-

poſta-

Digitized by Google

poſtata Araneis *ſuis contemerare aggreſſus eſt. Vt ergo ordine progrederemur, à primâ incipiendum fuit; vt res in immenſum non iret, & velut in ſilueſcentem quandam confuſionem excreſceret, noluimus* cōfundere diſtinguenda. *Hanc primam illius* ianuam *ſi occupâro, tota domus reliqua mea erit. Hoc fundamentum ſi euertero, quidquid eſt ſuperſtructum ſponte prolabetur. Denique hoc capite amiſſo, truncus liber nihil amplius eualebit. Satis enim hoſtem mactat, qui truncat.*

Tu porrò, Lector, ne mirare, ſi iam Araneam, *iam* Tineam, *iam aliud ex Apoſtata monſtrum factum intelliges. Poſtquam ſemel metamorphoſes pati cœpit, pro conſtantia ſua ipſo Proteo Ægyptiorum Sophiſta mutabilior euaſit. Et nos id agimus, vt poſt tot mutationes (quod vel Lutherani præcipui illius iam dudùm obſaturati inter ſe muſſant) tandem ad ſe redeat, atque in priſtinum etiam Iacobum, virumq; Catholicum remutetur.*

Interim autem & tu, Iacobe, victima eſto Veritatis; nec te mactari impatienter feras.

Digitized by Google

Virg. 12. Æneid.

Verte omnes te te in facies, & contrahe quidquid (pennis
Siue animis, ſiue arte vales, Opta ardua
Aſtra ſequi, clauſumq́; cauâ te cõdere terrâ.

nihilominus mactaberis. Meruiſti. Non effugies. Vel tui te ad aram adducunt. Quando igitur ſemel cadẽdum eſt, præſtat Cœlo velle immolari, quàm Orco. Miſer qui perit, vt pereat. Felix qui vapulat ad ſalutem. Vtere itaque & tu plagis, quas inuita nonnullorum ſimplicitas tibi impetrauit. Tantò maiores reuertendi cauſſas es habiturus, quantò apertiores. Quod tu ipſe ad reditum tuum defendendum ſcripturus eſſes, cogita nunc à me ſcribi. Sic te macto, vt minus nouum aut mirum futurum ſit, ſi veritati te reſtituas, quam animo ſemper agnouiſti, etſi verbis negâris. Quare hic ipſe liber, qui errantem accuſat & caſtigat, reſipiſcentem excuſaturus eſt, & propugnaturus. Oſtẽdet enim te tantam latrantis conſcientiæ vim diutiùs ſuſtinere non potuiſſe. Atque vt repetitis ictibus vel ſaxeam voluntatem frangam, etiam plures, ſi ita vis, paulo poſt libros ſubmittam,

qui-

quibus animum tuum ad mox ſequentis Iubilæi annum præparabo. Quod ſi acerbum eſt in mendacijs, in impudentiâ, in ſcelere deprehendi, præſtigiáſque & fucos atque vlcera tua denudari; hoc ipſum tibi ad virtutem ſtimulum eſſe ſine. *Multi* nomen Domini *non* quærerent, *niſi* facies eorum ignominiâ impleretur. *Quòd ſi verò etiam ſuccenſendum ijs existimas, à quibus hæc tibi tempeſtas in caput cietur, intempeſtiuis quorundam indoctiorum & quauis re gaudentium Lutheranorum triumphis ſuccenſe; quibus idem eſt, ex confidentiâ cauſſæ ſilere, atque ex diffidentiâ reſpondere non poſſe. Quo errore vt liberarentur, tu pro hoſtiâ cædendus fuiſti. Peperciſſem diutiùs tibi, & in ſilentio reditum tuum expectaſſem, ſi illi diutiùs ſe ob rès tam vanas, librúmque tot inanijs plenum ouandi ius & triumphalia ornamenta nequaquam percepiſſe iudicare potuiſſent. Sicut enim Anno Chriſti quingenteſimo trigeſimo ſecundo Origeniſtæ in Palæſtinâ, qui per centum annos delituerant, magno ipſius Origenis damno inſoleſcere cœperunt; ita nunc* Pſal. 82. 17.

quædam Lutheranorum fæx vomuit, vt tu premereris. Illi námque id profecerunt *teſte, Baronio*, vt qui hactenus in Eccleſiâ toleratus fuiſſet Origenes, cùm errores in eius ſcriptis reperti tãtummodò à maioribus damnarentur; poſt hæc nomen ipſius execrabile ſit redditum, ipſeq́ue damnatus à Patribus in Concilio, poſt annos ab eius obitu fermè trecentos. *Nondum centum anni elapſi ſunt, ex quo librum tuum* aranearum telis *impleuiſti. Vix vnus annus ijt. Nunc igitur poſtquam viliſſimi nonnulli indoctiſſimiq́ tuæ Sectæ homunciones ad librum tuum velut ad Sibyllina quædam oracula prouocare cœperũt, id promouerunt, vt veruacti aut noualis inſtar, poſt annuam quietem tantò vberiùs ſulcãdus ſis. Quamobrem ſi dum te ſacro, dum victimo, dum exta inſpicio, vitrea tibi de more bilis rumpitur, & animi tumeſcunt, illis iraſcere, qui te vel aratro vel cultro ſubiecerunt. Nec tibi de eorum blandire voluntate. Quicunque tam araneoſo libro tuo reſponderi voluerunt, mactari te voluerunt.*

Baron. An. Christi 532. & ex illo Spōd. eod. anno.

NO-

NOVA SACRÆ SCRIPTVRÆ TINEA,

HOC EST,

IACOBVS REIHING APOSTATA, ARANEORVM PARENS, DIVINI VERBI POPVLATOR, E SVIS LATEBRIS EXCVSSVS.

CAPVT I.

TINEÆ ET APOSTATÆ SIMILITVDO, ATQVE LIBRI HVIVS SCOPVS.

PVLVIS *in lanis & veſte* TINEAS *creat*, inquit ex Ariſtotele Plinius, *præcipuè ſi* ARANEVS *vnà includatur. Sitit enim & omnem humorem abſorbens, ariditatem ampliat. Hoc etiam in chartis naſcitur. Eſt earum genus tunicas ſuas trahentium, quo cochleæ modo. Sed harum pedes cernuntur. Spoliatæ expirant.*

Ariſtot. lib. 5. de hiſt. animal. cap. 32. Plin. lib. 11. Nat. hiſt. c. 5.

Tineæ quomodo naſcãtur & denaſcantur.

De ſimili TINEARVM genere cenſeri meritò poteſt Iacobus Reihing Apoſtata, qui *tanquam puluis, quem proijcit ventus à facie terræ*, leuiſsimo flatu in neſcio quas molles *lanas & veſtem* Præ-

Tinea ex puluere eſt Apoſtata.

Pſal. 1. 4.

Prædicanticam incidit, nouamque & nobis & diuinis libris TINEAM *creauit*. Nimirum, ô ſumme iudex, *omnes, qui te dereliquunt, confundentur: recedentes à te in terrâ ſcribentur: quoniam dereliquerunt venam aquarum viuentium Dominum.* Hanc ariditatem etiam iſte miſellus deſertor paſſus eſt, & cum veſte ingenium quoque mutauit, totus in *tineam* à ſeipſo conuerſus. Atque ecce, vt tam egregiæ prolis natales certiùs promoueret, non vnum, ſed tres omnino ARANEOS in eodem ſecum libro *incluſit*. Et quanquam perturbatorum aut febrientium more, alios pro alijs eo nomine compellauit, ſatis tamen ſuperque oſtendit, quantum ARANEORVM atque veneni in pectore clauſum gereret, cùm *ex* eius *abundantiâ* os illi tantopere ſcaturiret. Ille igitur, qui, *tanquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum*, efflorеſcere potuiſſet, feruenti veneno *omnẽ* pietatis ſuccum *ac humorem abſorbente*, factus *tanquam terra ſine aquâ* in *puluerem*, & de *puluere*, in *tineam* degenerauit. Viliſsimum vtique & miſerabile animal: cuius *genus eſt* TVNICAS *ſuas trahentium, quo cochleæ modo*. Nam etſi Apoſtata ſuopte ingenio magnam habet cum cochleis & teſtudinum gente æmulationem, voluit illas tamen etiam hac in re imitari, vt *tunicam ſuam traheret*, ac *tineæ* alicuius inſtar exueret, veſtiſque pariter Religioſæ & virtutis habitu *ſpoliatus expiraret*.

Ierem. 17. 13.

Et quidem Tinea inter Araneos.

Luc. 6. 45.
Pſal. 1. 3.
Pſal. 142. 6.

Ac Tinea tunicam ſuam trahens.

Quin neque etiam reliqua duo, quæ in *tineis* Plinius obſeruauit, Apoſtatæ deſunt: vt enim illarum *pedes cernuntur*, ſic nihil in iſto tam conſpicuum eſt, quàm *pedes*, quibus & *abijt in conſillo impiorum, & in viâ peccatorum ſtetit, & in cathedram peſtilentiæ* conſcendit. Sed & in *chartas*, enimuerò & in *diuinos libros, diuinumq; verbum* ſe ſe inſinuauit, non vt in illis *meditaretur die ac nocte*, ſed vt ea arroderet, morſuque noxio violaret. Similis illi impio, qui teſte Iob, *ædificauit ſicut tinea domum ſuam, & ſicut cuſtos fecit vmbraculum*. Quo loco, ſicut Plinius ſuprà, cum *tineâ* commodùm *araneam* iunxerunt Septuaginta: *Euadet domus eius ſicut tinea, & ſicut aranea.* Nam prorſus quemadmodum non Aduerſariorum Apoſtatæ, ſed ipſius Apoſtatæ opus leue, tenue, fragile, & mille gyris mæandriſque ambagioſum *domui*

Itemque in libros ſacros populandos ſe inſinuans.
Pſal. 1. 1.
Ibid. v. 2.
Iob. 27. 18.

aranea comparari poteſt; ita nihil quoque tantam *tinea* ſimilitudinem exprimit, quantam ipſe Deſertor, qui ad normam hæreticorum, primùm in *Laqueis*, deinde etiam in *Araneis* ea, quæ circa *ſcripturam ſacram traditioneſque* probè docentur, improbè aggreſſus eſt rodere. Ibi ergo *ædificauit ſicut tinea domum ſuam, & ſicut cuſtos fecit vmbraculum* non diu duraturum. Quippe tinea rodendo ſibi latibulum quærit, & domum ædificat ipsâ mox ædificatione arroſioneque diruendam. Faciendo enim deſtruit, quod facit. Nec quiſquam eſt, qui inter litteras dies noctéſque verſans tam multùm officiat, & tam parùm proficiat, quàm *tinea*: Totos libros deuorat & deuaſtat, nequaquam tamen inde doctior euadit; & vbi omnia conſumſit, ſeipſam prodit ac perdit, cùm nec abſcondendi ſe ampliùs, nec ſaginandi materiam poſsit reperire.

Ac ibi latibulum ſuum rodendo faciens pariter conſumenſque.

Pulcherrimum hæreticorum emblema, præcipueque Lutheranorum & Caluiniſtarum, qui cùm tinearum aut blattarum ritu in *ſcripturis* ambitiosè habitent, atque *Verbum Domini, Verbum Domini* perpetuò crepent, maximè tamen ſunt in *ſcripturam* iniurij, cuius iugulum eo ipſo petunt, quòd *ſoli* inhient, neglectâ *Traditione*, ſine quâ *ſcripturas* nullas tanquam diuinas habuiſſent. Itaque dum *Traditiones* fugiunt, in *ſolâ ſcripturâ* latibula faciunt, faciendoque deſtruunt, quod quærunt, & occulendo ſe produnt. Quin & Tantali exemplo inter ipſas vndas ſitiunt, inque ipſis *ſcripturis diuinis diuinas ſcripturas* amittunt; nec quiſquam ferè eſt tam profanus, quàm ſacri iſti; qui prorſus velut blattæ ſanctis veſcuntur, & immundi perſeuerant, dumque omnia ſua dogmata volunt probare ex *ſcripturis*, nullum probant. Immò, vt venenatus aliquis anguis, ſalutares herbas in virulentum ſuccum conuertunt. *Nec periclitor dicere*, ait Tertullianus, *ipſas quoque ſcripturas ſic eſſe Dei voluntate diſpoſitas, vt hæreticis materias ſubminiſtrarent.* Multò apertiùs id ipſum indicauit D. Petrus Apoſtolorum caput, dum de D. Pauli epiſtolis dixit: *in quibus ſunt quadam difficilia intellectu, quæ indocti & inſtabiles deprauant, ſicut & ceteras ſcripturas, ad ſuam ipſorum perditionem.* Quare hi tales non ſecus atque *tineæ ſcripturis* inhiant,

Hæretici enim Tinearum more in ſcripturis habitant.

Et ſcripturis ſe paſcunt.

Tertull. de præſcript. aduerſus hæret. cap. 39.

2. *Petr.* 3. 16.

Immo ſcripturis ſe perdunt.

Digitized by Google

neque illis ad pietatem, ſed *ad ſuam ipſorum perniciem* vtuntur, fæces hæreſeſque ſuas inde ſugendo nutriendoque, vnde veritatem haurire debuiſſent. Nonne hoc eſt *tineas* velut *in chartis* aut *ceris* naſci, cùm è *ſcripturis* hæretici prodeant ad ſalutem ceterorum inſtitutis?

Perduntque non ſolum traditiones ſed & *ipſas* ſcripturas.

Ac ne quidquam ad *Tineæ* & hæretici comparationem deſideremus, ita ſe ſe iſti in verbum diuinum immergunt, vt illud ſibi penitùs è medio tollant. Vnico morſu *Traditiones*, hoc eſt, omne verbum diuinum non ſcriptum velut vnâ liturâ abſumunt. Neque hîc eorum ingluuies ſatiatur aut ſubſiſtit; progrediuntur etiam ad ipſas *Scripturas* ſenſim arrodendas, tandemque apertâ etiam graſſatione abolendas, Manichæorum præclari imitatores: qui teſte ſancto Auguſtino *Scripturas ſic accipiunt, vt ſuo quodam priuilegio, quod volunt ſumant, quod nolunt, reÿciant.* Atque talis quoque tinea Marcion fuit, de quo Tertullianus ait: *His opinor conſiliÿs tot originalia inſtrumenta Chriſti delere Marcion auſus eſt, ne caro eius probaretur.*

S. Aug. lib. de bono perſeuerantia c. 11. Tertull. lib. de carne Chriſti cap. 2.

Similes meretrici apud Salomonem litiganti. *3. Reg. 3. 19.*

In compendio dicam, has veteres *tineas* longè ſuperant nouæ. Vſque adeò peruersè *ſcripturas* depereūnt, vt penitùs perdant; ſicut illa quondam nonaria meretrix, quæ & *dormiens oppreßit* filium ſuum, & amore iniuſto inſaniens *diuidi* voluit alienum. Equidem poſtquam *tineæ* iſtæ veram *ſcripturam*, alias ſuper alias in eâ latebras quærendo, amiſerunt, etiam nobis eripere conantur; vt bis ſint iniqui. Cum enim & Canon ſeu Catalogus librorum, & verſio, & ſenſus interpretatioque *ſcripturæ*, prout ab Eccleſiâ approbantur, debeant ſpectari, Lutherani autem Caluiniſtæque nihil iſtorum ſeruent, meritò eos nec veram ampliùs ſinceramq; ſeruaſſe *ſcripturam* arbitramur. Poſt *Traditiones* igitur diuinas proteruè repudiatas, veramque ſcripturam & in numero librorum, & in verſione idiomatum, & in interpretatione ſenſuum vndique miſerrimè corroſam, libidinis ſuæ pabulum alibi quærunt, & conuertuntur ad eadem à nobis quoque auferenda. Vtque Thaidi illi, quam Salomonis ſapientia de fraudulentâ poſtulatione conuicit, pleniſsimè æquentur, *diuidi* verbum diuinum cupiunt, quaſi alie-

Mart. Becanus in Manuali controuerſ. lib. 1. c. 1. q. 6.

Vide Bellar. l. 4. de Verb. Dei non ſcripto, Vbi docet, hæreticos id age-

ſtenum infantem, ſibi enim verbum ſcriptum, nobis verbum traditum relinqui volunt, hoc ipſo indicantes, ad ſe, qui verbum diuinum traditum tam faſtidioſè reſpuunt, neque verbum etiam ſcriptum pertinere. Sed nihil promouent, ad Eccleſiam enim tanquam ad genuinam veramq; matrem vtraq; diuini verbi pars pertinet. Ibi & *ſcripturæ* & *traditionum* illibata integritas perſeuerat, tãquam in inchoato quodam cœlo Deique regno, *quo fur non appropiat, neque tinea corrumpit.* Vt proinde haud abſurdè etiam huc vates aſpexiſſe videri poſsit, cum hæreticas iſtas *tineas* verbum diuinum fœdiſsimè deprauaturas intuens, exclamaret: *In æternum Domine verbum tuum permanet in cœlo*, hoc eſt, ſeu in Angelis bonis, vt vult ſanctus Auguſtinus, ſeu in vnoquoque Sancto, vt exponit Caſsiodorus, ſeu etiam, vt D. Ambroſius explicat, in nobis, qui in terrâ cœli eſſe poſſumus, ſicut diabolus in ipſo cœlo terra factus eſt; ſeu denique etiam in totâ *Eccleſia Dei viui,* quæ eſt *columna & firmamentum veritatis.*

re, quaſi ipſi Scripturas tantum, nos traditiones tantùm defendamus.

Luc. 12. 33.

Pſal. 118. 89.

S. Aug. Caſſiodor. Ambroſ. apud Lorinũ. Pſal. cit.

1. *Tim.* 3. 15.

Cum ergo Apoſtata hanc quoque metamorphoſin ſubierit, vt Lutheranorum veſtigijs ſe inſiſtere ſimulans, etiam in nouam ſacræ *ſcripturæ* diuiniq́ue verbi *tineam* ſit transformatus; excutere ego iſto quidem libro hanc de latebris ſuis *tineam* pellereque profanum os à corroſione ſacrorum conſtitui, verbumq́ue diuinum ſeu per *ſcripturas*, ſeu traditione acceptum, quaſi manu aſſerere, atque à Theonino dente & edaci *tineæ* iſtius iniuria vindicare. Vnde conſtabit, Aduerſarios non ſolùm verum *Iudicem*, qui inter controuertentes, ſententiam ferat, nõ habere, ſed etiam verâ *Normâ* deſtitui, ſecundùm quam à *Iudice* ſententia feratur. Quâ *Normâ*, & *Iudice* pro nobis ſtante, illi ſine dubio cæteris etiam omnibus cauſis, quæ hoc fundamento nituntur, ceciderunt. Cum quilibet prudens facilè cernere poſsit, ſi non ſola *ſcriptura*, ſed *ſcriptura* & *Traditiones* ſimul vera ſint *Norma*, Iudicemq́ue in fidei litibus decidendis agat Eccleſia, illos vtique rectè ſentire, qui non ſolùm *ſcripturæ*, ſed etiam *Traditionibus* Eccleſiæq́ue pronunciatis didicerunt conſentire.

Libri huius Scopus.

Digitized by Google

CAPVT II.

SVMMA ET ORDO DISPVTATIONIS DE RECTA FIDEI NORMA.

Status quæſtionis. *Conc. Trid. ſeſſ. 4.*

CAtholica doctrina eſt, *præter verbum Dei ſcriptum, eſſe etiam aliquod verbum Dei non ſcriptum, ſed traditum*; ſeu vt alij proponunt, *præter ſcripturam ſacram, eſſe etiam aliquas Traditiones, quæ parem cum ſcripturâ habeant auctoritatem*; adeóque *non ſolam ſcripturam eſſe normam omnium eorum quæ credenda ſunt, neque ſolam abſque Traditionibus & auctoritate Eccleſiæ Iudicem eſſe controuerſiarum.*

Iacob. Reih. in Laqueis Pontif. Laqueo. 1.

Negant hanc doctrinam Lutherani, & cum iſtis Apoſtata. Qui proinde illi, tanquam præcipuo Laqueo Pontificio, primùm ante omnes alias doctrinas Catholicas publicè renunciauit. Et quoniam omiſsis optimis fundamentis noſtris, & quibuſdam etiam à ſeipſo olim iactis, deſultoriâ declinatione aliò ſe abripuit, vſuſque communiſsimis tum ratiunculis, tum conuitijs ex Hoë & Enchiridio ſuo penè eodem & ordine & formâ deſcriptis atque in medium adductis, diſsimulatâ ſolidiſsimâ Catholicorum reſponſione, quam itidem etiam ipſe eodem ordine contra eundem Hoë admodum nuper vſurpauerat, nihilominùs velut de diſrupto Samſoniâ manu contritoque Laqueo Pontificio, immò vt Syneſius loquitur, velut ſi capite cœlum perrupiſſet, immodicè exultare & triumphare non erubuit, ſic obuiam proceſsi.

Syneſ. in epiſt. contra Andronicum.

Diſſert. contra Laqueos nom. Pontif. re Luther. cap. 8.

I. Quatuor argumenta contra Lutheranam fidei normam præmiſi, oſtendique non idem eſſe argumenta conterere, & argumenta diſsimulare. Ex his quatuor argumentis, quibus maximè & noſtræ ſententiæ robur, & Aduerſariorum imbecillitas explicabatur, Apoſtata tria fecit, primo meo, ad quod nul-

nullum ſe fingere poſſe reſponſum videbat, non numerato; ſed varijs dũtaxat ambagibus extenuato,& obnubilato. II. Ad ſurreptas illas, quas contra Traditiones diuinas afferebat, ratiunculas ordine reſpondi. III. Alia tria ſeu conuitia ſeu argumenta Lutherana(hæc enim apud illos idem ſunt) itidem ex Hoë & Enchiridio confidenter tranſcripta & annumerata, indidem vnde ſumta ſunt, dilui. Nempe *1. An Traditiones lumini, claritatíque ſcripturarum officiant? 2. An ſcripturam eſſe imperfectam mancámque arguant? 3. An homines qui cum SS. Patribus & totâ Eccleſiâ ac antiquitate magnum in diuinis Traditionibus momentum ponunt, idcircò à ſtudio lectionéque ſcripturarum abſtrahantur?* *Ibid. c. 9.* Breuis ordo eorum quæ hoc libro diſcutiuntur.

Hic totus ordo, hæc ſeries eſt eorum, quæ à me circa hanc Contro uerſiam in Diſſertatione contra Laqueos Catholicè diſputata, ab Apoſtatâ in Araneis hæreticè refutata sũt. Operæ igitur precium erit, vt eodem ipſo ordine rurſus non ſolùm Catholicæ doctrinæ vim atque veritatem, ſed etiam refutantis Apoſtatæ & cæterorum hæreticorum fraudem vanitatemque magis magiſque perſpiciamus; quâ vt Irenæus loquitur, *euenit, neque ſcripturis neque traditioni conſentire eos*, vt, verbo diuino omni abſumto, totam imaginem impleant tinearum. *Iacob. Reih. Aran. c. 8. 9. 10. & 11. à pag. 54 & ſqq. ad pag. 87* *Irena. lib. 3. cap. 2.*

CAPVT III.

PRIMVM ARGVMENTVM A DISSENSIONE EXPLICANTIVM TRAHENTIVMQVE SCRLPTVRAS PETITVM, QVAM athleticè eludere conetur Apoſtata?

Prolixiſsimi itaque capitis octaui Araneorum titulus hic eſt: *Laquei Stengeliani aduerſus vnicam ſcripturæ normam contriti.* Ab hoc titulo non abludit, altera illa ſuperſcriptio marginalis, quæ per omnes capitis iſtius paginas currit, nempe: *De Stengel. Laqueis contra ſcripturam.* Quæ duplex inſcriptio Tineoſus Apoſtatæ titulus & aliæ inſcriptiones obiter luſtratæ.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

atque altera præſertim toties repetita & mihi & reliquis duobus Apoſtatæ aduerſarijs meritò admirationem facere poteſt. Aduerſarijs quidem illis duobus, quòd Apoſtata de ijs nullam in titulis iſtis mentionem faciat, cùm tamen illorum in ipſo decurſu planè non obliuiſcatur. An fortaſsè Apoſtata putauit, illos ſolum titulum lecturos? tum ſanè plurimùm deceptus eſt, & ſe deceptum fuiſſe ex reſponſis illorum intelliget. Quare cum meâ defenſione non indigeant, pro me ſolo tantùm loquar in hac re. Et quidem cum admiratione loquar. Nihil enim mihi tam mirabile, tamque paradoxum videtur, quàm quòd Apoſtata admonitiones meas non ſolùm *Laqueos* vocet, ſed etiam *contritos* appellare non vereatur; cum tamen & ipſus probiſsimè ſciat, & quoſuis paulo litteratiores vel ex fronte perſpecturos intelligat, nihil prorſus reſponſum eſſe; ſed itidem vti in Laqueis Pontificijs ſummam illius artem eſſe, tranſcribere argumenta, & diſsimulare reſponſa. Et tamen quaſi de *contrito* Aduerſario ouat, immò triumphat, ſcilicet more Hiberorum, quos Athenæus ſcribit, veſtitu proceſsiſſe ſumtuoſiſsimo, domi tamen aquam bibiſſe. Sed audiamus Hiberas illius nænias, & ad Lutheranos, quibus iam dudùm aures tinniunt, poſtliminio remittamus.

Athen. lib. 2,

In Diſſert. de Laqueis c. 8.

1\. Argumentum contra normam Hæreticorum.

Iac. Reihing. in Muris ciuit. Sanct. fundam.

Primum argumentum, quòd Fidei norma non ſit ſola ſcriptura his verbis propoſueram. *Principio ſi contritos volebas monſtrare, quos tu vocas Laqueos Pontificios, officij tui erat, diſſoluere nodos quibus tu ipſe olim Lutheranos conſtringebas. Quid enim ad illa tua reſpondes? Cum omnes nunc ſectæ tanto numero ſcripturam ſacram tanquam vnicam ſuæ fidei normam iactitent, & tamen niſi vna fides vera eſſe non poſsit; ſecurius & ſolidius medium veritatem cognoſcendi nullum reperire potui, quàm Eccleſiæ Catholicæ per omnes ætates conſentiens in ſcripturis interpretandis & rebus fidei declarandis magiſterium. Hoc tunc imperturbatior dixiſti, ſcripſiſti. vt & illa ibidem, ad Luthericolas; ſcripturas habetis? & nos illas habemus, immò vos non habetis niſi à nobis. Scripturas legitis? nec nos analphabeti ſumus. An intelligitis? argumentum date, vt vobis præ Caluiniſtis, Anabaptiſtis, Schvvenckfeldianis, alijſque credamus. An quia vt vos illam, ſic ſe illa explicat? idem alij dicunt, & eodem plauſu,* quo

2 Inter tot diſcordantes ſententias in cognoſcenda ſcripturæ veritate audienda eſt vti-

quo vos faciunt. An quia ſpiritum Dei habetis? Eundem alij iactant. An quia ſoli ſapitis? & alij ſibi perplacent. Quid in circuitu miſeri, ne dicam impij, ambulatis? viam regiam, tritam, Catholicam ite. Nos ſcripturas rectè intelligimus & fidem facimus, non inani in tantis diſſenſionibus claritatis, non ſuperbâ priuati ſpiritus non arroganti proprij ingenij iactatione, ſed Eccleſiæ Catholicæ vniuerſitate, antiquitate, conſenſione. Hæc & *plura ibidem, & in alijs tuis libris. Tute intriuiſti, tibi exedenda.*

que Eccleſia antiqua, quæ primis mediiſque ſeculis eandem ſemper Religionem conſtanter ac aperte tenuit: At talis noſtra: Ergo, &c.

Hoc primum meum argumentum, tantò libentius huc repoſui: quantò Apoſtatæ ægrius facit, altiuſq; in cor deſcendit; & quidem adeò, vt ne ſenſum eius indicârit quidem, aut ſummatim retulerit, ſed ictæ ritu victimæ, inter trepidationem ac vertiginem, humi iacens caſſo conatu aërem verberarit. Nimirum ars eſt, argumentum tranſilire, vbi nullum reſponſum præſto eſt, quod vectigalis loco eſſet expendendum. Ne tamen victus videretur, mutire maluit quàm mutus eſſe, loliguncülam imitatus aut ſepiam, quæ atramenti effuſione ſe tutatur, & vt naſſam fugiat, oculos faſcinat. Nam & hic aliquid obſcurum effundit ac garrit, vt lector glaucomate deceptus reſponderi putet, dum non videt non reſponderi.

Pſal. 11. 9. *Terent. in Phorm.*

Ars Apoſtatæ in diſsimulandis argumentis, ad quæ reſpondens non reſpondet.

Itaque I. Apoſtata me vocat *importunum cenſorem*, quòd ei propria argumenta verbaq; priſtina in memoriam reuocem; *atque hac viâ quaſi facili compendio victoriam quæritem.* Quid ais Dialectice? Ergóne argumenta illa nulla ſunt, quia ego tibi ſum *importunus cenſor?* Alij rectiùs cõtrarium collegiſſent, ideò enim quia tibi *importunus* ſum, ſignum eſt te à me vri, *victoriæque compendium* repertum eſſe. Ita res eſt. Non debent Aduerſario commoda eſſe Aduerſarij argumenta.

I. Reſponſio importuna. *Aran. cap.* 8. *pag.* 54.

Sed II. ais *me fruſtra eſſe, quòd hoc loco in primâ contra te acie, verba tua ex Muris ciuitatis ſanctæ fundam. 2. ſumta collocem.* Cur, obſecro, fruſtra ſum? *Muri,* inquis, *ciuitatis ſanctæ à Balthaſare Meiſnero Theologiæ Doctore & Profeſſore VVittenbergico quidem breuiter, ſed validè diruti & euerſi; Excubiæ Angelicæ verò, ſeu veriùs Papiſticæ, duobus primis fundamẽtis tuendis, à me deinde collocatæ nuperrimè ab eodem fortiter depulſæ ſunt. Quid ergo actum ego agerem?* O artificioſe Fugitor, nonne in hac arenâ aliquem ſecutorem metuiſti, qui artes tuas

II. Reſponſio fruſtra.

Digitized by Google

tuas noſſet, teque è fugâ retraheret? Primùm. Tuiſmet te verbis conuenio, quæ tu ipſe in excubijs c. 1. §. 1. contra eundem Meiſnerum pari tecum modo reſpondere incipientem ſic vſurpaſti. *Dignum Prædicante exordium, argumentum meris calumnijs ſtipatum, indignum Theologo. Quid enim facilius, quàm dicere: Rationes hæ ſunt tritæ, eneruės, diſſolutæ, vecordes, infirmæ, leuiculæ? Non decent aduerſarium hæ voces ante pugnam inaniſſimæ, glorioſi militis iactationes ſunt. Proterat, eneruet, diſſoluat, infirmet. Tum liberè exclamet. Ante talia dicta facto opus eſt, cùm illa initium faciunt, cauſſam produnt.* Recipe ferrum, quod ipſe cudiſti, Iacobe. Deinde quis eſt ille *validè diruens & euertens, fortitérque depellens Meiſnerus?* Nempe eiuſdem tecum tergiuerſationis, qui *breuiter* reſpondet, ne prolixè erret. Nam hoc ipſo artificio tu, ne ad primum meum argumentum penitùs obmutuiſſe videaris, Lectorem tuum promiſsione paſcis, quaſi differas, non quaſi diffidas reſponſo, adiungis enim: *Hoc addo nunc, me peculiari libro nodos illos omnes, quos malè in Enchiridio nexui, benè ſoluturum.* De argumento ex Muris tuis, non ex Enchiridio nunc agitur, ſed tu de pallio rogatus, de tunicâ reſpondes, & panem petenti aquam porrigis. Sed pergamus inſpicere, quid ex promiſsione tuâ inferas, inquis enim. *Quare in hoc reſponſo, breuitatis, quam Aduerſarius quoque promittit, ſtudioſior ero.* Hæc tertia tua eſt reſponſio, gladio Delphico non impar, nam ad omnes quæſtiones poteſt dari. Et habent indocti, vt tibi gratias agant, quòd eos tam dexterè argumenta ſoluere docueris: dicere enim ad omnia poſthac poterunt, quod tu ad primum meum ſtatim in ipſo limine offendens dixiſti; nimirum, *ſe breuitatis ſtudioſos eſſe, ideoq́; non* reſpondere. Magnum enim profectò eſt breuitatis ſtudium, *non reſpondere.* Ego, mi bone vir, cum breuitatem promiſi, hanc tuam Meiſneriq́ue breuitatem non promiſi. Malum igitur te præſtas mei imitatorem. Quòd ſi ergo Meiſnerus tuus, quem *breuiter ſed validè* ad tuum ſcilicet iſtum modum reſpondiſſe ſcribis, itidem vti tu non reſpondens reſpondit; nequaquam *actum ageres*, ſi pedem in hoc conflictu figeres, & arma armis reſponſaque argumentis conferres. Sed quo-

Iac. Reibing. Excub. c. 1. §. 1.

Aran. cap. 8. pag. 54.

Ibid.

III. Reſponſio nimis breuis.

Digitized by Google

quoniam ais Meiſnerum *validè & fortiter* reſpondiſſe, audi vel illum, vel te mutatum. Nam alibi ſcripſiſti longè aliter de illo: Cùm eius ſcripta *conuitia, ineptias, impoſturas, ridicula, errata, Meiſnerianas nugas, imperitias*, & *ſtupore Meiſneriano digniſſima*, ipſúmque *Meiſnerum implumem, imbellem, tenebricoſum* vocitauiſti, *frigideq;* & *imperitè & inſipienter* ſcribere affirmaſti. An *validè* & *frigidè, fortiter* & *imbelliter ſtupideq;* reſpondere apud te idem valet? Aut fortaſſe hac adulatione, facta à te alibi vulnera putaſti in ſanum coitura? Aut Lectorem ſic fallere potiùs cogitaſti, vt exiſtimaret benè à Meiſnero reſponſum fuiſſe, ſi tu illum laudares? Certè ſi *breuitatis ſtudio* ad ea non eſſet reſpondendum, ad quæ iam alij reſponderũt, paruo mihi contra te libro opus fuiſſet, qui ea affers, quæ iam ab alijs, immò & à teipſo ex alijs pleraque omnia iam dudùm fuerunt diſſoluta. Accedit his quòd tu iam ex Lorino, iam ex Cornelio de Lapide, iam ex Vaſquezio alijſque noſtris Theologis vndique corradas, quæcunque vel per capillos in aliquem cauſſæ tuæ colorem trahi poſſe videntur, cur ergo à Socieno tuo Meiſnero ſubſidium tam *forte* & *validum* petere erubeſcis, contra ea quæ *in primâ acie* aduerſus te ſunt collocata, quem non pudet vel ab Aduerſarijs auxilium imbecilliſsimum emendicare? Denique an ignotum tibi erat, Theſes Meiſnerianas non omnibus in manu eſſe, vt inde primi mei argumenti ſolutionem peterent? Vel ſaltem, ſi Meiſnerum tanti fieri tibi perſuades, vt vltra biduum in aliquâ domo aſſeruetur, ſaltem, inquam, locum, theſin, vel paginam annotaſſes, vt ſolutio quærenti in promptu eſſet. Iam nihil horum feciſti, ne ſcilicet admonitu tuo Lector in abſurdam reſponſionem incidens vim argumenti tanto magis ſuſpiceret & obſeruaret. Scilicet periculoſum eſt canem inteſtina guſtaſſe.

Qualis Meiſnerus?

Iac. Reihing. in Excubiis cap. 3. §. 1. §. 3. §. 5. *fund. primi & fund. ſecund.* §. 1. *In præfat. Excubiar.* tenebricoſum & imbellẽ vocat. *cap.* 1. §. 1. imperitè & inſipienter *vellicare ait.*

CAPVT IV.

IDEM ARGVMENTVM CONTRA HAERETICORVM NORMAM, ITEMQVE VERSIPELLIS APOSTATAE RESPONSIO MAGIS explicatur, ex reſponſione Meiſneri, ad quam Iacobus prouocauit.

Excub. Angel. defenſ. 2. fund. c. 1.

Cuiuſnam iudicio in interpretandis ſcripturis ſtandum?

VERVM vt videas quàm tecum fraternè agam, ecce venio in hanc laboris tui partem, ac Meiſnerum tuum è tenebris, immò de Excubijs tuis tibi produco. Ibi itaque cùm poſitum eſſet: *Nullum in tantâ ſectarum de vero ſcripturæ ſenſu gloriantium colluuie ad cognoſcendam veritatem ſolidius ſecuriúſque eſſe medium, quàm Eccleſiæ per omnes ætates conſentiens in ſcripturis interpretandis & rebus fidei declarandis Magiſterium*; cùm nemo *non malit Eccleſiam primâ multorum ſeculorum antiquitate venerandam, quàm vnius ſeculi nouitate ſuſpectam interpretem ſacrorum Codicum audire*: tale deductum eſt fundamentum; *Illa hodie audienda eſt Eccleſia, quæ cùm illâ antiquâ in doctrina conſpirat, & tempore continuatur*; cui fundamento cum facilè quis ſuperſtruere poſſet hanc minorem, *At talis eſt ſola Eccleſia Catholica: Ergo*: addidiſti tu Iacobe: *Quid dicitis Prædicantes?* annuitis an abnuitis? His talibus mox illud, quod nunc *validum & forte* reſponſum vocas (niſi fortaſſe aliquod aliud melius ac poſterius reſpõſum intelligis, quod vt in manus meas perueniat, quæſo, proximâ vice exſcribere ex Meiſnero ne pigriteris) cum ſequenti honeſtiſsimo titulo, ſequentibuſque titulum verbis ſubiunxiſti.

Ibid. c. 1. §. 1.

Meiſneri valida euerſio.

Abſurdæ Meiſneri antilogiæ. §. 1.

Concedimus, inquit Meiſnerus Th. 39. *Eccleſiam veram audiendam, eiúſque ductum in verbi diuini expoſitione ſequendum eſſe. Negamus autem Romanam Synagogam eſſe illam veram Eccleſiam, hoc enim ipſum in quæſtione adhuc verſatur, vt ita valdè ridiculus ſit diſcurſus Ieſuiticus hoc ſecundo fundamento comprehenſus, quippe qui non eſt alius quàm iſte. Pa-*

 piſtica

Digitized by Google

piſtica Religio eſt verax. Cur? quia Papiſtica Eccleſia id vnanimiter affirmat. Bellum profectò argumentum, acumine Ieſuitico digniſſimum. Ridiculum profectò reſponſum ſtupore Meiſneriano dignisſimum, quod & fundamento propoſito minimè accommodatum eſt, & argumẽto, quod initio Prædicans ex mea explicatione collegit, palam contradicit. Nihil in fundamento dicitur de Romanâ Eccleſiâ, nihil aſſumitur, nihil concluditur; hæc propoſitio ſola ponitur: Eccleſiam per omnes ætates conſentientem, tanquam Magiſtram audiendam eſſe. Ai, nega. *Concedimus*, inquis, *veram Eccleſiam eſſe audiendam.* Nimirum vt de tuâ poſsis, quod verum non eſt, ſpeciosè aſſumere & concludere. De antiquâ per omnes ætates immutabili Eccleſiâ reſponde. Quid negas de Romanâ, quod æquè facile eſt mihi de tuâ negare, de quarum tamen vtrâque nihil exprimit fundamentum? Non eſt hæc propoſitio: *Vera Eccleſia audienda eſt*; Sed, *Eccleſia* omnium ætatum eadem audienda eſt: Hanc ſi das, paucis de tuâ noſtraque Eccleſiâ diſputationem finiemus. Sed fugis antiquitatem tibi parùm amicam. Quid verò tribuis mihi hanc cachinnis dignam argumentationem? *Quod Papiſtica Eccleſia vnanimiter affirmat, eſt verum; ſed Papiſtica Eccleſia affirmat Papiſticam Religionem eſſe veram, ergo Papiſtica Religio verax.* Itane ego? hæcne meæ explicationis ſumma eſt? Tuo te teſtimonio calumniæ conuinco: mendacem memorem eſſe oportuit. *Argumentum*, ait Meiſnerus, initio ſecundi fundamenti, Th. 36. *ex diſcurſu Ieſuitico tale formamus, In quâ Religione habetur & auditur Eccleſiæ Catholicæ per omnes ætates conſentiens in ſcripturis interpretandis & rebus fidei declarandis magiſterium, illa ſine dubio vera & amplectenda eſt: ſed in Religione Papiſticâ non Lutheranâ, habetur & auditur Eccleſiæ Catholicæ per omnes ætates conſentiens in ſcripturis interpretandis, & rebus fidei declarandis magiſterium, ergo Religio Papiſtica non Lutherana ſine dubio vera & amplectenda eſt.* Si verè à te, Meiſnere, ex meâ diſputatione ſyllogiſmus iſte collectus eſt, ergo alter ille ridiculus huic diſsimillimus à te falsò confictus mihique calumniosè affictus eſt. Sed quid ad prius argumentum à te ex diſſertatione meâ rectiùs efformatum reſpondes Meiſnere?

Apoſtata Meiſneri euerſionem quam validam vocat, ipſe euertit & ſtupore Meiſneriano dignisſimam vocat.

Meiſnerus valde mentitur.

nere? quid de propoſitione, quæ fundamenti ſenſum benè tangit, iudicas? *Maiorem concedimus*, inquis, *ſi Eccleſia vera eiuſq́; genuinum in ſcripturis explicandis officium, non verò ſuperclioſum Magiſterium intelligatur*. Eccleſiæ toto orbe primis & ſequentibus ſeculis diffuſæ conſtans Magiſterium eligendum proponitur. Conſentit Prædicans, ſed de periculo ſectæ ſuæ metuens timidè addit, ſi vera Eccleſia, ſi genuinum, non ſuperciliosum Magiſterium intelligatur. Nimirum hæc ſibi fugitiuus homo extremæ fugæ latibula ſeruat, vt, ſi monſtretur, noſtram, non Lutheranam Religionem cum antiquâ Eccleſiâ conuenire, antiquam Eccleſiam erroris & ſupercilij condemnet. Eâ ſcilicet conditione claram propoſitionem affirmat, vt quam apertè ſine rubore non potuit, occultè per dolum neget. Verùm quid ad aſſumptionem reſponſi det, audiamus. *Minorem verò*, inquit, *negamus, quippe quæ tota falſis præſuppoſitis nititur, & meras principij petitiones continet, vnde ſimul quatuor termini in argumento apparent, dum in Maiore de verâ Apoſtolicâ, in minore de falſâ Papali Eccleſiâ ſermo eſt, quo pacto perit omnis conſequentia, & arenoſum hoc fundamentum planè corruit.* Imo & fundamentum & ædificium tam ſolidum eſt, vt nec materiæ, nec formæ illius quidquam, ſed ſibi plurimum nocumenti Prædicans afferat hoc ſuo reſponſo, quod ſuâmet manifeſtâ contradictione corruit. Si enim benè negas minorem, malè quatuor argumenti terminos affirmas; ſi hos verè affirmas, illam ineptiſsimè negas. Verè & negare minorem & quatuor terminos affirmare non potes. Apertè oſtendo. Minor propoſitio hæc eſt. *In Papiſticâ Religione non in Lutheranâ auditur Eccleſia Catholicæ per omnes ætates conſentiens Magiſterium.* Si per Eccleſiam hîc non verè Apoſtolica, vt in maiori propoſitione, ſed alia, ſcilicet falſa Papalis intelligitur, adeoque quatuor termini vnius Syllogiſmi ſunt, vt tu contendis, ſenſus minoris propoſitionis hic erit. *In Papiſticâ Religione non in Lutheranâ audiri falſæ Papalis Eccleſiæ Magiſterium.* An negas Prædicans hoc, quod omnes Prædicantes affirmant? Quid ergo negas? certè niſi Prædicans eſſe nolis, nos veram Apoſtolicam Eccleſiam audire negandum tibi eſt. Si

Meiſneri Euripus.

Meiſneri Æſtus.

hoc negas, eadem ergo Eccleſiæ Catholicæ in vtraque propoſitione acceptio eſt, & figmentum quatuor terminorum euaneſcit. Vides quàm malè ſimul & minorem negâris, & quatuor terminos culpâris, cùm negatio minoris quatuor terminos, quatuorque termini minoris negationem non ferant. Tales ſcilicet ſunt Prædicantium machinæ.

Hucuſque tu, Iacobe, contra Meiſnerum pro primo illo argumento, quod nunc quidem ſub alio cœlo conſtitutus *validè* à Meiſnero *dirutum* & *euerſum* eſſe, (quanquam in genere duntaxat, & itidem vt ille olim timidè) ſcribis. Volui igitur, quin etiam debui denuò *de ore tuo te iudicare*, & tuiſmet te verbis cædere, atque vt Philiſthæum quendam proprio gladio truncum facere; partim vt conſtaret omnibus, argumentum illud primum adhuc ſibi conſtare, nec à Meiſnero vllâ ratione quaſſatum eſſe: partim vt perſpicuè appareret, quàm tu rurſus tuo ingenio ſis vſus, qui ſciens volenſque optimum argumentum tacitus præterijſti; imo contra liquidam animi tui ſententiam *validè euerſum* ſcripſiſti, vel certè ita ſcripſiſti, vt deceptus Lector *validè euerſum* putare poſſet, ſi tibi crederet dicenti: *Muri ciuitatis ſanctæ à Balthaſare Meiſnero Theologiæ Doctore & Profeſſore VVittenbergico quidem breuiter, ſed validè diruti & euerſi*, & conſequenter etiam illud argumentum, de quo nobis ſermo eſt, tanquam pars murorum. Aut igitur etiam hoc argumentum *validè* ab illo *euerſum* dicis, & contra mentem tuam ſciens loqueris, cùm memineris hanc euerſionem eius à teipſo funditùs euerſam eſſe: aut hoc argumentum, & adeò iſtam murorum tuorum partem ab euerſione illius excipis, & rurſus teipſum in mucronem induis. Hoc enim nihil eſt aliud, quàm fateri primum illud argumentum à me eſſe meritò & fortiter allatum, à te autem immeritò & nequiter diſsimulatum. Confidentiam tamen tuam non poſſum ſatis mirari, vt qui omnes libri tui Lectores ſperâris tam fore pigros, vt in argumenti iſtius ſtatim primo loco poſiti ſolutionem tam validam non eſſent inquiſituri.

Iacobi Acroceraunia, & naufragium.

Luc. 19. 22.

1. *Reg.* 17. 51.

CAPVT V.

ALIA APOSTATÆ AD PRIMVM ARGVMENTVM EXTRA REM DATA RE-ſponſio examinatur: illa ſcilicet, quam dat de diſsimulatis à ſe argumentis, vt hoc ipſum argumentum diſ-ſimulet.

IV. Reſponſio ad primum argumentum nihil ad Rhombum. *Arau. pag. 54.*

NEquaquam tamen miror quartam illam tuam tergiuerſationem (rectiùs enim ſic, quàm reſponſionem voco) quâ rurſus Lectorem ſubdolè diuertis, Cùm enim dixiſſes, *Muros* tuos à Meiſnero *validè dirutos*, & Excubias *fortiter* (ſicut Muros ſcilicet) *depulſas eſſe*: Et, *Quid ergo actum ego agerem?* quartam hanc tergiuerſationem addidiſti. *Nec verò deinde vnâ oratione poteram ea, quæ tribus libris comprehenderam, ſigillatim refutare. Reſpondi pluribus ad hanc frigidiſſimam obiectiunculam ſatis ſupérque in præfatione.*

Apoſtata cum paruâ ſuâ æſtimatione quiſquilias collegit à ſeipſo priùs reiectas.

Primùm nec volui nec iuſſi, vt *vnâ oratione ea, quæ tribus libris comprehenderas, ſigillatim refutares.* Deinde niſi iterum callidè diſſimulares te videre, quid obiecerim, haudquaquam *frigidiſſimam obiectiunculam* vocares. Niſi fortaſſe idcirco *frigidiſſimam* vocas, quia te vrit, ſicut ſummum frigus vrere dicimus. Nam nihil prorſus fuit, quod maiorem Reuocationi tuæ contemptum & ſuſpicionem pareret, quàm abiectiſsimæ illæ & toties iam, imò etiam à teipſo exploſæ rationes, quas tu velut tritas & decotes plagulas in vnum centonem comportauiſti, vt eo quaſi aliquo lato Clauo aut trabeatâ veſte conſpicuus, triumphares. Expectabant à te Lutherani aureos montes, & cum rubore ſuo viderunt prodire vix paruos mures. Nec ſi datâ operâ hiantes decipere voluiſſes, pulchriùs potuiſſes. In compendio rem accipe. Ea edidiſti, quæ antequam ederes, iam à teipſo ordine confutata fuerunt. Sed tertiò ais, *non potuiſſe te ea,*

Digitized by Google

quæ tribus libris comprehenderas, ſigillatim vnâ oratione refutare, Eſto, Potuiſſes tamen in his Araneis tuis ſaltem hoc argumentum, de quo nunc agitur, *refutare.* Erraui: Non potuiſſes refutare. Nam cùm non poſſes, alia omnia agere & dicere ac promittere maluiſti. Vt & illud, de Enchiridio tuo à te refutando. Vbi lepidiſsimè, immò veriſsimè addis, in illâ ipſâ futurâ tuâ Refutatione *inuenturum me iuſtæ ac prolixioris pugnæ materiam.* Ita planè credo. Non ſolùm prolixæ, ſed etiam *iuſtæ pugnæ materiam inuenturus ſum.* Nulla enim pugna iuſtior, quàm contra iniuſtos & veritatis impugnatores. Nota conſequentiam. *Non potui vnâ oratione ea, quæ tribus libris comprehenderam, ſigillatim refutare. Ergo nec iam debeo reſpondere ad primum argumentum.* Vel. *Ergo, non fuit indecens, vt ea ederem, quæ antequam ederem, iam à meipſo ordine confutata fuerunt.* Illud infers, ſi ad argumentum reſpondes: immò quia reſpondere tibi non eſt lubentia, iſtud infers, vt etiam ſimplicibus perſuadeas, te illud inferre. Papæ Dialecticum! Ais quartò *te reſpondiſſe pluribus ad hanc obiectiunculam ſatis ſuperq; in præfatione.* Quid ergo reſpondiſti? Audiamus.

Scio, inquis, *quæ argumenta Doctor Hoë mouerit, nec ignoro, quas ſolutiones dederim. Aliqua ex argumentis illis me produxiſſe fateor.* Habemus fatentem reum, quid ampliùs volumus? Nempe tranſcripta ex Hoë argumenta iamdudùm laniata & putrida Lutheranis in nouos illos triumphos propinauit. Hoc fatetur, immò furatum ſe eſſe fatetur. Sed rei inhoneſtæ honeſtum vocabulum diſce, Furari, eſt producere: *Aliqua ait ex argumentis illis me produxiſſe fateor.* tortura te fateri verum coëgit. Contentus ſum iſtâ confeſsione, quantumuis vocabuli modeſtiâ culpæ pudorem mitiges. At porrò perge te purgare. Nam indiges: *Nulla alia*, ais, *protuliſſe diffiteor, ſolutiones indecenter diſsimulâſſe pernego.* Quid diffiteris, miſer, quod nemo te fateri cupiuit? Non dixi, te nulla alia protuliſſe, quanquam omnino pauca alia protuleris. Sed tu libenter refutas, quæ nemo dixit: ſic & equi bilioſiores, cùm hominem non poſſunt, aërem percutiunt. Quanquam parùm te iuuat iſta purgatio, ſicut furem non excuſat, ſi dicat *Aliqua me* de ærario alieno *produxiſ-*

In præfat. Aran. pag. 6.

Furta ſua fatetur Apoſtata. Sed negat ſe omnia furatum eſſe, de quo tamen illum nemo accuſauit.

duxiſſe, ſeu potiùs ſubduxiſſe fateor. Nulla alia *protuliſſe* aliunde, ſeu ſuſtuliſſe *diffiteor*. Quòd autem *ſolutiones indecenter diſſimularis*, clariſsimè oſtendi. Idem enim feciſti ac ſi veteris teſtæ fragmenta, aut aliquid de Baucidis ollâ Lutheranis primitiarum nomine obtuliſſes. Egregius honor, occiſos milites hoſti opponere. Magna gloria Marti arma inania oſtentare.

Iac Reihing. Ibid. & Laqueis Pontificiis pag. 26. Apoſtata iterum excuſat, de quo non accuſatur, vt etiam de accuſatis ſe excuſare videatur.

Nihil proinde te excuſant illa: *Nonne iſtum hunc ipſemet ego aduerti & auerti verbis iſtis? Quis dicendi finis erit, ſi omnes Pontificiæ ſectæ Laqueos, non dicam retexere, ſed vel recenſere tantùm velim? Alterius id operæ & operis eſt.* Et paulo poſt. *Abſit lingua calumniatrix, non idem libri & orationis limes. Argumentorum è ſacris literis hîc ſaltem guſtum quendam damus: magnus apparatus* (vide ſplendida promiſſa) *qui palatum exſatiet, alteri labori reſeruatur. Hæc verba mea non potuit Stengelius ignorare, potuit tamen, immò voluit diſſimulare, vt poſſet cauillari.* Nec ignoraui, nec diſsimulaui, quia nullâ diſsimulatione indigebant nihil te excuſantia. Quippe ego nunquam volui, vt tu *omnes Pontificiæ ſectæ laqueos*, vt tibi nũc offæ causâ loqui placet, *vel retexeres, vel recenſeres*. Quid voluerim, paulo ante dixi. Quare tu rurſus hîc vmbras fingis in aëre, cum quibus pugnes; & dum alios de cauillis accuſas, cauillaris.

Præfat Aran. pag. 8. Nouus oſor nouorum.

Illud verò prorſus ferream firmitatem reſponſum habet, ſed de fronte tuâ, cùm ais: *En, amice Lector, cui fini Stengelius meas repetere ſolutiones decreuerit. Primùm vt monſtret, nihil à me noui afferri. Quid opus eſt nouum argumentum proferre, quando antiqua ſuâ firmitate immota ſtant?* Concedo maiorem, Iacobe, ſed ſubſume. Dic ſodes, quid ſubſumis? Taces? hæret aqua? Non audes ex tam apertè falſis argumentari? Hanc tacitè ſubſumis, *ſed illa antiqua Hoë argumenta ſuâ firmitate immota ſtant.* Nego minorem; & eius falſitatem ex tuomet Enchiridio oſtendo; Aioque te erigere iacentia debuiſſe, non pro ſtantibus venditare: id homines, non hoc alterum expectauiſſe, ſed expectationem illorum à te illuſam eſſe.

Ibid. in Aran. præfat. Quid ſint nouatores, quã

Denique lepidiſsimè iocaris, cùm ais: *Mirum eſt Ieſuitam, contra morem ſuorum, qui nos Nouatores appellitare, & de nouitate accuſare conſueuerunt, id in me culpare, quod nihil noui proferam.* Nouatores

tores

Digitized by Google

tores vos vocamus Fidei & ſacrorum dogmatum, immò perfidiæ & dogmatum profanorum, non autem argumentorum. Noua à te argumenta, quæ plus virium, quàm vetuſta illa & iam dudúm vetuſteſcentia haberent, non autem noua Fides, expectabatur à tuis. Hæc quæ tu protuliſti, iam ante ſciebant, iam ante in vulgus erant nota, & infamiâ laborabant. Et ſi ex me ſcire cupis, *cur in te culpem, quod nihil noui proferas?* Turpe eſt furtis ſuperbire. Poſſes totas bibliothecas deſcribere, compilare, & rudi popello pro tuis venditare; An non id meritò culparem? An etiam tunc reſponderes: *Mirum eſt Ieſuitam, contra morem ſuorum, qui nos Nouatores appellitare, & de nouitate accuſare conſueuerunt, id in me culpare, quòd nihil noui proferam.* belle definiat nouator.

En quouſque, dum ad primum argumentum reſpondes, imò dum non reſpondes, & me & Lectorem tuum extra chorum ſaltare coëgeris, vt vertigine circumacti tot Mæandrorum, fortaſſe nihil ampliùs de argumento cogitaremus? Quâ in re ſimilis mihi videris imperito Chirurgo, qui cataplaſmata varia enumerat, ſed nullum vulneri imponit; ſanguine interea periculoſiſsimè emicante.

Manet itaque argumentum in ſuo gradu, & cadit veſtra vnica norma Fidei ad tot iam hæreſes ſtabiliendas detorta, vt meritò ſi ſola & vnica ad omnes controuerſias poſtuletur, norma eſſe non cenſeatur: *quemadmodum plumbea* illa, apud Ariſtotelem, *Lesbiæ ædificationis regula: ad lapidis enim figuram tranſmouetur, neque manet regula* Sicut enim Catholica Eccleſia cum venerandâ SS. Patrum antiquitate ſacræ ſcripturæ adiunctas Traditiones diuinas adæquatam fidei normam eſſe agnoſcit; ita communis hæreticorum contumacia ijſdem Traditionibus damnatis ad ſolas ſcripturas ſemper prouocauit. Sic Ariani apud D. Auguſtinum; ſic Macedoniani, & Eunomiani apud Baſilium Magnum; ſic Eutyches in generali Concilio Chalcedonenſi; ſic Pelagiani itidem apud D. Auguſtinum; ſic noſtrâ ætate Lutherani & Caluiniſtæ fecerunt, quorum vnaquæque ſecta contra alteram ex ſcripturâ pugnat, Si recte: Ergo & ipſa ſecum ſcriptura pugnat. Quare non erit amplius ſcriptura, ſeu ver-

Regula Hæreticorum, regula Lesbia.

Ariſtot. lib. 5. Ethic.

S. Aug. lib. 1. cont. Maximin.

S. Baſil. in lib. de Spiritu ſancto c. 25. & c. 29. Conc. Chalced. Act. 1. S. Aug. lib. de nat. & gratiâ c. 39.

verbum Dei : cùm Deus ſecum ipſe non pugnet. Videte igitur, miſerrimi mortales, quàm *tineis* ſimiles exiſtatis. Scripturas perditis, dum perditè amatis : Veritatem occiditis, dum in mendacij teſtimonia raptatis : nec quidquam in eâ ſacrum manet, ſi tot hæreſibus illam fas ſit profanare.

CAPVT VI.

TRANSITVS APOSTATÆ, SEV PROPOSITIO SECVNDI, VEL, VT IPSE VOcat, primi argumenti ab illis articulis, qui ex ſcripturâ clarè demonſtrari non poſſunt, petiti.

Ariſtot. lib. 8. Topic. c. 1. Iulio Pacio Interprete. Præterea Vtile eſt ait, producere orationem & interijcere ea, quæ nihil ad diſputationem faciunt, quemadmodum faciunt ij, qui falsò quippiam ſcribunt. Cùm enim multa ſunt, incertum eſt, in quo falſitas conſiſtat.

PRæmiſsis, quas dixi, ambagibus pulcherrimo Abductionis exemplo artificioque, vt nouum Apoſtata artibus ſuis velum addat, ait : *Nunc quos ille hîc laqueos* CONTRA SCRIPTVRAM *nectat, & quo modo ſuos diffractos connectere conetur, conſideremus Tria igitur Argumenta contra vnicam ſcripturæ normam proponit Stengelius, quæ facile eſt diſſoluere. Nunc,* ait, diſsimulato ſcilicet primo, & vt magis diſsimuletur, quamuis Stengelius quatuor argumenta ordine annumerârit, dicamus, *tria* illum argumenta propoſuiſſe, & quod ille apertè *Secundum* nominauit, ne Lector quærat, vbi *primum* reliquerimus, nos *primum* appellemus. Si de crimine falſi nos poſtulet, facilis euadendi via eſt; quãuis enim quatuor locis numerus iſte à nobis ſit corruptus, typographo tamen hunc errorem aſcribere poſſumus, vt iam antè etiam fecimus, quãdo poſt prolixam & perplexabilem manifeſti erroris in epiſtolâ dedicatoriâ defenſionem, tandem aſylum in *Typographico errato* quæſiuimus, nemine non ſentiente, reges delirare, Achiuos plecti.

Aran. cap. 3. pag. 30. & 31. Vbi ridiculè ſuam contradictionem diu defendere conatus, tandem ad Typographum currit, eiq; errorem ſuum transſcribit. De quo nos alio loco plura.

Atqui ego libenter numero veniam darem, ſi ſaltem ſine

nu-

numero ad argumentum aliquid dixiſſet. Imo dixit aliquid ad argumentum, & quidem multa, vt vidimus, ſed ad argumentum diſsimulandum, & velut Timantis Agamemnonem pallio inuoluendum, non ad euoluendum. Ac videte calumniæ impoſturas, vt quaſi aliud agendo viam ſibi ad reſpondendum beneuolentiamque per mendacia quærit! *Nunc*, ait, *quos ille hic laqueos* CONTRA SCRIPTVRAM *nectat, &c. conſideremus.* Vix tria verba, & quatuor aut quinque mendacia effundit. 1. quòd Argumenta pro veritate ſtantia *Laqueos* eſſe dicat. 2. quod *laqueos* hos *me* nectere affirmet, cùm paulo priùs faſſus ſit, *me verba ipſius contra ipſum in primâ acie collocâſſe*; idque *deinceps ſæpiùs, imo ferè continuò, tum ex memorato, tum ex Enchiridij libro factitare*; quare ſeipſum potiùs *laqueos* hos *nexuiſſe*, debuiſſet dicere; vel certè illos, ex quibus ea Argumenta comportauit. 3. quòd *laquei* illi ſeu Argumenta ſint CONTRA SCRIPTVRAM *nexa*. Inuidioſum mendacium. Non argumentamur *contra ſcripturam*, ſed contra ſcripturæ tortores. Scripturam tanquam diuinâ auctoritate præditam ſuſpicimus & veneramur, & verò etiam pro normâ recipimus eorum articulorum, qui ex eâ liquidò conſtant: cùm autem etiam alij nonnulli articuli in controuerſiam veniant, qui ex ſolâ ſcripturà liquidò decidi non poſſunt, & adeò ex verbo diuino non ſcripto ſed tradito decidi debent, has ipſas Traditiones pro aris & focis defendimus. Eſtne hoc CONTRA SCRIPTVRAM agere? Si quis Apoſtatæ centum Philippæos deberet, & numeratis quinquaginta duntaxat, diceret illos quinquaginta eſſe centum, an Apoſtata contentus eſſet? an non argumentaretur? & ſi argumentaretur, quis eum ſapiens non diceret potiùs pro centum, quàm contra quinquaginta Philippæos argumentari? Sic nos non *contra ſcripturam*, ſed, pro ſcripturâ & Traditionibus pariter argumentamur. Sed hic vetus mos eſt hæreticorum, vbi veritate deſtituuntur, mendacijs calumnijſque militant. 4. quòd *laqueos diffractos* vocet id, quod adamantinâ dicere veritatem debuiſſet. Sed nempe ita illi diffracti ſunt, ſicut hæc argumenta, quæ 5. reclamante conſcientiâ ait *facile eſſe diſſoluere*. Age igi-

Quot Apoſtata vno flatu mendacia euomat.

Iac. Reih. in Enchir. art. 1. §. 2. &c.

Digitized by Google

tur ſpectemus, quàm facilè Alexander iſte hos nodos perſecet. Mea verba ſunt.

Differt. de laqueis nom. Pontif. re Luther. c. 8.

II. Argumentum contra normam Hæreticorum.

Secundò, ſi ſola ſacra ſcriptura eſt norma omnium quæ credenda ſunt, tum ex illâ neceſſe eſt, omnia clare & certò ſciri poſſe, quæ ad Religionem ſpectant, aliàs fallet tuum dictum, Scripturam habemus, omnia habemus; item quòd Laqueos ſolus ille ſacer Codex detegat, &c. Et ſanè ſi aliqua lis Religionis exiſtat, de quâ ſcriptura vel nihil omnino, vel certè nihil clarè loquatur, quo modo ea ex ſolâ ſcripturâ decidi poterit? Atqui in rebus Religionis multa ſunt, quæ ex ſolâ ſcripturâ clare & certò ſciri non queunt: vt, Quinam libri ſint Canonici? an paruuli baptizandi, qui de fide doceri non poſſunt? An præceptum Apoſtolicum de non comedendo ſanguine & ſuffocato adbuc obliget, &c. Ergo ſola ſacra ſcriptura non eſt norma omnium quæ credenda ſunt. Eadem iſta ponit Apoſtata, niſi quòd pro primâ illâ voce *Secundò*, æquiualens ſcilicet illud, *Primum* (argumentum) *tale eſt*, fidelisſimè ſubſtituat, & maioris ex ipſomet petitam Confirmationem breuitatis aut aliâ de cauſâ præteruolet.

Aran. cap. 8. pag 55.

Deinde vbi & P. Foreri ac P. Simonis eodem argumento vtentium exempla ſubiecit ſic claſsicũ canit. *Hæc ſcilicet ſunt illa grauia religionis capita, quæ ſcripturæ teſtimonijs demõſtrari nõ poſſe, Treſuiri iſti Ieſuitici præſidenter cenſent & iactant.* Cenſemus. Vtrũ iactemus nos, an vtrùm Apoſtata mentiatur, poteſt Lector ex ipſis ſyllogiſmi verbis paulo antè recẽſitis iudicare. Sed pergit Buccinator. *Hoc eſt illud ſymbolum Ieſuiticum præclararum duodecim traditionum, quo vnicæ normæ encomium SS. literis* TRADITORES *iſti* (qualis nimirum etiam Cæſar & omnes Principes Catholici Eccleſię Traditionibus adhærentes: quamuis rectiùs nos S. Auguſtinum imitemur, à quo hæreticus *traditor* appellatur: nam ille *traditor* inquit, *probatur*, qui lecto *teſtamento*, in quo iubemur ſtare & tenere traditiones, quas didicimus, *non ſequitur*) *ereptum eunt. Sed nihil agunt. Nam ad hæc & plura alia huiuſcemodi exempla prolixè &* SOLIDE *à noſtris ſæpiùs reſponſum eſt. Nunc ad ſingula breuiter & pro inſtituti ratione, quod ſatis eſt.* Hoc claſsicum eſt, quo nos bellator iſte, *vnicæ normæ encomium SS. litteris ereptum ire* profitetur, & quidem admodùm proteruè, quaſi nimirum veritas falſis enco-

Qui traditionibus diuinis adhærent, ab Apoſtatâ Traditores vocantur.

S. Auguſt. in Pſal. 21.

Digitized by Google

encomijs neceſſe habeat laudari. At mittamus claſsicum. Ineamus prælium, ſed ſine fugâ, ſine circuitu, ſine tergiuerſatione huic Vlyſsi conſuetâ, ſi poteſt fieri, vt Vlyſſes non ſit Vlyſſes, ſed Achilles,

Hoſtibus haud tergo ſed forti pectore notus. *Catull. de Nuptiis Pel. & Thet.*

CAPVT VII.

POSSITNE EX SOLA SCRIPTVRA CLARE ET CERTO SCIRI, QVINAM LIBRI SINT CANONICI.

ALIQVOT ad hanc quæſtionem, ſeu ſecundum meum argumentum reperit reſponſa, immò effugia Iacobus noſter, ſed ita inuoluta, ita latebroſa, vt poſtquam omnia legeris, neſcias ferè quid legeris, præter exclamationes, execrationes, obliquas torturas,

Confidentiam, confirmitatem, fraudulentiam. *Plaut. Mil. Glor.*

Ita argumentor. *Si ſola ſcriptura eſt norma omnium, quæ credenda ſunt, tunc ex illâ neceſſe eſt, omnia clarè & certò ſciri poſſe, quæ ad Religionem ſpectant.* Hæc maior ita clara eſt, vt ad eam ne verbulo quidem reſpondeat, ſed tacens conſentire & concedere videatur. Immò ipſorum Aduerſariorum eſt, qui dicunt: *Scripturam habemus, omnia habemus:* Item: *Laqueos ſolus ille ſacer Codex detegit: Neque alia,* ait Lutherus, *doctrina in Eccleſiâ tradi & audiri debet, quàm purum verbum Dei, hoc eſt, ſancta ſcriptura. Doctores, vel Auditores alij cum ſuâ doctrinâ anathema ſunto.* Stat ergo maior, quauis rupe ſolidior; Subſumo minorem. *Sed inter ea quæ ad Religionem ſpectant, eſt etiam illud, quinam libri ſint Canonici, quod tamen ex ſolâ ſcripturâ clarè & certò ſciri non poteſt. Ergo ſola ſcriptura non eſt norma omnium, quæ credenda ſunt.* Maior, vt vidimus, iam rude donata eſt. Quid dicis, Iacobe, ad minorem? concedis? at ſic a-

Maiorem Apoſtata negare non vult.

Luther. in comment. c. 1. ad Galat.

Dum autem minorē negare non poteſt quid agat?

ctum eſt de tuâ normâ. Inſtat mox concluſio, quæ te iugulat. Negas? At ſic nouus tibi minimè laborioſo,& plus quàm Herculeus labor naſcitur. Cùm enim illud negare non poſsis. *Inter ea quæ ad Religionem ſpectant, eſſe etiam illud: Quinam libri ſint Canonici*, mox tibi incumbet, *Ex ſolâ ſcripturâ clarè & certò oſtendere; Quinam libri ſint Canonici?* Atqui hoc non potes. Nam alibi Meiſnerum ſic loquentem: *Notum & aliquoties probatum eſt, fidem veram non niſi ex ſcriptura hauriri:* Sic contudiſti: *Nec tu, nec tui vnquam falſiſſimum hoc veſtrum principium probauiſtis, à nobis non ſemel conuicti eſtis credere quod ſcriptum non eſt. Vt alia taceam, vel ad vnam illam traditionem non ſcriptam de diuinorum librorum authoritate ita* MISERE *hæretis, vt aliqui à ſcripturâ ad propria veſtri cerebelli criteria turpiter confugiatis, non nemo etiam veſtrum vni illi traditioni fidem diuinam adhibere non vereatur.* Et paulo priùs. *Quaſi verò quidquid in ſacris ſcriptum non eſt, fidem parere non poſſit. Vbi ſcriptum teſtimonium de authoritate huius illiúſue libri ſcripturæ, Ideóne fidei generandæ inidoneum? Mira opera, quæ Chriſtus patrabat, doctrinæ ſuæ confirmandæ, ſcripta non erant, & tamen meritiſſimè intuentes cunctos ad fidem dictis illius adhibendam permouere debebant. Idem de Apoſtolis eorúmque ſucceſſoribus Gentes ab Idololatriâ ad Chriſtianam fidem ſuſcipiendam, primò inducentibus verè dicere in promptu eſt. Gentiles Eccleſiam primò ex miraculis, ſanctis moribus, mira propagatione prudenter agnouerunt; tum deinde in ſcripturis, quibus ab illâ credere didicerũt, eius authoritatem certâ fide compererunt.* Hæc ex tuo muro, tuiſq; lapidibus cõtra te ædificantur. *Quà igitur exiturus es, vt euadas quæſtionem: Nõ habes quà exeas, ſed habes quò intres.* Saltem diſtingue, miſer, ſi negare non potes. Circumſpice omnes angulos, quære pyxidem aliquam Pandoræ: verſa te huc, verſa illuc, vt clypeum inuenias. Para artem & diſciplinam, obtine colorem: vt eum, qui hîc te vidit captum, vero vincas, vt ne captum viderit, & licet hîc manifeſtè deprehenſus ſis, tamen inficias eas, idq; ex Palæſtrionis tui conſilio.

Iac. Reihing. in Excub. c. 1. §. 1. & 2.

S. Auguſt. in Pſalm. 21.

Noua reſpõdendi formula Prædicantica, per conuitia.

Bonum factum! reperit naufragus corticem qui eum ſeu ad portum, ſeu ad nouos ſcopulos deferat. Ergo vſitatiſsimo Prædicantium artificio, ne Sigalion videatur, Stentorem agit; & dum reſpondere non poteſt, conuitiari poteſt, præ dolore

in

Digitized by Google

in exclamationem effuſus, iam *Impietatem Ieſuiticam*, iam *impium calamum*, iam *pudendam Bellarmini contradictionem*, iam *ineptum & indoctum Stengelij poſtulatum* impatienti rugitu deteſtans. Adeſte Logicæ tirones, atque è Prædicanticâ ſcholâ extemplo diſcite quoduis argumentum ſoluere, & difflare. Si maior eſt certa; ſi minorem concedere non vultis, ſi negare aut diſtingure non poteſtis; nolite tamen ſilentio vos victos fateri: non eſtis Pythagoræ, ſed Ariſtotelis diſcipuli, alacres vos eſſe decet; ſi nihil eſt quod ad argumentum dicatis, eſt quod in argumentantem exclametis, impium illum vocate, & viciſtis. Hæc forma reſpondendi, ſi non eſt Peripatetica, ſaltem eſt Prædicantica: paruum eſt diſcrimen, vtros ſequamini, vtrique ſunt barbati. *Aran. cap. 8. pag. 56. & 57.*

Altera Prædicantica reſpondendi formula per inanes promiſsiones.

Sed & alia ſunt condimenta, quæ ab hoc hominum genere diſcere poteſtis. Si vobis hæret aqua, ſi laboratis, ſi mens curas cogitat, ſi digitis concrepandum eſt, ſermonem in ſpes magnas effingite, promittite vos Aduerſarij argumentum *non modo impium, ſed etiam ineptum admodum, & indoctum eſſe, clariſſimè demonſtraturos.*

Tertia Reſpondendi formula Prædicantica pro arbitrio immutatis propoſitionibus.

Exemplum ab Apoſtatâ capite, qui ad minorem illam, primò ſic reſpondet. *Poſtulat primùm Stengelius ſibi è ſcripturâ monſtrari, hunc vel illum librum ſcripturæ eſſe Canonicum.* Mentiris Apoſtata, & ſciens Lectorem decipis, non *poſtulo mihi è ſcripturâ monſtrari* HVNC VEL ILLVM LIBRVM SCRIPTVRAE *eſſe Canonicum*, vt tu ſubdolè inuertis quæſtionem (quanquam nec ita quidem euaderes, recurrente itidem in particulari quæſtione, quæ in genere proponebatur) ſed *poſtulo mihi è ſolâ ſcripturâ monſtrari, Quinam libri ſint Canonici? qui non ſint?* Neque enim HIC tantùm vel ILLE LIBER *qui à ſcripturâ citatur, ſed etiam alij libri* qui non citantur, ſunt Canonici, & in hac quæſtione comprehenduntur; quæritur enim, Vnde conſtet, ſcripturas ſacras tam in genere, quàm particulatim eſſe diuinas, & eſſe illorum auctorum, quibus aſcribuntur? Vbi obiter nouam ſolertiam Dialecticorum tirones habent annotandam, vt ſcilicet, Prædicantium more, Propoſitiones, non bonâ fide reddant, ſed mutando ad arbitrium eneruent; & per os ſuum non gratis currere ſi-

nant;

Digitized by Google

ſinant ſicut Iudæi monetæ faciunt, quæ per manus eorum & ipſa ſine circumciſione non tranſit. Sicut ergo aliud eſt, vniuerſim monſtrare, *Quænam animalia ſint munda? Quænam moneta ſit proba, &c.* aliud tantùm monſtrare, *hoc vel illud animal eſſe mundum: Hanc vel illam monetam eſſe probam*: ita aliud quoque eſt *monſtrare, Hunc vel illum librum ſcripturæ eſſe Canonicum*; aliud, *Quinam libri ſint Canonici.* Hoc diſertis verbis poſtulaui, at Apoſtata, vt rimam elabendi faceret (quamuis ne ſic quidem fecerit) illud me poſtulâſſe dixit. Quod nihil eſt aliud quàm verba alterius adulterare. *Non ſatis eſt ſcire,* inquit Bellarminus, *eſſe ſcripturã diuinam, ſed oportet ſcire, quæ ſit illa, id quod nullo modo poteſt haberi ex ſcripturis. Quomodo enim colligemus ex ſcripturâ Euangelia Marci & Lucæ eſſe vera, Euangelia Thomæ & Bartholomæi eſſe falſa? cùm ratio potiùs dictet, magis credendum libro præferenti titulum Apoſtoli, quàm non Apoſtoli. Et vnde colligam epiſtolam ad Romanos eſſe verè Pauli, epiſtolam ad Laodicenſes, quæ nunc circumfertur, non eſſe Pauli? cùm vtraque præferat titulum Pauli, & in epiſt. ad Coloſſ. c. vlt. dicat ſe ſcripſiſſe ad Laodicenſes, nuſquam autem dicat ſe ſcripſiſſe ad Romanos? Item oportet etiam non ſolùm ſcire qui ſint libri ſacri, ſed etiam in particulari, iſtos qui ſunt in manibus eſſe illos. Non enim ſatis eſt credere Euangelium Marci eſſe verum, Euangelium Thomæ non eſſe verum, ſed oportet etiam credere, hoc Euangelium quod nunc legitur nomine Marci eſſe illud verum & incorruptum, quod ſcripſit Marcus, quod certè ex ſcripturis haberi non poteſt. Quomodo enim ex ſcripturâ colligam hoc Euangelium non eſſe ſuppoſititium, vt dicunt Mahumetani, vel certè totum deprauatum, vt dicebant olim Manichæi, & nunc Anabaptiſtæ?* At quidquid ſit de hac fallendi arte, quâ vtitur Apoſtata, videamus ad poſtulatum meum quid reſpondeat?

Bellarm. lib. 4. de Verbo Dei non ſcripto cap. 4.

Particulares de Scriptura quænam quæſtiones Hæreticis ponantur.

Ego verò, ait, Stengelio hoc ſuum è Bellarmino ſurreptum poſtulatum, non modo IMPIVM *ſed etiam* INEPTVM *admodùm &* INDOCTVM *eſſe clariſſimè* DEMONSTRABO. Eodem hiatu oris me accuſat & abſoluit Apoſtata. ſi enim poſtulatum hoc è Bellarmino ſumtum eſt (*ſurreptum* vocat qui totos penè libros ſurripit & pro ſuis deſcribit) facilè ſcient pij illud *impium* non eſſe, & docti cognoſcent illud nec *ineptum* nec *indoctum* poſſe cenſeri, niſi ab impio inepto & indocto. At non cenſet tantùm, ſed etiam *clariſſimè*

DE-

DEMONSTRABO, inquit? Huc, huc denuò ſturnatim conuolate, quotquot Logicam & præcipuum Logicæ opus DEMONSTRANDI artem diſcere auetis. Cùm minorem ſyllogiſmi negare vellet, ſed apertè negare vix auderet, atque idcirco per ambitum & per verba quodamodò Bellarmini negaret, vel poti' negare velle videretur, ſed ex ſcripturis (quod tamen maximè petebatur, & etiamnum petitur) nec probaret, nec probare poſſet, *Quinam libri ſint Canonici*; ecce quàm claram, quàm certam, quàm Ariſtotelicam DEMONSTRATIONEM concinnârit, vt poſtulatum meum *impium* eſſe ſole meridiano lucentiùs oſtenderet! *Aran. pag. 56.*

Impium eſt, inquit (poſtulatum) *quia etſi teſtimonium ſcripturæ ſacræ, de* HOC *aut* ILLO *libro* (vides Lector cur minorem antea emutârit Apoſtata?) *aut etiam de totâ ſcripturâ tanquam diuinitùs inſpiratâ hominibus proferas* (en iterum vt alia fallacia *aliam trudit?* quaſi nempe per hunc ipſum D. Pauli locum probaretur, *Quinam libri ſint Canonici*, cùm libros Canonicos ſupponat non probet, ait enim *Omnis ſcriptura diuinitùs inſpirata vtilis ad docendum,* &c. non autem ait, quænam ſit *diuinitùs inſpirata*) *mox teſtimonij diuinitatem per Turcicum Alcoranum eludent, vt illam Traditionibus ſuis, non ſcriptis tranſcribant. Hoc Bellarminus fecit. Etiamſi, inquit, ſcriptura dicat, libros Prophetarum & Apoſtolorum eſſe diuinos, tamen non certò id credam, niſi priùs credidero, ſcripturam, quæ hoc dicit, eſſe diuinam. Nam etiam in Alcorano Mahumeti paſſim legimus ipſum Alcoranū de cœlo à Deo miſſum, & tamen ei non credimus. O impium calamum*, exclamat ad hæc Apoſtata impius, *qui niſi papa, aut Concilium aliter iubent, non plus diuinitatis ſcripturæ ſacræ de ſeipsâ teſtanti quàm turpi Alcorano tribuit. Quid igitur tibi Stengeli, è ſcripturâ ſacrâ teſtimonium de libris ſacris promi cupis, qui me, ſi id fecero, niſi tecum de traditione diuinâ non ſcriptâ conueniam, ad Alcoranum cum Bellarmino tuo ablegare non erubeſces?* Hæc prima eſt Apoſtatæ ad argumentum non ſolùm in formâ, ſed etiam tota formoſiſsima reſponſio, ſcilicet tot næuis plena, vt nulla vnquam verrucoſa Aethiopa fuerit plenior.

Demonſtratio Apoſtatica.

2. Tim. 3. 16.

Bellar. lib. 4. de Verbo Dei non ſcripto, cap. 4.

I. Quòd *impium* hoc poſtulatum vocet, ex Dauide Paræo Caluiniſtâ Heidelbergenſi Profeſſore ſurripuit, qui itidem hanc quæſtionem: *Vnde ſcis?* ſcribit, eſſe curioſam, impiam, & ex

Apoſtata conuitium furatus eſt.

Paraus indiſput. de aucto-

Digitized by Google

ritate ſcripturæ §. 21 & ſeqq. & in epiſtolari diſceptatione in fine vltima.

Argumentum Bellarmini quod non niſi per exclamationem reſpondet Apoſtata.

ex Eccleſiâ meritò explodendam; cùm tamen eandem ipſe Paræus vſurpârit, ex propriæ proinde ſententiæ ſuffragio curioſus, impius, & explodendus.

II. Videamus vtrùm argumentum ad DEMONSTRATIONIS formam propiùs accedat, Bellarmini an Apoſtatæ? Bellarmini tale eſt. Si ideò præcisè certò credere debeo libros Prophetarum & Apoſtolorum eſſe diuinos, quia ſcriptura id dicit, tum etiam certò credere debeo Alcoranum Machometi eſſe diuinum, cùm etiam Alcoranus de ſe dicat, ſe eſſe à Deo miſſum ſeu diuinum: Sed etſi Alcoranus hoc dicat, non tamen Alcorano credimus, quia ipſum Alcoranum aliunde conſtat non eſſe diuinum, ergo etiam niſi aliunde ſcilicet ex Traditione certò crederemus ſcripturam eſſe diuinam, non ideò præcisè certò crederemus ſcripturam eſſe diuinam, quia ipſa dicit, cùm quoad hoc ſit par ratio. Quid ad hanc demonſtrationem Iacobus? Arma abijcit, & herbam porrigit more eorum, qui ſunt victi. Nam quid aliud agit, cùm ait: *Quid igitur tibi, Stengeli, è ſcripturâ ſacrâ teſtimonium de libris ſacris promi cupis, qui me ſi id fecero, niſi tecum de traditione diuinâ non ſcriptâ conueniam, ad Alcoranum cum Bellarmino tuo ablegare non erubeſces?* Paulo clariùs dixiſſes: Quid me vrges hac quæſtione Stengeli? eò adactus ſum, vt aut traditiones tecum concedere cogar, ex quibus conſtat ſcripturam eſſe diuinam, aut vt æquè certò credere obſtringar impium Alcoranum eſſe diuinum, ac ſcripturas diuinas: quod eſt planè inter ſacrum & ſaxum hærere. Quid igitur culpæ, quid impietatis eſt in noſtro argumento? niſi quòd eo pia noſtra impietas in apricum proferat impiam veſtram pietatem, quæ nodum quem ſoluere non poteſt impiũ vocat ab ijs quos conſtringit, ſicut infelix quondam arbor dicta eſt, in quâ infelices pependerunt. Sed ſi

Demonſtratio Apoſtatica in formam redacta.

III. Deformem illam tuam *demonſtrationem* in formam ordinemque redigamus, talis fieri poteſt. *Qui niſi Papa aut Concilium aliter iubent, non plus diuinitatis ſcripturæ ſacræ de ſe ipſâ teſtanti, quàm turpi Alcorano tribuit*, is impius eſt. *Hoc Bellarminus fecit.* & poſt eum Stengelius: Ergo. Vides Iacobe demonſtrationem

tuam,

tuam, ne vltimo quidem aliquo Baccalaureo dignam? Ac primò quidem, vbique demonſtrationi tuæ impluit. Falſa eſt in eâ maior, nec vera minor falſam maiorem ſequitur: quid inde concludatur, tu videris. Nempe ex duobus Mauris albus filius non naſcitur. Atque vt ad minorem priùs dicam, ſecutus es in eâ itidem fraudem Caluiniſtæ Paræi, qui ſicut tu, teſte Becano, vel non intellexit, vel malitioſè refutauit Bellarminum. Refert enim is Bellarminum ſentire, ex ſolâ Traditione haberi poſſe, quòd ſcriptura Prophetarum & Apoſtolorum ſit diuina, & poſtea vbi Bellarminum refellit, oſtendere vult, id non poſſe haberi *ex teſtimonio Eccleſiæ, id eſt, Papâ.* quaſi Traditio idem ſit quod Papa. Eundem vel ignorantiæ vel malitiæ campum ingreſſus es tu Iacobe, qui Bellarminum & me hoc loco affirmantes ſine Traditione certò non credi ſcripturam ſacram eſſe diuinam, tacitè Syllogiſmo tuo, aliud affirmare affirmas, & ex Traditione inſcitiſsimè vel malitioſiſsimè Papam aut Concilium facis.

Becan. tom. 1. Opuſc. Opuſc. X. n. 17.

Dauid Paræus theſ. 22.

Apoſtata iterum furatus eſt, vnde errare vel decipere poſſet.

Vt autem intelligas me ad viuum radere non velle, quidquid vitij aut morbi ſit in minore, nego maiorem tuam, quæ eſt talis: *Qui, niſi Papa, aut Concilium aliter iubent, non plus diuinitatis ſcripturæ ſacræ de ſeipsâ teſtanti, quàm turpi Alcorano tribuit, is impius eſt.* Hanc maiorem nego primò, quia vt ſuprà dictum eſt, niſi mihi priùs aliunde conſtet, ſcripturam eſſe diuinam, non eſt ratio, cur ſcripturæ dicenti, ſe ſe eſſe diuinam, credam, & non idem de ſe dicenti Alcorano credam. Deinde quia ſi vera eſſet maior, tum etiam impius eſſet ſanctus Auguſtinus, qui idem quoad rem dicit, dum ait: *Ego verò Euangelio non crederem, niſi me Catholicæ Eccleſiæ moueret authoritas.* Et alio loco: *Hoc ergo credidi, vt dixi, famæ celeritate, conſenſione, vetuſtate roboratâ.* Ac contra Manichæum: *Sicut ergo,* inquit, *ego credo illum librum eſſe Manichæi, quoniam ex ipſo tempore, quo Manichæus viuebat in carne, per diſcipulos eius, certâ ſucceſſione Præpoſitorum veſtrorum, ad veſtra vſque tempora cuſtoditus atque perductus eſt; ſic & iſtum librum credo eſſe Matthæi, quem ex illo tempore, quo Matthæus ipſe in carne vixit, non interruptâ ſerie temporum, Eccleſia certâ connexionis ſucceſſione vſque ad tempora iſta*

Apoſtata demonſtratione ſuâ & falſum ſupponit, & SS. Patres impios facit.

S. Aug. lib. contra epiſt. Manichæi c. 5.

Idem lib. de Vtilitate credendi. c. 14.

perduxit. Impius eſt ergo ex ſententiâ impiorum ſanctus Auguſtinus, immò omnes illi veteres, qui vno ore teſtati ſunt, *non aliunde nos habere, ſcripturam eſſe diuinam, & qui ſint libri ſacri, quàm ex traditione non ſcriptâ.* Impius eſt Serapion, qui apud Euſebium quædam immeritò inſcripta Petro repudiat, eò quòd per Traditionem accepiſſet, nihil eiuſmodi Petrum exarauiſſe. Impius eſt Clemens Alexandrinus, qui ex traditione ſibi à ſenioribus commendatâ docet, quænam ſint vera Euangelia. Impius eſt ſanctus Baſilius, qui dixit, ſi traditiones non ſcriptæ inſuper habeantur, fore etiam, vt Euangelium magnum detrimentum patiatur. Vtrùm hi omnes potiùs impij cenſendi ſint, an Apoſtata? caudex eſt, qui dubitat.

Bellarm. lib. 4. de Verbo Dei non ſcripto. c. 4.
Euſeb. lib. 6. hiſt. c. 10.
Clem. Alex. cap. 11.
S Baſil. lib. de Spir. S. c. 27.

Ipſi illi impij, qui alios impietatis temerè arguunt.

4. Quid ſi oſtendero oppoſitum maiori dicentes impios eſſe? An non enim impius eſt, qui verbum Dei contemnit, quale eſt Traditio? An non impius, qui ſine vllâ cauſsâ temerè credit verbum aliquod eſſe verbum Dei? Atqui hoc facit Aduerſarius; qui eâdem credendi leuitate Alcorano dicenti ſe eſſe diuinum, poſſet credere, quâ credit ſcripturæ dicenti ſe eſſe diuinam: ſicut ergo impius eſſet, ſi ſpretâ traditione Alcorano crederet, ita impius eſt, dum eâdem traditione Eccleſiæ contemtâ, tantùm quia ita impetu temerario rapitur, ſcripturæ credit; immò quia non credit. Siquidem eodem impetu Lutherus epiſtolam D. Iacobi ſtramineam, quo Caluinus Apoſtolicam iudicauit.

Kemnitius in examine Conc. Trid. ſeſſ. 4.

Quare longè his nugonibus prudentior hac in re fuit Kemnitius, qui dixit: *Hanc Ttraditionem, quâ nobis in manum dantur ſacræ ſcripturæ libri, reuerenter accipimus.* Aliud eſt, Iacobe, reuerenter accipere traditionem, quâ nobis in manum dantur ſacræ ſcripturæ libri; aliud eſt impium eſſe, ſine traditione ſcripturam diuinam non agnoſcere, niſi fortè & ipſum Kemnitium tuum in impiorum nauem imponis. At Brentius quoque non reperiens effugium, fatetur hanc vnam & ſolam traditionem non ſcriptam eſſe recipiendam. Quam traditionem etiam Origenes agnouit dicens; *Ex traditione didici, de quatuor Euangelijs, quòd hæc ſola, &c.* Quòd ſi ita eſt, non ergo ſola ſcriptura ſuf-

Brent. in Prolegom.
Orig. c. 18.

ra ſufficiens eſt, vt tamen Apoſtata contendit. Nam ſine hac traditione & teſtificatione Eccleſiæ ſcriptura diuina non habebitur amplius pro diuinâ. *Praeterea*, inquit Bellarminus, *ſi hac traditio ad nos peruenire potuit, cur non per eandem viam potuerunt etiam aliæ peruenire? Denique vel hæc traditio eſt verbum Dei, vel non; igitur nō habemus fidem, fides enim verbo Dei nititur; ſi ſic, cur ergo clamāt, nullum eſſe Dei verbum niſi ſcriptum?* Abire hinc, Iacobe, nullo pacto ex tot caſsibus potes, ita te vadatum errore vinctumque attinemus. *Bellarm. loc. cit.*

CAPVT VIII.

BELLARMINVSNE PVDENDAM CONTRADICTIONEM, AN IACOBVS PVDENDAM IMPOSTVRAM CRIMENQVE FALSI commiſerit? & quo modo è ſcripturâ ſcripturæ diuinitas probetur?

VASA viatoria è taxo in Galliâ aliquando facta memorantur, quæ ita ex arbore ſuâ funeſta venenataq; fuerunt, vt quantumuis ſuaue & delicatum ijs vinum infunderetur, continuò noxium fieret & inſalubre. Tali poculo ſimilis eſt hæreticus, qui etiam ſaluberrimæ doctrinæ ſuccum vertit in venenum, & ipſam veritatem pro mendacio proclamat. Nempe

Plin. lib. 15. hiſt. nat. c. 10. Hæretici ſunt boni ſucci deprauatores.

Sincerum eſt niſi vas, quodcunque infundis, aceſcit. *Horat. lib. 1. epiſt. 2.*

Huius rei itidem illuſtre exemplum protulit Apoſtata; qui cùm videret primam ſupradictam reſponſionem ſuam prorſus tineoſam eſſe, & nihil apud Themiſtium, ac fortè ne apud Simplicium quidem aliquem multùm valituram, ecce conuertitur denuò ad ſuas artes Prædicanticas, & qui argumentum mordere deberet, Bellarminum inuadit; *pudendamque* illi *contradictionem* pudendo impoſturæ genere tranſcribere

conatur. Primùm igitur illius verba, deinde fraudem in lucem dabo.

Contradictio Bellarmino impudenter aſcripta, & verbis & ſenſu verborum decurtato.

Sed audi, inquit Stengeli, *& vel pro Bellarmino tuo quia amplius non poteſt, erubeſcas.* Sacris ſcripturis, *inquit Bellar. lib. 1. de verbo Dei ſcripto cap. 2. quæ* Propheticis & Apoſtolicis litteris continentur, nihil eſt notius, nihil certius, vt ſtultiſsimum eſſe neceſſe ſit, qui illis fidem dandam neget. *Eodem loco ſcripturas non humana inuenta, ſed oracula diuina continere aſſerit, eiuſque aſſertionis ſex teſtes, & inter illos quartum ipſam ſcripturam producit. Ita tum quidem ſatis piè Bellarm. de ſcriptura diuinâ auctoritate. Cùm verò loco paulo ante citato, traditiones non ſcriptas diuinas præter ſcripturam aliquot argumentis neceſſarias eſſe contendit, quarto loco præter ea, quæ ſuprà de Alcorano recitauimus, ait;* Neceſſe eſt nôſſe extare libros aliquos verè diuinos, quod certè nullo modò ex ſcripturis haberi poteſt. *Nonne hæc pudenda contradictio eſt, vt impietatem taceam?* ſacras ſcripturas verè diuinas eſſe, teſtis eſt ipſa ſcriptura. *Et* Diuinas eſſe, certè nullo modo ex ſcripturis haberi poteſt. *Vtrumq; Bellarminus in eâdem controuerſiâ diuerſis locis auſus eſt ſcribere, tam impiè poſterius, quam pie prius. Et prius illud tanquam à me quoque ſibi reſponſum habeat Stengelius.* Hæc Apoſtata, qui quia

Plaut. Mil. Glor.

Domi habet animum falſiloquum, falſificum, falſiiurium,

poculi è taxo facti inſtar, bona verba, quaſi bona vina in virus commutat; vt proinde non ego pro Bellarmino, ſed Lutherani pro Apoſtatâ meritò denſiſsimè erubeſcant, & toti in oſtrum pudore incendantur.

Accipite, obſecro Lutherani, & expendite non iam *pudendam* Bellarmini *contradictionem*, ſed pudendam Apoſtatæ impoſturam & falſimoniam. Verba Bellarmini ſunt poſteriore loco, iſta: *neceſſe eſt nôſſe exſtare libros aliquos verè diuinos, quod certè nullo modo ex ſcripturis haberi poteſt. Nam etiamſi ſcriptura dicat, libros Prophetarum, & Apoſtolorum eſſe diuinos, tamen non certò id credam, niſi priùs credidero ſcripuram, quæ hoc dicit, eſſe diuinam. Nam etiam in Alcorano Mahumeti paſſim legimus, ipſum Alcoranum de cœlo à Deo miſſum & tamen ei non credimus. Itaque hoc dogma tam neceſſarium, quòd ſcilicet aliqua ſit ſcriptura diuina, non poteſt ſufficienter haberi ex ſolâ ſcripturâ.*

Bellarm. lib. 4. de Verbo Dei non ſcripto cap. 4.

Digitized by Google

pturâ. Proinde cùm fides nitatur verbo Dei, niſi habeamus verbum Dei non ſcriptum, nulla nobis erit fides. Idem prorſus dicit Bellarminus priore loco, ergo ſibi non contradicit, ſed Apoſtata malâ fraude Lectorem decipit. Quòd prorſus idem dicat Bellarminus priore loco, ac poſteriore, tam ex diſcurſu, quàm ex verbis illius perſpicuū eſt intelligere. Nam I. ſicut loco poſteriore docuit, *extare libros aliquos verè diuinos*; ita docuit & priore. I I. ſicut poſteriore loco docuit, *ſcripturam dicere libros Prophetarum & Apoſtolorum eſſe diuinos*, ita docuit & loco priore. I I I. ſicut poſteriore loco docuit, hoc dogma. *Quòd ſcilicet aliqua ſit ſcriptura diuina, non poſſe ſufficienter haberi ex ſola ſcripturâ.* ita docuit & priore. 4. (Quòd malitiâ excæcatus Apoſtata videre non voluit) ſicut poſteriore loco docuit *etiamſi ſcriptura dicat, libros Prophetarum & Apoſtolorum eſſe diuinos, tamen non certò id ſe crediturum, niſi priùs credidiſſet ſcripturam quæ hoc dicit, eſſe diuinam*: ita & priore loco docuit. Quæ hîc contradictio? ſufficit hoc reſponſum, ſed tamen porrò *perſequar inimicos meos, & comprehendam illos: & non conuertar, donec deficiant.* Vt ergo clarè appareat, idem vtrobique à Bellarmino dici, videamus enucleatiùs quid dicat etiam priore loco, poſtquam poſteriorem locum annotauimus. Nam cùm inibi contra Svvenckfeldium & Libertinos, itemque contra Lutheri & Caluini eundem Svvenckfeldij & Libertinorum errorem Catholicis iniquiſsimè aſcribentium impudentiam, ad illam quæſtionem, *An id ſolùm pro Verbo Dei habendum ſit, quòd Spiritus ſanctus priuatim vnicuiq; in corde loquitur,* reſpōdiſſet *Libris, qui Canonici nominantur, Verbū Dei contineri*, exerteq; præmiſiſſet: *Vt & illorum errorem, & horum mendacium breuiter refellamus illud,* INPRIMIS STATVENDVM ERIT: *Propheticos & Apoſtolilibros iuxta mentem Eccleſiæ Catholicæ, & olim in Concilio III. Carthaginenſi cap. 47. & nuper in Concilio Tridentino ſeſſ. 4. explicatam, verum eſſe Verbum Dei, & certam ac ſtabilem regulam fidei,* cùm inquam, hęc exertè præmiſiſſet, in primo ſtatim argumento clariſsimè mentem ſuam declarauit, nempe ſe ex ipſis ſcripturis (inter cetera argumenta) etiam probaturum diuinitatem ſcripturarum, ſuppoſito ſcilicet, & INPRIMIS STATVTO, *Propheticos & Apoſto-*

Idem lib. 1. de Verbo Dei c. 2.

Pſal. 17.38.

Ibid. c. 1.

Bellarminus idem ſupponit vtroque loco, quod diſsimulat Apoſtata.

poſto-

Digitized by Google

poſtolicos libros iuxta mentem Eccleſiæ Catholicæ, &c. verum eſſe Verbum Dei, & certam ac ſtabilem regulam fidei; Hoc enim ex Traditione & definitione Eccleſiæ ſuppoſito, dicit & docet etiam poſteriore loco Bellarminus, poſſe ex ſcripturis probari diuinitatem ſcripturarum.

Et quoniam hæc ſuppoſitio probatioque contra Svvenckfeldium ac Libertinos ſacras literas & oracula diuina contemnentes, nullas habitura vires videbatur, præmonuit candidè nihilominus ſe eas non omiſſurum, propter cæteros qui ſcripturas meritò venerantur, ne ſcilicet illi turbari ſe ſinant Schvvenchfeldij obiectionibus, quaſi ſcripturæ ipſæ contra ſcripturas pugnent. Verba Bellarmini ſunt: *Principio Moſes & Prophetæ Chriſtus ipſe, Ioannes, Apoſtoli, vel diuina dogmata ex ſcripturis ipſi confirmabant, vel certè ad ſcripturas legendas alios hortabantur, nec vllum vnquam ad interni ſpiritûs iudicium, ſcripturis neglectis, remiſerunt. Quorum teſtimonia* NON EO A NOBIS ADFERVNTVR, QVOD AB ADVERSARIIS MAGNI FIERI ÆSTIMEMVS; *ſed ne ſcripturæ, quarum auctoritate aduerſus* NOS, QVI EAS MERITO VENERAMVR, *aduerſarij interdum abutuntur, pro eorum ſententiâ facere videantur.*

Ibid. cap. 2.

Quomodo Bellarminus ſcripturam probet eſſe Verbum Dei.

His ſic præmiſsis, aliquot ſcripturæ teſtimonia ex ipsâ ſcripturâ ſubiungit; atque his rurſus rationem illam ſubijcit, quòd regula fidei certa notaque eſſe debeat: Cùm ergo priuata illa ſpiritûs reuelatio, etiamſi in ſe certa foret, nobis tamen nota eſſe non poſsit, niſi diuinis teſtimonijs, ſeu veris miraculis confirmata, quorum apud iſtos extrema penuria eſt; & æquè alij ac Anabaptiſtæ iactent ſe Spiritum ſanctum ducem habere; contrà autem ſacris ſcripturis nihil ſit notius in orbe Chriſtiano, nihil certius, meritò concludit eas potiùs pro notâ certaque fidei regulâ habendas, quàm enthuſiaſmum illum hæreticorum. Porrò quòd ſcripturæ ſacræ certiſsimæ atque veriſsimæ ſint & oracula diuina contineant à veritate vaticiniorum, à conſpiratione eorum, qui ſacra volumina ſcripſerunt, à Deo eadem volumina mirificè protegente, ab ipsâ ſcripturâ ſic teſtante, à miraculis dogmata ſcripturæ comprobantibus confirmat, tandemque ita concludit: *Quare cum ſacra*

Ex S. Aug. lib. 11. de ciuit. Dei c. 9. & 10. Item ex lib. 18. c. 41. Ioſeph. lib. 12. Antiq. c. 2. Euſeb. lib. 8. Præparat. Euang. c. 1.

Digitized by Google

tra ſcriptura regula credendi certiſſima tutiſſimáque ſit, ſanus profectò non erit, qui eâ neglectâ, ſpiritûs interni, ſæpe fallacis, & ſemper incerti iudicio ſe commiſerit.

Vbi iam es, Apoſtata, cum tuâ contradictione? quæ vt tantò maiorem contradictionis ſpeciem haberet, à te non ex meris verbis Bellarmini, ſed mixtis tuis, & plurimis illius verbis eſt conflata. Et tamen ita conflata eſt, vt neque ſic contradictio vera poſsit cenſeri. Sed quia propter verborum centones litem tibi mouere non placet, attentè cõſidera, quid contradictionem nominâris. Vel enim ita Bellarminum accipis, vt in priore loco, cùm dixit, *Sacras ſcripturas verè diuinas eſſe, teſtis eſt ipſa ſcriptura*, intellexerit, illam eſſe teſtem certum, cui certò credi debeat, vel tantùm teſtem probabilem, & vtique priuato illi Anabaptiſtico ſpiritui, qui omni prorſus teſte deſtituitur, anteferendum. Alterutro modo Bellarminum intelligere eſt neceſſe. Neutro modo eſt contradictio. Nam ſi probabilem duntaxat ſuiipſius teſtem ſcripturam eſſe docet, quo modo hæc duo ſibi contradicunt, *Sacras ſcripturas verè diuinas eſſe, teſtis inter cetera probabilis eſt ipſa ſcriptura.* Et: *diuinas eſſe* CERTE (id eſt plus quàm probabiliter) *nullo modo ex ſcripturis haberi poteſt? Nam etiamſi ſcriptura dicit, libros Prophetarum & Apoſtolorum eſſe diuinos, tamen non* CERTO *id credam, niſi priùs credidero, ſcripturam, quæ hoc dicit, eſſe diuinam. &c.*

Duplici modo Bellarmini probatio procedit, neutro ijs quæ Apoſtata dicit contradicit.

Non primo.

Quòd ſi contendis, priore illo loco Bellarminum ſcripturam vocare certum infallibilemque ſuiipſius teſtem, nec dum aliquid conficis. Satis enim oſtendi ſuprà Bellarminum circumſpectè præmonuiſſe INPRIMIS STATVENDVM ESSE *Propheticos & Apoſtolicos libros iuxta mentem Eccleſiæ Catholicæ &c. verum eſſe Verbum Dei, & certam ac ſtabilem regulam fidei.* Quo ſemel *ſtatuto*, apud eos qui ſacras *ſcripturas venerantur*, rectè certeque probat ex ipſis ſcripturis diuinitatem ſcripturarum. At quid aliud in poſteriore loco dicit? An quia idem dicit, tuo iudicio contradicit? Si igitur Bellarminum legis, & verba plana Latinaque intelligis, hæc duo reperies ab illo dici: *Sacras ſcripturas verè diuinas eſſe, certus teſtis eſt ipſa ſcriptura, apud eos qui illam vt diuinam*

Non ſecundo

Digitized by Google

venerantur. Et. *Abſtrahendo ab eo*, (vt neceſſariò abſtrahunt, qui Traditiones & auctoritatem Eccleſiæ contemnunt) *quòd aliundè conſtet ſcripturarum diuinitas, diuinas eſſe* CERTE *nullo modo ex* (ſolis) *ſcripturis haberi poteſt*. Ita clarè Bellarminum ſentire & ſcribere nemo non videbit, qui locum vtrumque percurret. Sed Apoſtata, qui iam dudùm corruptor eſſe cœpit, etiam his Bellarmini verbis, verborumque intellectui manum impurã iniecit, & mutilè citauit, vt criminari partem poſſet, qui in integro nihil momo dignum inuênit. At ſi hoc illi impunè facere licebit, paulo poſt etiam in ipſis ſcripturis antilogias nobis oſtendet. Dicet enim in illis alicubi legi; *Qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam*: Atqui alio loco rurſus legitur, *qui diligit iniquitatem, odit animam ſuam*. Vnde pulcherrimè contra Spiritum ſanctum inferet: *Ergo qui diligit iniquitatem, in vitam æternam cuſtodit animam.*

Si quædam tantùm verba excerpere, & ſenſum deprauare licet, qualia monſtra prodeãt.

Ioan. 12. 25.

Pſal. 10. 5.

Alius manu ſcripturas alius ſenſu expoſitiones interuertit, inquit Tertullianus, *Neque enim ſi Valentinus integro inſtrumento vti videretur, nõ callidiore ingenio, quã Marciõ manus intulit veritati. Marcion enim exertè & palàm machærâ, non ſtylo vſus eſt; quoniam ad materiam ſuam cædem ſcripturarum confecit. Valentinus autem pepercit: quoniam non ad materiam ſcripturas, ſed materiam ad ſcripturas excogitauit: & tamen plus abſtulit, & plus adiecit, auferens proprietates ſingulorum quoque verborum, & adijciens diſpoſitiones non comparentium rerum. Hæc ſunt ingenia de ſpiritalibus nequitiæ, cum quibus luctatio eſt nobis fratres; meritò contemplandæ fidei neceſſaria, vt electi manifeſtentur, vt reprobi detegantur. Et ideò habent vim, & excogitandis inſtruendíſque erroribus felicitatem: non adeò mirandam quaſi difficilem, & inexplicabilem; cùm de ſecularibus quoque ſcripturis exemplum præſto ſit, eiuſmodi facilitatis. Vis hodie ex Vergilio fabulam, in totum aliam componi, materiâ ſecundùm verſus, verſibus ſecundùm materias concinnatis? Denique Ouidius Geta Medeam Tragœdiam ex Vergilio pleniſſimè expreſſit. Meus quidam propinquus ex eodem Poëtâ, inter cætera ſtyli ſui otia Pinacem Cebetis explicuit. Homerocentonas etiam vocare ſolent, qui de carminibus Homeri propria opera more centonario ex multis hinc inde compoſitis in vnum ſarciunt corpus. Et vtique fœcundior diuina litteratura ad facultatem cuiuſcunque materiæ.* Ad hunc

Tertull lib. de præſcript. aduerſus hæret. cap. 18.

Ars hæreticorum quiduis ex quouis probandi.

hunc modum Apoſtata Bellarmino fecit, nec verbis eius integrè recitatis, nec ſenſu ſeruato. Quod ſi licet, nihil ampliùs reſtat, niſi vt quiduis è quouis probet.

Sed omnium belliſsimum eſt, quod in fine ſubiungit, dicens, *Et prius illud tanquam à me quoq; ſibi reſponſum habeat Stengelius.* nempe illud prius, *ſacras ſcripturas verè diuinas eſſe, teſtis eſt ipſa ſcriptura.* Quid ais Apoſtata, huc tandem aliquando deueniſti, vt cum Bellarmino conſentias? hæccine tua eſt reſponſio? At vide quàm abſurda, quamque cauſſæ tuæ aduerſa. Vel enim cùm Bellarminus ait, ſcripturas *certiſſimas atque veriſſimas eſſe, nec humana inuenta, ſed oracula diuina continere* (hæc enim ſunt verba illius) *teſtis eſt ipſa ſcriptura, cuius ſi veræ fuerunt prædictiones rerum futurarum, vt euentus poſtea comprobauit, cur vera non ſint præſentium teſtimonia?* Vel inquam, cùm hæc ait Bellarminus, de probabili duntaxat teſte locutus eſt, & mox te iugulat argumentum Bellarmini, poſteriore loco, propoſitum. Nam etiamſi teſtimonio probabili ipſa ſcriptura de ſuâ diuinitate teſtetur, non poteſt tamen eo tanquam infallibili normâ niti fides diuina, quæ verbo auctoritateque Dei debet niti, & in hoc quidem articulo, verbo Dei non ſcripto, *Nam etiamſi ſcriptura dicat, libros Prophetarum & Apoſtolorum eſſe diuinos, tamen non certò id credam, niſi priùs credidero, ſcripturam, quæ hoc dicit, eſſe diuinam.* Vel cùm illa verba poſuit, locutus eſt Bellarminus de teſtimonio ſcripturæ, vt certo ac diuino: At tunc longè minus te iuuat; Ponit enim Bellarminus, teſtimonium illud certum diuinumque non poſſe cenſeri, niſi INPRIMIS STATVAMVS, *Propheticos & Apoſtolicos libros iuxta mentem Eccleſiæ Catholicæ, & olim in Concilio III. Carthaginenſi, cap. 47. & nuper in Concilio Tridentino ſeſſ. 4. explicatam,* VERVM ESSE VERBVM DEI, ET CERTAM AC STABILEM REGVLAM FIDEI. Si igitur *prius illud tanquam à te quoque mihi reſponſum habere debeo,* habeo quod volo; reſpondes enim ex ſolâ ſcripturâ certò ſciri non poſſe, *Quinam libri ſint Canonici*; adeoque manet primus ille meus Syllogyſmus & argumentum, & tu peris. Vel certè ſi tu pro impudentiæ tuæ confidentiâ adhuc te iactas, quaſi ex Bellarmino habeas, *ex ipſâ ſolâ ſcripturâ haberi, ſcripturæ diuinitatem*, age hîc Rhodus,

NB. Apoſtata cōcedit ex ipsâ ſcripturâ poſſe probari eius diuinitatem, ſed non addit ancertò & ex ſolâ? Quod tamen in quæſtione eſt; & ſic probare non poteſt. Quare Reſpōdendo non reſpondet.

dus, hîc ſalta, oſtende vndenam id certò habeatur? Hæc medulla eſt quæſtionis, hanc vt attingeres, oſſa argumenti frangenda fuiſſent. Sed tu id tacito pede præterire, & potiùs nucleum relinquere, quàm nucem frangere voluiſti. Quo modo enim è ſcripturâ ſolâ ſcripturæ diuinitatem certò oſtenderes. An quia Dauid ait, *ſpiritus Domini locutus eſt per me, & ſermo eius per linguam meam?* At hoc ipſum Alcoranus dicit. Ergo æque certò credis Alcoranum eſſe diuinum ac ſcripturas ſacras? Nonne hoc eſt impium? Tanti ſcilicet eſſe Alcoranum quanti diuina oracula. Et tamen ſi hæc probatio certa eſt, tanti neceſſe eſt eſſe apud te Alcoranum, quanti diuinum volumen; cùm eadem ſit vtriuſque ratio. Apud nos autem nulla eſt Alcorani, ſumma ſcripturæ ſacræ auctoritas; quia Traditionem & Eccleſiam habemus, cuius auxilio diſtinguimus de diuinitate propriâ libros teſtantes; nec ſatis eſt nobis librum aliquem dicere ſe eſſe diuinum; ne hæreticorum more in temeritatem præcipitemur, qui quamuis clament ſe Alcorano non credere, nullam tamen cauſam prætexere poſſunt, cur Alcorano non credant, dicenti, *ſe de cælo à Deo miſſum,* & tamen ſoli ſcripturæ ſacræ idipſum de ſe quoque affirmanti certiſsimò credant. Ipſi itaque impietatis rei ſunt, qui nos impietatis falſò accuſant; vt proinde etiam hîc de Apoſtatâ verum ſit illud; *Lacum aperuit, & effodit eum: & incidit in foueam, quam fecit. Conuertetur dolor eius in caput eius: & in verticem ipſius iniquitas eius deſcendet.*

2. Reg. c. 23.

Pſal. 7. 16. & 17.

Ceterùm hæc in Bellarmini gratiam & Calumniatoris pudorem diſputare volui, vt de illius doctrinâ, & de iſtius vanitate palàm conſtaret; qui vt Lectorem & hîc & alibi identidem, à ſcopo & viâ abducat, offam illi obijcit alienam. Non enim quærebatur, quid Bellarminus docuerit, ſed quo modo Iacobus ex ſolâ ſcripturâ certò oſtendat, *Quinam libri ſint Canonici?* Alioqui ſi & mihi liberet hoc eluſionis artificio vti, poſſem non per truncata tortaque illorum verba fictas duntaxat, ſed prorſus veras Prædicantium antilogias totis plauſtris aduehere, & Iacobo obtrudere; quando Tubingenſis Profeſſor

Lutherani ipſi fatentur ſuas contradictiones.

&

& Decanus Theodorus Thummius apertè ita de Prædicantibus ſcribit. *Certum eſt, Noſtros Theologos etiam ſinceriſſimos, de hoc Negotio, vniuerſali videlicet regimine Chriſti hominis in ſtatu Exinanitionis, loqui & ſcribere ἐναντιοφανῶς καὶ ἀντιφατικῶς, non minus ac de omnipræſentiâ, &c.* Ac paſsim alibi refert, quæ Menzerus, & Feurbornius in Σκιαγραφίᾳ Theologicâ, itemque in alijs ſcriptis contra Tubingenſes ſparſerunt tanquam contra *Nouatores, Schiſmaticos, Turbatores iuuẽtutis, Hubęrianos, &c.* quæ clarè indicant, quàm clarè Prædicantes ſibijpſi contradicant. At hoc non mirum eſt, vt enim veritas ſibi vbique congruit, ita nihil mendacijs & mendacibus citiùs diſcordat; cùm vero coniunctionis vinculo deſtituantur.

Thummius in ταπεινωσιγραφίᾳ ſacrâ pag. 86. & 87.

Thum. ibid. pag. 34. pag. 138. pag. 139. pag. 140. & ſeqq.

CAPVT IX.

NOSNE AN HÆRETICI, IN DEMONSTRANDA FIDEI NORMA, CIRCVLVM COMMITTAMVS?

Scripſit Ariſtoteles, *homines linguâ haſitantes* idcirco *loqui non poſſe voce ſubmiſſâ, quod offenſaculo quodam vox ſiſtatur retineatúrque.* Cùm enim aliquid impedit motum, enitendum eſt. Quoniam ergo & vox quidam motus eſt, & ad expellendum quod obſtat, eniti debent, qui eiuſcemodi linguæ vitio laborant, fit, vt dum pro viribus conantur, vocem ſoleant emittere altiorem. Idem contigit Apoſtatæ, dum ad ſecundum noſtrum argumentum reſpondet nimioperè *haſitanti*, & quantò in reſponſis parturiendis difficiliùs laborat, tantò ſe vocaliùs prodenti.

Ariſtot. ſect. 11. problem. 35. Cur hæſitantes voce ſubmiſſa loqui nequeant?

Itaque cùm ad illud contra ſe vibratum (*Ex ſolâ ſcripturâ clarè & certò ſciri non poteſt, Quinam libri ſint Canonici? Ergo ſola ſcriptura non eſt norma omnium quæ credenda ſunt, &c*) reſponſa varia anxiè quæſijſſet, quæ ſtare non poſſe probè agnoſceret; tandem ad

Apoſtatæ hæſitatio.

 alia

Digitized by Google

alia delapſus eſt, itidem adeò abſurda & coacta, vt tanquam vox linguæ vitium patientis, contra ipſum hæſitanter reſpondentem clamare eumque velut immani ictu tolerato in gyrum circulumque rotare videantur. Nam ita miſero occuremus, vt apud Liuium alioſque Antiocho quondam occuriſſe leguntur Romanorum Legati. *Quos cum aduenientes ſalutâſſet dextrámque Popilio porrigeret. tabellas ei Popilius ſcriptum habentes tradit, atque omnium primum id legere iubet. Quibus perlectis, cùm ſe conſideraturum, adhibitis amicis, quid ſibi faciendum eſſet, dixiſſet: Popilius pro ceterâ aſperitate animi, virgâ, quam in manu gerebat, circumſcripſit Regem, ac priuſquam hoc circulo excedas, inquit, redde reſponſum Senatui, quod referam. Obſtupefactus tam violento imperio, parumper cum hæſitâſſet, Faciam, inquit, quod cenſet Senatus. Tum demum Popilius dextram Regi tanquam Socio atque Amico porrexit.* Porrigam & ego Apoſtatæ in hoc circulo reſipiſcenti, *tanquam Socio atque Amico manum.* Neque eum ex hoc circulo excedere antè ſinam, quàm agnoſcat ſe contra Romanos iniquè ſentire.

Liu. lib. 45.

Aran. pag. 57.

Ait igitur. *Sed praterea ineptum & indoctum eſt hominis poſtulatum de ſcripturâ. Quid ineptius & inſulſius, quàm primorum Principiorum demonſtrationem per aliqua priora petere: ſcriptura diuina in rebus fidei primum principium eſt. Quæcunque enim litteris ſacris conſignata ſunt, eâ ratione credimus diuinâ fide, quia ſcriptura diuinitùs inſpirata, ſeu quod idem eſt, quia Deus per ſcripturam ea reuelauit. Si Dei dicentis auctoritas eſt vnica vera ratio credendi, quicquid creditur; fruſtrà & ineptè huius rationis in quâ ſiſtendum eſt, alia ratio quæritur.* Hæc Apoſtata.

Apoſtata ſuo ipſius iudicio ineptus & indoctus.

Qui ſicut ſuprà dum impium hoc poſtulatum, & hæc poſtulantes impios facere conaretur, ipſe impius factus eſt; ita itidem hîc, dum *ineptum & indoctum idem poſtulatum vocat,* ſeipſum *ineptum & indoctum* eſſe demonſtrat. Nam ſi *ineptum, indoctum, & inſulſum eſt primorum principiorum demonſtrationem per aliqua priora petere,* Ergo æquè *ineptum indoctum & inſulſum eſt*, ſi non ineptius, indoctius & inſulſius, illa de facto non iam *per aliqua priora*, ſed etiam per ſeipſa demonſtrare. At hoc Apoſtata ipſum iam iam iactauit: vt adeò aliud inſpirans aliud expirans loquatur. Nonne enim proximè primùm præcedente verſu dixerat, *Et prius illud*

lud Bellarmini, quòd nimirum teſtis ſit ipſa ſcriptura ſacras ſcripturas eſſe diuinas, *tanquam à me quoque ſibi reſponſum habeat Stengelius*; vbi vel nihil ad rhombum locutus eſt Apoſtata, vti oſtendi; vel ſi vult videri ad illam quæſtionem (*poßítne è ſolâ ſcripturâ clarè & certò oſtendi, quinam libri ſint Canonici?*) reſpondiſſe, denuò ſuis caſsibus captus eſt, denuóque vænit, *Atque in eo ipſo aſtat lapide, vbi præco prædicat.* Quippe ſi ex ſolâ ſcripturâ diuinitatem ſcripturæ demonſtrat, ergo iam primum principium non per aliqua priora, ſed per ſeipſum demonſtrat; nempe idem per idem. Nonne hoc eſt *fruſtrà & ineptè* laborare? *Quid ineptius & inſulſius, quàm primorum principiorum demonſtrationem per ſeipſa* dare? *Cur certò creditis hos & hos libros eſſe diuinos? Quia ipſi dicunt ſe eſſe diuinos? At cur id illis creditis, & Alcorano non creditis idem de ſe dicenti, Quia Alcoranus non eſt diuinus, ſed illi ſunt diuini.* Parcite, Lutherani, vera dicenti, Circulo vos trahunt veſtri Prophetæ, qui tales offas obſipant, & quidem circulo, qui *tanti eſt, quanti eſt fungus putidus*, quippe cùm in re capitali nugas agant, non aliter ac ſi dicant: *Cur credimus Iacobum Reihing eſſe verè Lutheranum? Quia ipſe dicit ſe eſſe Lutheranum. Sed cur dicenti ſe eſſe Lutheranum credimus? Quia eſt Lutheranus. Atqui hoc ipſum quæritur: An ſit Lutheranus? Hoc ipſum inde certò probamus, quia ipſe dicit ſe eſſe Lutheranum, &c.* Longè citiùs miſeri, ad primum aliquod principium veniretis, quærendo. *Vnde venit ouum? Ex Gallinâ. Vnde Gallina? Ex ouo &c.* Nam citiùs ad primum ouum, & ad primam gallinam numerando aſcenderetis, quàm ad aliquod in tali circulo fundamentum. Nihil in eo primum, nihil vltimum, omnia prima vltimaque perinde ſunt, vt prorſus *in circuitu ambulent*, quicunque hanc viam ſine Traditione ingrediuntur.

Plaut. Bacchid.

Vt tamen ad rem propiùs accedam, aio, te, Iacobe, furti noui reum. Nam dum ipſe cum tuis in circuitu ambulans, alios quoque in eandem choream inuitas, immò impellere laboras, rurſum Dauidem Paræum ſimiliaque cimelia expilas. Nam Paræus quoque eundem circulum in diſputatione de auctoritate ſcripturæ, dum Catholicis inijcere tentauit, ipſe ſuo collo induit, vt videre eſt apud Becanum. Quamuis omnino

Apoſtata iterum ex Paræo clepſit.

David Paræus diſp. de auctorit. ſcript. §.21. & ſ.97.

Mart. Becan. tõ. 1. opuſc. 10.

nino tantò deterior ſit tuus, quàm Paræi circulus, quantò eſt anguſtior, breuioreque in ſe ſpatio redit. Prorſus enim ideò *credis ſcripturam eſſe diuinam, quia ſcriptura dicit. Et rurſus, ideò dicenti credis, quia eſt diuina.* Alter tamen ille circulus, in quo Catholicos agitare cupis, idem prorſus eſt cum Paræi & aliorum hæreticorum. Quare neq; etiam reſponſionem meretur, dudum à Catholicis diffractus, & à nemine refectus.

Apoſtata probat, quod nemo negat, vt etiam id quod negatur, probare videatur.

Ne illis tamen diffidere videamur, examinemus ſingula. Concedo itaque 1. *principia prima demonſtrari non poſſe*, à priori vt loquuntur; nam à poſteriori demonſtrari poſſe, de quo nos hîc agimus, ex ſancto Auguſtino & te ipſo paulo poſt declarabo. 2. concedo, *ſcripturam diuinam in rebus fidei* vnum eſſe, *ex primis principijs*, nego tamen ſolum eſſe, cum verbum Dei non ſit in ſolâ ſcripturâ. 3. concedo, *quæcunque litteris ſacris conſignata ſunt, eâ ratione credi diuinâ fide, quia ſcriptura diuinitùs inſpirata, ſeu quod idem eſt, quia Deus per ſcripturam ea reuelauit.* Nego tamen quæcunque diuinâ fide creduntur, in literis ſacris eſſe conſignata, 4. concedo, *Si Dei dicentis auctoritas eſt vnica vera ratio credendi, quidquid creditur; fruſtra & ineptè huius rationis, in quâ ſiſtendum eſt, aliam rationem quæri*, à priori; à poſteriori autem aut etiam tanquam motiuum aliquam rationem, ob quam dicentis auctoritatem eſſe diuinam aliquis credat, fruſtra aut ineptè quæri, nec tu ipſe concedis. Itaque verba tua ita ſunt fabricata, ſicut gladius Delphicus, quò quò verti poſſunt. Catholicè veſtiuntur, vt Lutheranè decipiant. Itaque cum bonum ſenſum admittant, hæc omnia tibi concedo, Iacobe. En quàm liberalis ſum! Sed quid tu ex his Catholicis veritatibus infers? An vt probes, quod nemo negat? vel potiùs vt noſtra probando improbare videaris? Crede mihi, nihil in diſputando ineptius eſt, quàm id impugnare, quod alter non dicit. Ita enim vel ſumma diſputãtis inſcitia, vel extrema nequitia detegitur. Cur ergo tu in deartuato illo tuo, & ſupra omnem Abſyrtum lacerato Sorite tandem illud infers, *Si Dei dicentis auctoritas eſt vnica vera ratio credendi, quidquid creditur: fruſtrà & ineptè huius rationis, in quâ ſiſtendum eſt, alia ratio quæritur?* Cur, inquam, hoc infers,

fers, quaſi nos huius vltimæ rationis aliam rationem quæreremus? Concedimus, fatemur, vltrò dicimus, huius rationis vltimæ aliam rationem fruſtrà & ineptè quæri: ſed nos quærere rationis iſtius aliam rationem negamus. Quid ergo tu contra ventum pugnas? quid infers? Nempe ex meriſsimis veritatibus Catholicis veritatem Lutheranam, hoc eſt, fraudem mendacijs pleniorem, quàm fuerit equus Troianus armatis viris. Quid enim ita? An idcirco idem eſt quærere de acceptatione fidei, quod de fide ſecundùm ſe? Nos de acceptatione fidei quærimus, tu de fide ſecundùm ſe reſpondes, vt quadrata rotundis miſceas, in ipſo circulo circulũ ac vertiginem paſſus.

Poteras ergo ex Theologis Catholicis diſcere, aliud eſſe, ſi quæratur de causâ fidei ſecundùm ſe, vt cur quis certò & infallibiliter credat v. g. Trinitatem, in quâ quæſtione tota reſolutio fit in auctoritatem Dei reuelantis; cũ reuelatio diuina, ſeu auctoritas Dei reuelantis ſit vnica & vltima ratio fidei noſtræ, adeoque in eâ ſiſtendum ſit, neque alia reſolutio expectanda. Rurſuſque poteras diſcere aliud eſſe, ſi quæratur de cauſâ acceptationis fidei; *vt ſi quæram, Quis te impulit, aut permouit, vt in animum induceres credere articulos tam obſcuros, & humanum captum excedentes?* De hac nunc quæſtione agitur. Hanc quæſtionem tu ineptam, indoctam, & circuli ream vocare audes? Immo audes ſciens cum illâ alterâ confundere? & per admirandos fluctus nunc laudare eandem, nunc vituperare? Verba tua tibi adduco, quæ tanquam murices tibi ipſi ſparſiſti.

Poſſunt, inquis, *teſtimonia aliqua & ſigna quæri, quibus ad credendum ſcripturæ tanquam diuinitus inſpiratæ, inducamur. Non ſanè ſunt illa reijcienda, aut ſpernenda*: (cur ergo reijcis? cur ſpernis? cur *impium, ineptum & indoctum poſtulatum* vocas, cùm quis quærit, *quinam libri ſint Canonici, vnde conſtet?*) *ratio tamen primaria fidei noſtræ, in quâ ſolidè quieſcamus, eſſe non poſſunt. Hæc eſt ſola Dei dicentis, & dictantis auctoritas. In hac niſi ſiſtat animus, abſurdè in infinitum eat, neceſſe eſt.* Vt fumum vendas, iterum vera falſis miſces. Verum eſt, ſi quæratur, de cauſsâ fidei ſecundùm ſe, tunc enim in ſolâ *Aran. pag. 27.*

Dei dicentis auctoritate ſiſtendum profitemur: falſum autem, ſi quæratur de cauſsâ acceptationis fidei, tunc enim aliam priorem, vel ſaltem notiorem dare poſſumus, in quâ ſolidè quieſcamus, vt mox patebit. Quamuis interim tua ipſius verba ex cap. 1. §. 4. Excubiarum extrahere contra te placet: *Duodecimum* inquis, *atque poſtremum Meiſneri argumentum iſtud eſt* Denique humanis præcipuè auctoritatibus fulciuntur. Multitudo verò adſtipulantium toties iactata, quid aliud eſt, quàm humanum teſtimonium, quod errori non facit patrocinium? *Eccleſiæ Catholicæ*, reſpondes, *teſtimonium ab ipſis diuinis ſcripturis ſæpiùs commendatum, diuinum rectiùs quàm humanum cenſetur: non tantùm ſtylum ſed linguam quoque Eccleſiæ ſanctus mouet ac regit Spiritus, vt qui illam audit Chriſtum audire, & qui non audit, Ethnicus eſſe à Chriſto pronuncietur. Verendũ non eſt, vt patrocinetur errori columna & firmamentum veritatis.* Hæc olim ſapuiſti Iacobe, antequã deſiperes. Sicut & illa, quibus ex ſancto Auguſtino ſanus quondam contra te ipſum nunc inſanientem oſtendiſti, *principia prima demonſtrari poſſe* à poſteriori, quod hoc loco quæritur. Nam cùm Fabricius Auguſtinum contra te protuliſſet, dixiſſetque, *hîc Auguſtinus docet malè pro fundamentis Eccleſiæ aſſumi, quæ tradit Ieſuita:* reſpondiſti: *Si valet hoc Fabritij gloſſema, addam ego, & quæ tradit Auguſtinus lib. contra epiſtolam fundamenti cap. 4. & 5. ac lib. de vtil. credendi cap. 17. His enim ille locis Eccleſiam populorum conſenſu, Conciliorum grauitate, Sanctorum prædicabili vitâ, miraculorum maieſtate demonſtrat: his gradibus culmen auctoritatis illam obtinuiſſe; his vinculis trahi, aſtringi, teneri credentes profitetur. Eſt ergo Auguſtinus Auguſtino contrarius, & idem alicubi negat, alibi affirmat? Non ſert hoc Auguſtini ſumma perſpicacitas, ſed tãtus eſt Fabritij ſtupor, vt Auguſtiniani ingenij varietatem non capiat, & in diuerſos hoſtes dextrè mutata pugnæ genera ſomniet contraria. Non iiſdem armis omnes hoſtes petendi: alia aliјs feriendis aptiora ſunt. Habuit Eccleſia Catholica hoſtes Donatiſtas, habuit hoſtes Manichæos: pro Eccleſiâ contra vtroſque acriter dimicauit Auguſtinus, vt vinceret, ad hoſtium ingenium attendit, & de iuſtis armis circumſpexit. Donatiſtæ ſcripturas diuinas recipiebant, ſua verò inania viſa iactantes, miracula Eccleſiæ contemnebant; Manichæi ſcripturas ambas, & veterem vt dia-*

Iac. Reihing. in Excubiis c. 1. Fundam. primi. §. 2.

vt diabolicam, & nouam tanquam corruptiſſimam reÿciebant, ſed grauia rationum momenta ſuſpiciebant. Diſpares ergo hoſtes, diſparibus aggreſſus eſt armis Auguſtinus. Donatiſtas in libro de vnit. Eccleſ. ſcripturarũ teſtimonÿs. Manichæos contra in Epiſtola Fundamenti, & de vtil. credendi, Doctorum, Conciliorum, populorum, miraculorum euidenti auctoritate oppugnauit. Donatiſtis per ſcripturas Eccleſiam, per iſtam miracula; Manichæis per miracula Eccleſiam, per hanc diuinas ſcripturas ſapientiſſimè demonſtrauit. Nam & ex effectu cauſa, & ex cauſâ effectus diuerſo genere demonſtrationis rectè Philoſophorum ſententiâ oſtenditur. Per ſcripturam Eccleſia, & per hanc miracula, fidei certitudine ſciuntur; Per miracula Eccleſia, & per hanc ſcripturæ euidenter credibiles fiunt. Illo modo, quaſi à priori aduerſus Donatiſtas pugnauit Auguſtinus: iſto veluti à poſteriori contra Manichæos diſputauit, quia nec iſto contra Donatiſtas, nec illo contra Manichæos claram obtinere victoriam ſperabat. Nulla igitur eſt in ſcripturam iniuria, alÿs argumentis veram religionem euidenter perſuadere, quòd prudenter ſuſcipiatur. Et quomodo iniuriam ſcripturæ inferunt cætera poſt primũ fundamenta quæ ex ipſis ſacris literis omnia depromuntur? talia enim ſunt, vt per illa non ſolùm ſine ſcripturis, homini à fide ſcripturarũ prorſus alieno religio Catholica prudẽter perſuaderi, ſed ex ſcripturis quoq;, earum teſtimonÿs credenti, certò demonſtrari poſſit. Hunc arietem Iacobe, tute quondam contra iſta nouiſsima Araneorum ſophiſmata præſtruxiſti.

Sed quid tu pergis tenebras & caliginem offundere? Quid vis, obſecro dicere aut inferre illis mox ſequentib. planè Araneorum verbis? *Etſi enim duo libri diuini ſibi mutuò reflexè ſuffragio ſuo diuinitatem confirment, nonne Pontificÿ quæſtionem de diuinitate illis ex Alcorano mouebunt, aut dicent? Quid ſi Thomæ aut Bartholomæi Euangelia ſe mutuò tanquam diuina commendent, an idcirco diuina erunt? Has tricas nectunt, vt nos ad traditionem diuinam non ſcriptam vrgeant & pertrahant, ſed profectò miſeri ſeipſos intricant.* Quid ni, Iacobe, in Metamorphoſi tuâ tam exactus Proteus, etiam aliquando Sphingem agas? Reſpondéſne an argumentaris his verbis? Primum non video, quo modo te ex Alcorano extrices. Deinde non intelligo, quo modo non ipſe tuos *ad traditionem diuinam non ſcriptam vrgeas & pertrahas*; vel certè quo modo non præ metu

Apoſtata male agens oďit in reſpondendo lucem. *Iac. Reihing Aran. pag. 57. & 58.*

Digitized by Google

tu vanitatem tuorum obueles & inuoluas. Numquid enim paulo priùs dixiſti: *poſſunt teſtimonia aliqua & ſigna quæri, quibus ad credendum ſcripturæ tanquam diuinitùs inſpiratæ, inducamur?* Quænam illa *teſtimonia & ſigna?* dic ſodes, quænam? An traditiones, quas nos ſtatuimus? at ſic noſter es. An criteria aliqua? at ſic mortis es. Cur enim Lutheranorum potiùs, quàm Caluiniſtarum, imò huius potiùs quàm illius Lutherani alteri Lutherano contradicentis criterijs credamus? Aut fortaſſe ad ſexdecim teſtimonia Rulli alludis? at & ſic es occiſiſsimus. quid enim ages, ſi quis ea teſtimonia neget? aut ſi quidem concedat, *ſed inficietur, ijs diuinitatem & Canonicam auctoritatē ſcripturæ demonſtrari? Et hæc ipſa Iudicia vnde ſcis ſcripturæ teſtimonium perhibere, niſi ex traditione & teſtificatione Eccleſiæ? quid ſi quis abnuat Euangelium S. Matthæi quod hodie extat; ſanguine Martyrum obſignatum eſſe? quò te vertes? Itaque quidquid iſti commententur? quidquid comminiſcantur; nunquam quæſtioni, Vnde ſcis? ſatis facient; niſi ad Eccleſiæ infallibile teſtimonium confugiant. Hoc poſito, firmiſſimè credimus, hos vel illos libros, Canonicos & à Spiritu ſancto dictatos eſſe. Hoc non poſito; nihil efficis, quidquid criteriorum adducas, fieri quidem poterit, vt fidem humanam in mente auditoris per talia argumenta generes; at vt infallibilis certitudo per ea acquiratur, niſi in infallibili Eccleſiæ teſtimonio conquieſcatur; id fieri nullo modo poteſt. Non negamus, hæc & ſimilia argumenta (quæ vulgo motiua fidei appellamus) etiam apud adhuc infideles valere; vt eis fides perſuadeatur, præſertim, ſi non vnum duntaxat, ſed plura coniunctim proponantur & ingerantur: at vt rem conficiant, hoc eſt, vt infallibilem certitudinem mentibus indant, id nec fit; nec ordinariâ Dei lege fieri poteſt; niſi per Eccleſiæ infallibilem vocem; quia quæcunque tandem motiua adferantur; ea non ſunt euidentia, nec adeò perſpicua; vt intellectum aſſentiri cogant; ſemper igitur diſſentire poterit; donec audiat & acceptet vel explicitè vel implicitè vocem Eccleſiæ, tanquam infallibilem aſſertricem; hunc vel illum librum verè eſſe Canonicum & diuinum. Tunc enim fides in animo exoritur; cuius beneficio mens ad partem veram certiſſimò dirigitur, & immobiliter determinatur. Abſque hac Eccleſiæ aſſertione & teſtificatione, fumus eſt, quidquid à Prædicantibus adducitur; etſi reuera fumus non eſt; ſi Eccleſiæ ſua ſtet integra auctoritas & poteſtas; & omnia*

Teſtimonia ſua prodere non audet.

Iac. Gretſer, tract. de agnoſcendis ſcripturis Canonicis c. 6.

moti-

Digitized by Google

motiua eò deſtinentur, vt tandem qui adhuc infidelitate laborat; motiuis illis inductus; per Eccleſiæ teſtimonium ad vitam, quæ eſt vera fides; intrare velit. qui ſecus agunt, ij non adducunt ad ſalutem, ſed abducunt & ſeducunt. Fides ex auditu eſt; inquit Apoſtolus Rom. 10. cùm ergo fides infallibilis ſit; oportet vt ex auditu infallibili profluat. Vbi autem hic auditus, niſi tùm auditur Eccleſia, columna & firmamentum veritatis? Vt præclariſſimè Iacobus Gretſerus. Hunc, Iacobe, nucleum morde, & teſtimonia tua ſignaque infallibilia effare ſi vir es, & mori non times.

Tertiò plus quàm lepidus es, & magnus imitator illius, *qui Epicteti Stoici lychnum fictilem trecentis denarijs mercatus eſt: ſperans futurum, vt ſi noctu ad iſtam lucernam legiſſet, mox Epicteti ſapientiam ſomniaret, & ſimilis efficeretur, admirando ſeni*; ita tu, mi Iacobe, lychno noſtro vis doctus euadere, & eodem nos argumento percutere, quo ipſe te ſentis percuſſum. Ais enim. *Quid nì nobis quoque liceat ex ipſis* (Catholicis) *quærere? Vnde ſcitis hanc traditionem eſſe diuinam? ſi huius ſuæ fidei aliam traditionem nobis obtendant, eadem de illâ quoq; nobis recurret quæſtio, & traditionum labyrinthum, vnde nunquam exeant, ingredientur. Si traditioni non ſcriptæ propter ſe, non propter aliam meritò credi contendant, idem ſibi à nobis de hoc, vel illo libro diuino reſponderi, cùm parem ipſimet verbo ſcripto & non ſcripto auctoritatem tribuant, ægrè ferre non debent. Atq; hæc de primo exemplo eorum, quæ è ſcripturis Stengelius probari vult, prolixiùs quàm volebam.*

Lucian. Aduerſ. Indoct.

Aran. pag. 58. Apoſtatæ Labyrinthus & mendax retorſio.

Vltimum credo tibi, mi Iacobe; *prolixiùs* in circulo agitatus es, *quàm volebas.* Nemo libenter diu in anguſtijs verſatur. Cætera, quibus retorquere circulum in nos conaris, illa iterum aliunde clepſiſti, nempe ex Caluino, VVittakero, Iunio, &c. illiſque iterum cœlo orcum, & falſa veris miſces, & extra chorum ſaltas, ſed fruſtrà. Quaſi enim in Danaidûm vaſa aquam ingeras, ita omnia perfluunt. Verum eſt, quòd *parem verbo diuino ſcripto & non ſcripto auctoritatem tribuamus*: falſum eſt, quòd vel *vnã traditionem propter aliam*, vel *propter ſeipſam*, tanquam propter cauſam acceptationis fidei credamus.

Caluin. l. 1. c. 7. §. 5. VVittakerus q 3. c. 1. Iun. Controu. lib. 1 c. 1. qui ideò biblia αὐτόπιςα. plura Serar. in Prolog. Bibl c. 8 quæſtiunc. 4.

Etſi enim quicquid credimus diuinâ fide, ideò credamus, quia Deus reuelauit, adeoque reuelatio, vel auctoritas reue-lan-

Apoſtata extra chorum ſaltat.

Digitized by Google

lantis Dei ſit vnica ratio noſtræ fidei, vt antè dictum eſt, atque idcirco in eâ quieſcendum omnino cenſeamus, neque *ægrè feramus hoc nobis reſponderi*, ſi de hoc quæramus: aliud tamen eſt, ſi loquamur de eo quod nos ad credendum impellit; de quo quærimus, nemine reſpondente. Sed ne ſilentio res ſuſpecta fiat, vos reſpondetis, nemine quærente: hoc eſt, ad id reſpondetis quod non quæritur, vt petitam reſponſionem, pro more veſtro diſsimuletis. Sic Vlyſſes olim, cùm ad Troiam cum hoſte congredi vereretur, nouo agricolandi genere, alieniq́ue ſeminis ſparſione, aliud egit, nę aliud agere cogeretur. Quare cùm ex ſolâ ſcripturâ certò nobis non conſtet, an libri Tobiæ, Iudith, Sapientiæ, Eccleſiaſtici, Machabæorum, &c. ſint Canonici, & Diuini, vt Catholici affirmant, an non ſint, vt Lutherani & Caluiniani litigant, adeoq; cùm hac in re ſcriptura nec norma nec Iudex eſſe poſsit, aliquid aliud eſſe debet, quod nos ad hoc vel illud credendum impellat; & quidem ſine circulo. Chriſti ergo & Apoſtolorum traditiones, atque Eccleſiæ auctoritatem cum venerandâ illâ SS. Patrum antiquitate aſsignamus.

Lutherani circulo viciniores.

Ita Becan in Manual. Cōtrouerſ. lib. 1. cap. 5.

Quàm malè hæretici plus tribuant traditionibus Iudæorum, quàm Chriſtianorum.

S. Aug lib. 18. de Ciuit. Dei cap. 36.

Hac in re circulum nos non committere, neque in Labyrintho oberrare oſtendo primò; quia tametſi Apoſtata noſter in omnem ſeſe partem verſet, mutilati colubri inſtar, nec apertè affirmet, nec neget, poſsítne è ſolâ ſcripturâ ſciri, quinam libri ſint Canonici, & vt amphibius vtrumque facere videatur, tamen alij Lutherani & Caluiniſtæ, qui alioqui admodùm proni ſunt, vt ad ſcripturæ tribunal appellent, hîc tamen piſce taciturniores ſunt. Quid igitur faciunt? Ad Canonem & Traditionem Iudæorum prouocant. Ibi aiunt libros Tobiæ, Iudith, &c. non reperiri, ideoque pro Canonicis ac diuinis non haberi poſſe. Quâ in re tres ſibi plagas imponunt: nam & fatentur alium in hac cauſſâ Iudicem, quàm ſcripturam, eſſe oportere; nempe Traditionem Iudæorum: & pluris Iudæos, quàm Chriſtianos faciunt, cùm horum traditiones ſpernant, illorum in precio habeant; contra Auguſtinum dicentem; *Machabæorū libros, non Iudæi, ſed Eccleſia pro Canonicis habet:* &

Digitized by Google

& denique quod maximè ad rem facit, vel ipſi quoque in circulum ſunt illigati, atque in Labyrinthum incluſi, vel nos à circulo & Labyrintho abſoluere etiam inuiti coguntur. Siquidem ſi Labyrinthus aut circulus eſt, ideò hos libros pro Canonicis ac diuinis habere, quia eos Traditiones Chriſti aut Eccleſia pro talibus habet, Ergo erit etiam Labyrinthus aut circulus, ideò pro Canonicis aut diuinis non habere, quia eos Traditiones Iudæorum aut Eccleſia pro talibus non habet. Vel certè ſi hîc nullus eſt Labyrinthus, Ergo nec ibi.

Secundò circulum à nobis non committi oſtendo ita. D. Auguſtinus cùm ex ſententiâ Apoſtatæ fuerit ſanctus, ſine dubio habuit rectam fidem, *ſine* quâ *impoſſibile eſt placere Deo*, aut ſanctum eſſe. Quòd ſi autem S. Auguſtinus habuit rectam fidem, neceſſe eſt eum crediddiſſe Euangelio propter reuelationem Dei. Et tamen nihilominus audet dicere; *Ego verò Euangelio non crederem, niſi me Catholicæ Eccleſiæ commoueret auctoritas.* Si igitur iſte ſanctus in circulum aut Labyrinthum nullum eſt ingreſſus, cur Apoſtata nos ingreſſos autumat, qui eâdem viâ incedimus, quâ Auguſtinus? Vel certè ſi tam proteruum os eſt Apoſtatæ, vt & hunc Diuum eò ingreſſum clamet, vnde exitum non ſit reperturus, malo ego cum hoc Dædalo per Labyrinthum incedere, quàm cum illo Icaro per cœlum volare & in præceps ire. Ac ſanè ſi quis ex me interroget, quo motiuo perſuaſus ſim, vt acceptarem fidem, vellemque credere v. g. ſcripturam hanc eſſe Canonicam & diuinam? Sine vllo circulo fidei meæ aſſenſum reſoluam ita, vt cum S. Auguſtino dicam, *Catholicæ Eccleſiæ me commouit auctoritas*, vt crederem libros Tobiæ, Iudith, Sapientiæ, Eccleſiaſtici, Machabæorum, & vniuerſam ſacram ſcripturam eſſe Canonicam & diuinam. Quo in reſponſo geminum aſſenſum indico, vnus eſt, credo hos libros eſſe Canonicos, quia Deus reuelauit: alter, inductus ſum vt crederem, & prudenter ita credi poſſe iudicarem, quia Eccleſia ſic aſſeuerauit. Cùm enim per ſe obſcurum eſſet, an & quinam libri pro Canonicis habendi, & verò ipſa etiam auctoritas Dei iſtud aſſerentis æquè obſcura eſſet, aliquo motiuo

Iac Reib. in lemmatis quod Laqueis ſuis præfixit titulo, etiam rurſus in lemmatis defenſione c. 4. Aran.

Heb. 11. 6.

S. Auguſtinus ſecundum hæreticos circuli reus.

S. Aug. in lib. contra epiſt. Manichæi c. 5.

Vide Becan. tom. 1. *Opuſculor. opuſc.* 10. *Serar. in Prolegom. Bibl cap.* 4. *quæſtiunc.* 2. 4 *& ſeqq. & c.* 4. *q.* 7.

opus

Digitized by Google

opus fuit, quod prudenter ſuaderet, credibile eſſe, hos ipſos libros pro diuinis & Canonicis habendos. Hoc ergo motiuum ſunt traditiones, auctoritas Eccleſiæ, conſenſus tot Principum, Imperatorum, Populorum, Epiſcoporum, Doctorum, Pontificum, denique totius orbis Chriſtiani. Quis hîc Labyrinthus, Iacobe, quis quæſtionum recurſus? Facilius quadrati circulique paritatem Mathematicis inuenies, quàm regreſſum in hac ratiocinatione.

Nullo circulo ex ſcripturis Traditiones, & ex traditionibus ſcripturæ probantur.

Ac ne dicas, ſaltem tunc rationem in circulo currere, quando ſcripturas per Traditionem, ac viciſsim Traditionem per ſcripturas confirmamus, ecce vt totam rem planiorem reddam, oſtendo tertiò ne ſicquidem vitioſè in orbem rediri. Itaque ex Ariſtotele & Philoſophis in memoriam reuoca, cùm alicuius rei probatio à notis ad ignota vel à conceſsis ad inconceſſa procedere debeat, neque quando vtrumque æquè ignotum & incertum eſt, alteri quidquam probari poſsit, tunc circulationem vitioſam cenſeri, cùm hoc per illud, & illud viciſsim per hoc probatur apud aliquem qui neutrum concedit, & æquè de vtroque ambigit.

Hinc circulus eſſet, ſi ego apud Chinenſem aliquem omnium rerum Chriſtianarum ignarum, probare vellem Scripturam eſſe infallibilem, quia Traditio dicit: & Traditionem infallibilem, quia ſcriptura dicit: poſſet enim mihi talis meritò reſpondere, ſe neutrum propter alterum credere, eò quòd de vtroque dubitet, nec vllum altero magis perſpiciat.

At verò nequaquam circulus eſt, ſi apud Lutheranum, qui ſcripturas admittit, Traditiones diuinas negat, per ſcripturas, quas admittit, traditiones probem, quas non admittit. Vnde ſicut haud immeritò Catholicos de aliquo ſcripturæ libro dubitantes, per Traditiones, aut Eccleſiæ iudicium, de quibus non dubitant, conuincimus; ita etiam rectè valideque Lutheranos Traditiones negantes per ſcripturas conuincimus, quas non negant: qualis eſt illa: *Fratres ſtate, & tenete traditiones, quas didiciſtis ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam noſtrã, &c.* Qui probandi modus non ſolùm SS. Patribus, ſed & ipſis ſcripturis eſt vſur-

2. Theſſ. 2. 15. S. Aug in libris contra Fauſt. Manich. & lib. 1.

vſurpatiſsimus. Sic enim & Phariſæi contūſi ſunt, qui admiſſo Moyſe, Chriſtum negauerunt: *Si crederetis Moyſi, crederetis & mihi; de me enim ſcripſit, &c.*

de morib. Eccleſ. cap. 1. & ſeqq.
Ioan. 5. 46.

Nec refert, quòd non ſolùm ex ſcripturis Traditiones, ſed etiam viciſsim ex Traditionibus ſcripturas habemus, & quidem aduerſus Lutheranos quoque, qui eodem in precio, hoc eſt nullo, & Traditiones, & illos ipſos libros habent, quos diuinos eſſe contendimus. Aequè enim illi Eccleſiaſticum v. g. aut Machabæorum libros reijciunt, ac Traditiones. Iamdudùm enim à noſtris Theologis oſtenſum eſt, neque hîc quidem hæreticos à nobis in circulum & velut naſo duci Nam dictos libros Canonicos diuinoſque eſſe, ex Traditione quidem probamus; Traditionem autem non ex illis ipſis v. g. Eccleſiaſtici, aut Machabæorum libris, quos illi repudiant, ſed ex alijs, quos illi admittunt, vt ex Apoſtolo Paulo, &c. probamus. Quâ in re qui circulum eſſe ait, pro circulatore non pro Doctore habendus eſt. Lutheranus fuit, vt exiſtimo, Hunnius, eius tamen opinione in re ſimili nullus circulus inueniebatur. Nam in actis Colloquij Ratiſponenſ. pag. 24. ſic loquitur. *Libros Moſis eſſe Moſis, conceditur eſſe hanc traditionem teſtimonium Eccleſiæ Dei, quæ teſtari poterat, libros Moſis in arcam eſſe depoſitos.* Sed plura de hac quæſtione Iacobus Gretſerus, Gregorius de Valentiâ, Franciſcus Soarez, Nicolaus Serarius, AEgidius Cōninck, Martinus Becanus & alij apud Franciſcum Albertinum, quorum reſponſa Iacobus etſi non ignorauit, tamen iterum, more ſuo, malignè diſsimulauit; non neſcius etiam nequaquam Catholicos, ſed ipſos hæreticos, tanquam tauros, in circum hunc incluſos mirificè agitari. At vetus ſtrategema eſt, cauillatione alterius, fundi ſui calamitatem tegere; & ad hunc modum Anaxagoras quoque, teſte Plutarcho, in carcerem datus, deſcribendâ circuli quadraturâ ſeſe occupauit. Vt ergo Anaxagoras circulo tempus, ſic Iacobus homines fallere eſt conatus.

Iac. Gretſer. tom. 1. defenſionis controuerſia. Bellar. tract. de agnoſcendis ſcript. contra Pareũ &c. Val. l. 3. d. 1. q. 1. punct. 1. Soar. tom. de Fide, Spe & Char. diſp. 3. et ſeqq. Serar. Proleg. Bibl. c. 7. quæſtiunc. 10. Cōninck tom. de actibus ſupernaturalibus in genere diſp. 9. 10. 11. 12. & ſeqq. Becan. tom. 1. opuſc. 10. Albertin. in 3. principio Philoſophico q. 4. Coroll. 4. difficult. 4. & 5.
Plutarch. lib. de exilio.

CAPVT X.

LVTHERANOS BAPTISMVM PARVVLORVM EX SOLA SCRIPTVRA PROBARE NON POSSE. ET IPSO APENNINO MAior Apoſtatæ circa hanc rem impoſtura.

Inter ea credenda, quę ex ſolâ ſcripturâ probari non poſſunt eſt & Pædobaptiſmus.

IN ſecundo meo contra Lutheranorum normam argumento ſic quoque aduerſarium perſtringebam: *Si aliqua lis religionis exiſtat, de quâ ſcriptura vel nihil omninò, vel certè nihil clarè loquatur, quomodo ea ex ſolâ ſcripturâ decidi poterit? Atqui in rebus religionis multa ſunt, quæ ex ſolâ ſcripturâ clarè & certò ſciri non queunt, vt, an paruuli baptizandi, qui de fide doceri non poſſunt? An præceptum Apoſtolicum de non comedendo ſanguine & ſuffocato adhuc obliget, &c. Ergo ſola ſcriptura non eſt norma omnium, quæ credenda ſunt.*

Val. Max. lib. II. c. 16. Apoſtata genuini ſenſus corruptor, cui ſimilis.

Quid ad hæc Apoſtata? Proteum agit, ſimilis illi, *qui, Cornelio Sullâ rerum potiente, in domum Cn. Aſinij Dionis irrupit, filiumq; eius patrijs penatibus expulit; vociferando non illum, ſed ſe Dione eſſe procreatum. Verùm poſtquam à Sullanâ violentiâ Cæſariana æquitas reluxit, gubernacula Romani imperij iuſtiore Principe obtinente, in publicâ cuſtodiâ ſpiritum poſuit.* Irrumpit Apoſtata prorſus ſimili violentiâ in libros Bellarmini, verumque ac genuinum ex eis ſenſum, quaſi filium familias ex propriâ domo iniurioſè expellit, vt ipſe inibi ad libitum dominari poſsit. Sed non ſemper vis vim habet. Atque ecce vt miſer in anguſtias redactus ſpiritum poſiturus ſit, ſeipſum ſemper magis & magis inuoluens. Sic reſpondet.

Aran. cap. 8. pag 58. Hic artem fallendi & mentiendi conſiderate.

Ad alterum de paruulis baptizandis non eſt opus prolixo reſponſo. Bellarminus lib. 1. de ſacram. Bapt. c. 8. tribus argumentis è ſcripturâ deſumtis Baptiſmum infantium demonſtrat; c. 9. autem in ſolutione primi argumenti Anabaptiſtarum, dicit de Pædobaptiſmo; Colligitur ſatis apertè ex ſcripturis, *& in ſolutione octaui.* Deducitur euidenter ex ſcripturis. *Quid vis amplius Stengeli?*

In-

Digitized by Google

Ingenuè tibi dicam, *quid velim ampliùs*; nempe vt tu in Bellarmini libros & dicta tam violentas manus poſt hac non ampliùs inijcias, & velut obtorto collo, ad Iniuriæ calumniæque tribunal rapias; nec creditores tuos ex alieno ærario aliud haurire iubeas, quàm debere te nôſti; ſed vt ipſe clarè & certò mihi ex ſolâ ſcripturâ demonſtres, *An paruuli baptizandi, qui de fide doceri non poſſunt?* Hoc à me petitur, ſed à te non præſtatur. Cúmque aliàs tam liberaliter ex alienâ pharetrâ ſagittas à Mercurio doctus ſis ſublegere, miror te hîc piceatas manus abſtinuiſſe, & demonſtrationem illam non protuliſſe, quâ contra me tantoperè triumphare potuiſſes. Nempe quia vidiſti multa triumphis tuis obnunciare, ſciens volenſque abſtinuiſti. Feruentem ſtriblitam nemo libenter comedit, niſi qui gutturem, vt Plautus tuus loquitur, amburere cupit. Interim fuco lectorem fallere voluiſti, quem, nominato Bellarmino, mox tibi crediturum es arbitratus. Fallit te ſpes tua, Prædicans; non omnes tui ſunt ſimiles in pigritiâ; anquirunt in tuas fraudes; nec digito tuo ampliùs credunt indicanti, ſed oculo ſuo coram ſpectanti.

Apoſtata pelli ſuæ metuens alium pro ſe ſubſtituit pugnæ,

Itaque adeamus Bellarminum, & interrogemus, quid ille hac in re ſentiat? Verba eius annumero, impudentiam tuam validiſsime confodientia: Sic loquitur. *Credere oportet & credunt nobiſcum Lutherani & Caluiniſtæ, contra Anabaptiſtas, baptiſmum paruulorum eſſe ratum. Id autem ex ſolis ſcripturis nec Catholici probant, nec Lutherani probare vllo modo poſſunt. Nam illi exiſtimant baptiſmum ſine fide actuali propriâ nihil valere, & propterea credunt, infantes dum baptizantur, actu credere, id quod non ſolùm Lutherus docet in c. 3 ad Galat. & Kemnitius in Exam. ſeſſ. 7. Concilij Trident. ſed & Synodus generalis Lutheranorum VVittenbergæ habita definiuit. At hoc nullo modo ex ſcripturis probari poteſt. Vbi enim, quæſo, ſcriptura indicat, infantes vti ratione, ante vſum rationis, dum baptizantur? Hinc videlicet Anabaptiſtæ Lutheranos redigunt ad miras anguſtias & cogunt eos velint nolint ad traditionem & vſum Eccleſiæ recurrere.* Heus tu, qui dicis, Bellarminum è ſcripturâ demonſtrare baptiſmum infantium, huc ades; heus, inquam, ſeu cum Philoſophicâ, ſeu cum militari barbâ Prædicās!

An Bellarminus doceat ex ſolâ ſcripturâ probari poſſe Pædobaptiſmum.

Bellarm. lib. 4. de Verb. Dei non ſcript. cap. 4.

Digitized by Google

Tibull. lib. 4. *Huc ades intonsâ, Phœbe ſuperbe, comâ.*

Ades, inquam, & agnoſce te in Dionis domum penetrâſſe, vt Dionis filium, hoc eſt, verum auctoris ſenſum è libris eijceres. *Baptiſmum paruulorum eſſe ratum, ex ſolis ſcripturis nec Catholici probant, nec Lutherani probare vllo modo poſſunt*, ait is, cuius tu probatione niteris. Quem tamen nihil contra ſeipſum docuiſſe paulo poſt conſtabit. Interim vt conſtet, eum apertè contra te docuiſſe, hæc Bellarminus in frontem tibi conijcit. *Quid vis amplius*, Iacobe? Anne etiam Kemnitium dicentem, *Affirmant Origenes* & Auguſtinus Baptiſmum paruulorum eſſe Traditionem Apoſtolicam? Hoc recipimus. HOC RECIPIMVS ait, audis Iacobe? quid vis amplius? An ipſum Origenem exſpectas? Eccum. *Eccleſia*, ait, *ab Apoſtolis Traditionem accepit, etiam paruulis baptiſmum dare.* Habes Origenem: *quid vis ampliùs?* Iacobe; Etiámne Auguſtinum aduerſarium tuum contra te tonantẽ audire cupis? De Hiſpanicâ cruce non iam contra tonitru, ſed contra fulmen Auguſtinianum tibi prouide. *Conſuetudo*, inquit Auguſtinus, *matris Eccleſiæ in baptizandis paruulis nequaquam ſpernenda eſt, neque vllo modo ſuperflua deputanda; nec omnino credenda, niſi Apoſtolica eſſet Traditio*: Audiuiſti & Auguſtinum, quid vis amplius, Iacobe?

Kemnitius in Examine Cõcilij Tridentini ſeſſ. 4.
Origenes in c. 6. ad Rom.
S. Aug. lib. 10. de Gen. ad litteram.

An etiam recentiorum Lutheranorum teſtimonium exſpectas? Thummium tuum, ſi tamen tuum, conſule, qui ad illam Lutheranorum Maiorem propoſitionem à ſe ipſo ex illorum mente poſitam: *Quidquid* αὐτολεξεὶ *expreſſis litteris ac ſyllabis in ſacris non traditur, illud non poteſt aut debet, tanquam articulus fidei in Eccleſiâ proponi*; neceſsitate adactus reſpondet: *Maior* ἁπλῶς *& illimitatè accepta, falſa eſt; ſic enim Pædobaptiſmus, vſus vocabulorum Trinitatis, Perſonæ,* περιχωρήσεως *ex Eccleſiâ exterminandus eſſet.* Fatetur ergo Thumius ex mente Sciagraphi & Hoffmanni, & complicum eius, itemque D. Kürchneri, D. Selnecceri, ac Chemnitij, maiorem illam veram eſſe, adeóque ex eorundem mente Pædobaptiſmum ex ſcripturâ probari non poſſe, probatione Lutheranâ. Ac nos paulo poſt eandem maiorem pluribus oſtendemus eſſe verè Lutheranam, quidquid Thummius, &

Theodor. Thumm. Tapinoſiograph. pag. 375.

Etiam ipſi Lutherani fatentur Pædobaptiſmum ex ſolâ ſcripturâ probari non poſſe.

poſt

Digitized by Google

poſt eum Apoſtata conentur eam limitare, & mollire, vt clementiùs feriat.

Ipſi igitur etiam Lutherani fatentur, Pædobaptiſmum eſſe articulum fidei, & tamen ex ſolis ſacris litteris non haberi: *Quid vis amplius,* Iacobe? An quod dudùm trepido corde formidas potiùs quàm expectas, vt ad Bellarminum reſpondeam? Nam eſto dixerit is, *baptiſmum paruulorum eſſe ratum, ex ſolis ſcripturis nec Catholici probant, nec Lutherani probare vllo modo poſſunt*: tamen is ipſe etiam alibi *tribus argumentis è ſcripturâ deſumtis Baptiſmum infantium demonſtrat*; & rurſus alibi dicit de Pędobaptiſmo; *Colligitur ſatis apertè ex ſcripturis*: &, *Deducitur euidenter ex ſcripturis.* Euge pæ, Iacobe, proſtrauiſti vno ictu duos, Bellarminum & Stengelium. Quid apertius? quid clarius?

Bellarm. lib. 4. de Verbo Dei non ſcript. c. 4. Idem lib. 1. de Sacram. Bapt. c. 8. & cap. 9.

Immo, mi Iacobe, quid apertius, quid clarius, quàm Punica tua reſponſio? quam niſi è libro tuo eradis funditùs, tibi *iſthæc verò ad raſtros res redit*. Hæreo & dudùm mecum delibero, an velim eloqui, quod ſentio. Penè tuâ ipſius cauſſâ erubeſco. Parcámne? ſed magis amica veritas. Erubeſce igitur & tu, Iacobe; ac erubeſce largiter, qui in hac quæſtione, *An baptiſmus paruulorum ex* SOLA *ſcripturâ euidenter demonſtrari poſſit*, auſus es Bellarminum diſertiſsimè contrarium & ſentientem & ſcribentem pro te citare. Quid enim? *tribus argumentis*, ais, *è ſcripturâ deſumtis Baptiſmum infantium demonſtrat*, eumque *dicit colligi ſatis apertè ex ſcripturis*, & item, *deduci euidenter ex ſcripturis.* Vel occæcatus es, vel totum mundum oculis carere exiſtimas. Idémne eſt Pædobaptiſmum ex ſcripturâ, & ex SOLA ſcripturâ probari? Nos cum Bellarmino clamamus, baptiſmum paruulorum ex SOLA ſcripturâ nō poſſe probari, ſed Traditione inſuper & praxi Eccleſiæ opus eſſe ad id probandum; tu Bellarminum affers, baptiſmum paruulorum ex ſcripturâ non ſolâ, ſed Catholicè intellectâ ſecundùm Traditiones & praxin Eccleſiæ? vis in ſpeculo intueri vim argumenti tui? talis eſt ac ſi dicas, Bonum eſt homini eſſe: ergo malè eſt dictum, *non eſt bonum homini eſſe* SOLVM. Item; Moyſes cum ſeptuaginta ſenioribus potuit ſuſtentare onus populi, Ergo malè dixit: *Non poſſum* SOLVS *ſuſtinere omnem*

Terent. in Heauton. Act. 5.

Fraus Apoſtatæ detegitur.

Pulcherrimum genus argumentandi.

Gen. 2. 18.

Num. 11. 14.

nem hunc populum. Aër ad vitam hominum conducit, Ergo ſolo aëre viuunt homines. Hic miles etiam interfuit, cùm exercitus profligaretur, Ergo ſolus exercitum profligauit.

Talem catenam nectis, Iacobe, vt eâ Lectorem vincias. Quid enim aliud eſt dicere: *Pædobaptiſmus colligitur ſatis apertè ex ſcripturis*; Ergo *ex ſolis ſcripturis Lutherani probant Pædobaptiſmum?* Verùm age, quando ad Bellarminum non ſolùm me, ſed & Lutheranos tuos mittis, vt ab illo diſcant articulum fidei ſuæ de pædobaptiſmo, *tribus argumentis* DEMONSTRARE, perpendamus argumenta *demonſtrationesque* Bellarmini, an non apertiſsimè mendacia tua demonſtrent.

Lutherana demonſtratio.

Bellarm. lib. 1. de Baptiſm. cap. 8.

Primum argumentum, (inquit Bellarminus) *ſumitur à figurâ teſtamenti veteris. Nam circumciſio figura erat Baptiſmi adeò manifeſta, vt Baptiſmus à Paulo dicatur circumciſio Coloſſ. 2. At circumciſio dabatur Infantibus Geneſ. 17. Cur igitur non etiam Baptiſmus? Hoc argumentum Anabaptiſtæ facilè poſſunt eludere, cùm à Lutheranis & Caluiniſtis proponitur. Lutherani enim & Caluiniſtæ formam baptiſmi eſſe volunt concionem, vt libro ſuperiore oſtendimus, quod de circumciſione dicere non poſſunt. Inde autem ſequitur, vt infantes circumcidi potuerint, non autem baptizari. At cùm à nobis proponitur, qui ad Baptiſmi eſſentiam non requirimus verba concionalia, ſed conſecratoria, certè eludi argumentum non poteſt.*

Apoſtata lectorem vult habere negligentem, qui non inquirat multùm.

Bellarm. ibid.

Hem tibi, Iacobe, primam tuam *demonſtrationem*! Ad hanc me & Lutheranos tuos mittere non vereris? Exiſtimas neminem fore, qui tam diu deſideratam *demonſtrationem* in Bellarmino quærat? *Hoc argumentum*, ait Bellarminus diſertiſsimis verbis, *Anabaptiſtæ facilè poſſunt eludere, cùm à Lutheranis & Caluiniſtis proponitur. Lutherani enim & Caluiniſtæ formam Baptiſmi eſſe volunt, concionem, quod de circumciſione dicere non poſſunt. Inde autem ſequitur, vt infantes circumcidi potuerint, non autem baptizari.* Idem ergo Bellarminus hîc, quod ſuprà docet, nempe Lutheranos quidem contra Anabaptiſtas credere, *baptiſmum paruulorum eſſe ratum, id autem ex ſolis ſcripturis eos* NVLLO MODO *probare poſſe; cùm exiſtiment baptiſmum ſine fide actuali propriâ nihil valere.* Quæ ipſa rurſus actualis fides Lutheranos in gyrum voluit. Lutherus enim

enim vult infantes actualem fidem in Exorciſmo, Philippus, Kemnitius & alij in Baptiſmo accipere: in quâ lite quis Iudex adeundus eſt? Si ſcriptura, cur non decîdit, & finit litem? Sed nempe nec Iudex eſt ſcriptura, nec ſi eſſet, falſitati patrocinaretur. Quare ſicut Lutherani actualem in paruulis ſuis fidem non reperiunt, ita hoc ipſo quia eam in illis ſupponunt, primo hoc Bellarmini argumento non ſolùm nihil pro ſe, ſed etiam aliquid contra ſe demonſtrant. *Quid vis amplius*, Iacobe, ſi tales *demonſtrationes* Lutheranis tuis propinare potes *Bellar lib. 4. de Verb. Dei non ſcript. cap. 4.*

Quid te lætius eſt beatiúſue? *Catull. ad Verannium epigr. 9.*

Qualem fidem Lutheranam eſſe oportet, quæ tali fundamento *demonſtrationeq́;* nititur? conſiderate, obſecro, hoc fundamentum diligenter Lutherani. Cùm Bellarminus conceptis verbis ait, *Hoc argumentum Anabaptiſtæ facilè poſſunt eludere, cùm à Lutheranis proponitur,* imò cùm etiam probat, facilè eludi poſſe, tamen eo ipſo Lutheranorum nomine, dicitur *baptiſmum infantium demonſtrare.* Eſtne vobis idem album & nigrum? cùm idem ſit *demonſtrare* baptiſmum paruulorum, & dicere, ex hoc argumento in Lutheranorum ſententiâ *ſequitur, vt infantes circumcidi potuerint, non autem baptizari?* Nondum, Iacobe, tibi tam craſſè deprehenſo

Argumentum eſſe demonſtratiuũ, & facilè eludi poſſe, idem eſt apud Apoſtatam ita mutatum, vt non agnoſcas eundem eſſe.

æſtuat ingens
Imo in corde pudor, miſtóque inſania luctu,
Et furijs agitatus amor? *Virgil. 12. Aeneid.*

Atque ne memoriam excuſes: ſummam mei argumenti, tuíque reſponſi hîc repono. Cùm ita argumentor. *Si lis religionis eſt, de quâ ex ſcripturâ vel nihil omninò, vel certè nihil clarè ſciri poteſt, tum ea ex ſolâ ſcripturâ decîdi non poteſt.* Annuere videris Maiori. Subſumo. *Sed ex ſolâ ſcripturâ clarè ſciri non poteſt, An paruuli ſint baptizandi, qui de fide doceri non poſſunt.* Negas, aut ſaltem negare videris hanc minorem, aiſque *prolixo reſponſo opus non eſſe*; nam *Bellarminum tribus argumentis è ſcripturâ deſumtis Baptiſmum infantium demonſtrare.* Quo modo aut quid, quæſo, demonſtrat? Demonſtrat Lutheranos non demonſtrare. Ait enim: *Hoc argumentum Anabaptiſtæ facilè poſſunt eludere, cùm à Lutheranis & Caluini-* *Aran. pag. 58.*

ſtis

ſtis proponitur. Lutherani enim & Caluiniſtæ formam Baptiſmi eſſe volunt concionem, quod de circumciſione dicere non poſſunt. Inde autem ſequitur(An aliquid pro Lutheranis? immò contra Lutheranos) *vt Infantes circumcidi potuerint, non autem baptizari.*

Non idem argumentum aduerſus omnes idem valet.

Hoc primum eſt argumentum & Achilles tuus, Iacobe, quem abire potiùs multò quouis gentium iuſsiſſes, quàm hîc te ad tantas anguſtias redigentem poneres. Sed & alteram & tertiam Bellarmini *demonſtrationem* inſpiciamus. Præſagit meritò tibi animus, fruſtra te illas citauiſſe. Nam ſimilia ſunt argumenta hæc Bellarmini illis fructibus, qui in patrio ſolo ſuccum ſalubrem ac potentem gignunt, alio tranſlati aceſcunt & in venenum vertuntur. Et arma quoque nonnulla alibi poſita adiumento, alibi impedimento ſunt. Ita hæc Bellarmini argumenta nos iuuant, hæreticos deiuuant, & ſicut currus nauigantibus nihil proſunt. Licet enim nos contra Anabaptiſtas ex ſcripturis certâ quâdam cõditione probare poſsimus, infantes luſtralibus aquis tingendos, ſicut & alias nonnullas controuerſas quæſtiones, nequaquam tamen hæc talia ex ſcripturâ antè probamus, quàm conſtet de vero & legitimo ſcripturæ ſenſu. Atqui hoc ipſum in his talibus, vt & ſæpe aliàs, non conſtat, quis ſcilicet ſit verus legitimusque ſcripturæ ſenſus, niſi Traditio & praxis Eccleſiæ nos doceat, quò proinde vobis digitum intendimus. His ex noſtrâ non veſtrâ ſententiâ ſuppoſitis, rectè dixit Bellarminus contra Anabaptiſtas *euidenter deduci ex ſcripturis Pædobaptiſmum*; at hoc non eſt ex ſolis ſcripturis, ſed ex ſcripturis & Traditione eum deduci, Traditioneſque non deſtruere, ſed ſtatuere. Immò tu ipſe in Enchir. art. 1. licet §. 8. apertè dixeris, nec in ſcripturâ, nec ex ſcripturâ Pædobaptiſmum clarè poſſe demonſtrari; tamen in eodem art. ſuprà ſcilicet §. 2. præmiſiſti, multos eſſe articulos, qui per ſe loquendo, licet vel in ſcripturâ vel ex ſcripturâ expreſsè cognoſci poſsint, nihilominus tamen ob pertinaces falſos interpretes, Traditione ſcripturas rectè interpretante, ſint ſtabiliendi.

Ioan. 3. 5.

Itaque ſi palàm ac per ſe conſtaret, ea verba: *Niſi quis renatus*

tus fuerit ex aquâ & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei, non habere alium intellectum, quàm hunc: Niſi quis baptizatus fuerit baptiſmo aquæ, planè ſequeretur etiam infantes indigere baptiſmo. Quamuis adhuc Anabaptiſtæ aliundè tricari poſſent, dicereque infantes neceſſario medio ſalutis ſuæ deſtitui, vt mox ex ipſo Bellarmino patebit. Iam verò cum iſtorum verborum intellectum eſſe, nequaquam conſtat, niſi ex Traditione. Quare Caluinus, qui negat hunc iſtius loci intellectum eſſe, neque à Catholicis, neque à Lutheranis ex ſolâ ſcripturâ poteſt refelli; ſed inde ſolùm, quòd ſenſus ille per continuam Traditionem à maioribus noſtris ad nos vſque deductus ſit. Quemadmodum etiam quòd hic ipſe locus ex vero & legitimo ſenſu intelligendus ſit de neceſsitate baptiſmi aquæ, vt nobiſcum volunt Lutherani, & tam contra nos, quàm contra Lutheranos negant Caluiniſtæ, nequaquam Lutherani ex verbis citatis probare poſſunt. Eſto enim ibi aquæ mentio fiat, non tamen expreſsè additur, veram aquam eſſe intelligendam. Siquidem & Luc. 3. 16. ignis fit mentio. *Ipſe vos baptizabit in ſpiritu & igne.* & tamen ignis verus inibi non eſt intelligendus. Vnde ergo Lutherani Caluiniſtis probabunt, in priore loco veram aquam eſſe intelligendam, niſi ad praxin Eccleſiæ & Traditionem ſe recipiant? Vide igitur, mi Iacobe, quid ſecundo Bellarmini argumento proficias, non eo baptiſmum infantium ex ſolis ſcripturis, ſed ipſas Traditiones, quas impugnas demonſtras. Verùm age, ſecundum Bellarmini argumentum huc inſeramus, vt ex ipſomet appareat reſponſi noſtri veritas.

Secundum argumentum, inquit Bellarminus, *colligitur ex duobus locis Euãgelij ſimul iunctis. Ioan. 3. Niſi quis renatus fuerit ex aquâ, &c. Hic locus probat infantes, ſine baptiſmo in æternum perire; eſt enim generalis Domini comminatio. Sed nondum habemus, poſſe infantes baptizari: dicent enim Anabaptiſtæ paruulos perire, quòd vnici remedij capaces non ſint. At, quòd paruuli non pereant, Dominus docet, Matth. 19. Marc. 10. & Luc. 18. Sinite paruulos venire ad me: talium eſt enim regnum cœlorum. Vbi etiam Marcus dicit, Dominum complexum fuiſſe paruulos, eiſque bene-*

Bellar. lib. 1. de Sacram. Bapt. c. 8.
Secunda Lutherana demonſtratio de Baptiſmo paruulorum.

Digitized by Google

nedixiſſe. At quomodo paruulorum eſt regnum cœlorum, quomodo Dominus eos complectitur, eiſq; benedicit, ſi ſalui eſſe non poſſunt?

Ad hunc locum duæ dari poſſunt reſponſiones. Vna Anabaptiſtarum, quòd DOMINVS *in perſonis paruulorum benedixerit paruulos innocentiâ & humilitate, non ætate: non enim dixit, horum eſt regnum cœlorum, ſed Talium, vnde etiam Auguſtinus lib. 1. Confeſſ. cap. 19. Humilitatis, inquit, ſignum in ſtaturâ pueri commendâſti* Rex noſter, *cùm aiſti: Talium eſt enim regnum cœlorum. Altera, quòd Euangelia non loquantur de infantibus, ſed de pueris, qui iam vſu rationis vtuntur. Vt enim Tertullianus notat, libro de baptiſmo prope finem, ideò Dominus ait: Sinite paruulos venire ad me. Non enim veniunt niſi grandiores: infantes enim portari poſſunt, venire non poſſunt.*

Quædam quæ ex ſcripturis rectè probantur, non tamen ex ſolis probantur.

Hæc Bellarminus, qui tametſi ad has ipſas reſponſiones rectè ſolideque reſpondet, nituntur tamen eæ ipſæ reſponſiones vero legitimoque ſcripturæ ſenſu, qui ſine Traditione & praxi Eccleſiæ non habetur; & vbi hic deficit, deficit etiam tota vis argumenti. Quare proſpicienter omninò huic ſecundo ſuo argumento, & illis ipſis ſuis reſponſionibus, ſubijcit idem Bellarminus: *Porrò hoc argumentum, quod per ſe & reuerâ ſolidum eſt, infirmum tamen eſt, cùm à Caluiniſtis producitur. Nam Caluiniſtæ nolunt intelligi debere de baptiſmo locum illum, Ioan. 3. Niſi quis renatus fuerit. Sublato autem illo loco, poſterior locus, quo ſolo Caluinus vtitur, non conuincit, nam poſſet reſponderi ab Anabaptiſtis ſecundũ Caluini principia paruulos ad Chriſtum pertinere, quia naſcuntur Sancti, vel quia prædeſtinati ſunt. Viderit igitur Caluinus, quàm ſolidè reſiſtere poſſit Anabaptiſtis.*

Ibidem.

Adam Tann. in Apolog. pro compendiariâ relatione de colloquio Ratisb. c. 8.

Rectè etiam in hunc ſenſum alibi Tannerus noſter, *licet*, inquit, *à Catholicis quandoque in traditionibus numerentur, inuocatio Sanctorum, cultus reliquiarum, communio ſub vnâ ſpecie, &c. eos tamen* colligitur *non ideò aſſerere, nullam planè harum rerum, mentionem fieri in ſcripturis, vt ineptè exiſtimauit Hunnius, ex ſuis ſomnijs,* (& nunc Iacobus ex ſuis) *non ex Catholicorum aſſertionibus Labyrinthum extruens. Sed hoc ſolummodò ſignificare volunt, eiuſmodi dogmata, non ita in prorſus apertè & perſpicuè in ſcripturis contineri, quaſi ſepoſitâ Eccleſiæ interpretatione omnis planè dubitandi facultas, de eiuſmodi conſequentijs pro dogmatibus illis concludendis extructis auferatur.* Ita ergo & de baptiſ-

ptiſmo puerorum fit mentio in ſcripturâ, non per ſe perſpicuè intellectâ, vt oſtendimus, ſed intellectâ ex ſenſu & interpretatione Eccleſiæ, atq; ipſius traditionis.

I nunc, Iacobe, & gloriare Bellarmini *demonſtratione*, ſi non pariter etiam gloriari vis Traditione & praxi Eccleſiæ. Sunt quidam piſces viuaciſsimi in vndis, at ſimul ac ex aquâ eximuntur, moriuntur: ita hæc argumenta, quamuis apud Catholicos contra Anabaptiſtas ſint prorſus viuida; mox tamen expirant, vbi ijſdem hæretici vti incipiunt, qui neruos vitamque eorum aliundè incîdunt. Poteſt igitur ob hæc argumenta tam infauſto ſidere ad Lutheranos tranſlata haud abſurdè illis Bilbilitani Poëtæ verbis in parodiam aptatis te alloqui Bellarminus.

Quem recitas, meus eſt, ô vir fugitiue, libellus: *Martial. lib. 1. epigr. 39.*
Sed malè cùm recitas, incipit eſſe tuus.

Duæ vt demonſtratum eſt, *demonſtrationes* Bellarmini te deſeruerunt, à quibus cùm clypeum velles, ferrum recepiſti; reſtat tertia atque vltima, velut ſacra quædam anchora tua; ſaltem illic quid præſidij habeas, indagemus.

Bellar. loc. cit. Tertia Lutherana demonſtratio de Baptiſmo paruulorum.

Tertium argumentum, ait Bellarminus, *colligitur ex locis illis, vbi dicuntur baptizatæ integræ familiæ, vt Act. 16. dicitur Lydia baptizata, & domus eius. Et ibidem de cuſtode carceris: Baptizatus eſt ipſe & omnis domus eius continuò. 1. Corinth. 1. Baptizaui, inquit Paulus, Stephanæ domum. At certè in integris domibus rarum eſt, vt non ſint infantes aliqui. Hoc argumento vtitur etiam Caluinus, ſed argumentum eſt probabile tantùm, non autem conuincens.*

Hucuſque Bellarmini *probabile tantùm*, vt ipſe fatetur, *non autem apertè conuincens argumentum*, quod tu, Iacobe, cùm pro *demonſtratione* & mihi & Lutheranis tuis venditare non erubeſcas, non poſſum non ſaxo ſilice te ad antiquum ritum percutere, & cum veteri illâ ſolennique formulâ exclamare: *Audi Iuppiter, audi pater patrate populi Albani, audi tu populus Albanus, vt illa palàm prima poſtrema ex illis tabulis ceráue recitata ſunt, ſine dolo malo, vtíque ea hîc hodie rectiſsimè intellecta ſunt; illis legibus populus* Eccleſiaque *Romana non deficit, &c.* ſed populus Lutheranus deficit. Quid *T. Liuius lib. 1.*

Apoſtata Lutheranos pro ſtupidis habet.

 enim,

enim, mi Iacobe? Anne tibi perſuaſiſti, vllum Lutheranum fore tantâ ſtupiditate, & tam craſsis (vti eos olim iudicâſti) cereuiſiæ vaporibus plenum, vt tot annis deſideratam demonſtrationem in Bellarmino non eſſet quæſiturus? Aut, ſi ita de Lutheranis cenſere potuiſti, ánne priſtinæ noſtræ familiaritati tantùm tribuiſti, vt me tam clementem tibi fore iudicares, & tam immanes tuas impoſturas, per diſsimulationem tranſiturum arbitrareris. Non ferio te libenter, ſed multò illibentiùs veritatem. Quare ſepoſito pauliſper priuato amore, totum mundum inuito, vt tuam illam Lutheranamque mecum *demonſtrationem* etiam atque etiam contempletur. Hæc eſt lux veſtra? hi aquilini oculi? tales lynces eſtis? *Argumentum probabile tantùm, nõ autem apertè conuincens,* demonſtrationem appellitatis. Hoc argumento fidei veſtræ articulus inædificatur? *probabili* ſcilicet, cui ſubeſſe poteſt falſum, non autem certo? Quid iam ampliùs *fides* veſtra à fide humanâ diſtat? Si probabili nititur argumento? Denique quàm multa mirabiliaque, ô miſeri, vobis fides veſtra proponet, ſi omnia à vobis credenda ſunt, quæ *probabili duntaxat argumento* ex ſcripturis deducuntur? At non probabile argumentum, ſed demonſtratio eſt, inquis? Ipſum Lutherum tuum audi. *Concedimus*, inquit, *in S. ſcripturâ nullum textum expreſſum eſſe ad refutandum Anabaptiſtarum errorem, vbi ſcilicet dictum ſit baptizandos eſſe infantes, quia credant. Si quis ipſorum vrgere nos velit, vt hæc verba ipſi oſtendamus, cedimus.* Cur cedis Luthere? cur nõ demonſtras? *Contumacium eſt,* inquit Lutherus porrò, *Anabaptiſtarum, non verorum Chriſtianorum, tam anguſtis nos terminis circumſcribere, Illud ſatis cuique eſſe debet, quòd inſtitutionem Apoſtolorum ſequimur, omni tempore in Eccleſiâ Dei obſeruatam, etiamſi ſcriptura id non præcipiat.* Hæc habui, quæ ad tres *demonſtrationes* tuas reſponderem. Quid ad argumenta Topica me dicturum expectas, qui tantus es Gigas, vt etiam in Baptiſmo infantulorum ſubmergaris.

Luther. Sermon. contra Anabaptiſtas.

CA-

Digitized by Google

CAPVT XI.

LVTHERANAM RELIGIONIS NORMAM ETIAM IN EO DEFICERE, QVOD E SOLA SCRIPTVRA DEMONSTRARE NON POSſint, An præceptum de abſtinentiâ à ſanguine & ſuffocato adhuc obliget? & cur feſtum Paſchatis tali die peragendum?

CVM Eurydamo Cyrenæo quondam *in caſtuum luctâ ab Aduerſario dentes eſſent excuſſi, ſtatim eos abſorbuit, ne qui contra luctabatur, animaduerteret.* Imitatur hunc Cyrenæum nouus Prædicans, qui quoſdam ad Religionem ſpectantes articulos tanquam excuſſos ſibi dentes abſorbere mauult, quàm excuſſos prodere. Inter cætera enim vnius argumenti ictu aliquot etiam illi eiuſcemodi articulos non ex ſcripturâ, ſed ex traditione probari ſolitos excuſſeramus. Vt cladem diſsimulet, articulos illos è ſcripturâ probandos eſſe negat. In hunc ferè modum argumentabar, *ſi ſola ſcriptura eſt norma omnium quæ credenda ſunt,* adeoque ſi vt Iacobus ſcripſit, *Laqueos ſolus ille ſacer Codex detegit, tum ex ſolâ ſcripturâ clarè & certò omnia ſciri poſſe debent, quæ ad religionem ſpectant, & ad Laqueos detegendos ſunt neceſſaria. Atqui ad religionem multa ſpectant, quæ ex ſolâ atque vnicâ ſcripturâ clarè & certò ſciri non poſſunt: vt inter cætera: An præceptum Apoſtolicum de non comedendo ſanguine & ſuffocato adhuc obliget, &c. Ergo ſola ſcriptura non eſt norma omnium quæ credenda ſunt: neque laqueos ſolus ille ſacer codex detegit, vt tamen Apoſtata dixerat.* Simile argumentum Forerus propoſuerat de feſto Paſchatis, tali die peragendo, deq; die Dominicâ pro Sabbatho celebrandâ.

Aelian. lib. X. Var. hiſt. c. 19.

In Diſſertat. de laq. cap. 8. pag. 29.

Act. 15.

Quid non audet deſperatio? immò quid non patiuntur victi? arces, vrbes, & ipſos ſæpe duces, quos defendere non poſſunt, produnt. Idem Prædicanti noſtro contigit. ſic enim reſpondet. *Quòd Stengelius de Apoſtolico præcepto abſtinentiæ à ſanguine &*

Arā. pag. 60. c. 8. Vide Colloq. Ratisb. ſeſſ. 10.

Digitized by Google

Apoſtata quę ex ſcripturis probare non poteſt, dicit non eſſe probanda ex ſcripturis.

ne & ſuffocato, an etiamnùm obliget, & Forer de feſto Paſchatis tali die peragendo, déque die Dominicâ pro ſabbatho celebrandâ, ad ſcripturas prouocant, imperitè admodùm extra ſtatum quæſtionis aberrant. Dogmata è ſcripturis probanda dicimus. De ritibus varijs, qui decóris & ordinis cauſſâ ab Eccleſiâ conſtituuntur, quiq; pro temporum & perſonarum ratione modò condi, modò abrogari poſſunt, hoc nunquam ſomniauimus. Ad ritus exempla prolata, non ad fidem dogmatum pertinent. Pridem ex his & ſimilibus exemplis ductum à Ieſuitis argumentum, in Ratisbonenſi Colloquio à noſtris Theologis iugulatum eſt.

Primùm fateris id quod in quæſtione eſt, *An ſcilicet præceptum Apoſtolicum de non comedendo ſanguine & ſuffocato adhuc obliget*, item *Cur Dies Dominica pro Sabbatho celebranda*, te ex ſcripturis demonſtrare non poſſe. Cur ergo Paſcha tuum non transfers in Sabbathum? cur non abſtines à ſanguine & ſuffocato? Cur lepores, & aues antequam comedis, non exploras, ne fortè laqueo capti ſuffocatique ſint. An quia ſcriptura docet obligare illud, hoc autem Apoſtolicum præceptum iam non ampliùs obligare? At fateris in ſcripturâ hac de re nihil eſſe.

Cur ergo non à guſtulis illis tuis abſtines? quis tibi dicit, præceptum illud non ampliùs obligare? ſi ſcriptura non dicit, quæ præceptum tamen eſſe dicit, ergo res libera non eſt, ergo adhuc præceptum eſt. Vide vt menſam tuam Dominorumque aliorum expolies? At non expolias; iubes hæc omnia ſine ſcrupulo, tuo exemplo contruncari & deuorari; quia præceptum illud non ampliùs obligare credis. At quis tibi dixit, non ampliùs obligare? Scriptura non dixit, vt agnoſcis, quis ergo dixit? Nempe Traditio dixit. Salua res, quòd ſaltem hîc Traditionem agnoſcis & ſequeris.

An præceptũ abſtinentiæ à ſanguine & ſuffocato ſit extra ſtatum quæſtionis?

Deinde cùm fatearis, vel ſaltem negare non poſsis, nihil hac de re in ſcripturis eſſe, nonne ſi oſtendero, rem hanc *extra ſtatum quæſtionis non aberrare*, quemadmodum tu, vt cum Hunnio argumentum eludas, nos *imperitè aberrare* per conuitium fingis, euictum & conſtrictum denuò te habebo? Mox enim inſtabit adamantina concluſio, quæ tibi manicas pedicaſque inijciet.

Oſten-

Oſtendo igitur id ex Bellarmino, ex Becano, tanquam te doctioribus, & magis ſcientibus, quæad ſtatum quæſtionis pertinent, immo ex teipſo, ex Luthero & Kemnitio, denique ex ipſo Colloquio Ratiſponenſi, ad quod tu appellas. Ac I. ex Bellarmini auctoritate, qui vtique *ſtatum quæſtionis* probè intelligens his verbis *explicat: Controuerſia igitur inter nos, & hæreticos in duobus conſiſtit. Primum eſt, quòd nos aſſerimus in ſcripturis non contineri expreſſè totam doctrinam neceſſariam ſiue de fide,* SIVE DE MORIBVS: *& proinde præter verbum Dei ſcriptum requiri etiam verbum Dei non ſcriptum, id eſt, diuinas & Apoſtolicas Traditiones. At ipſi* (hæretici) *docent in ſcripturis omnia contineri ad fidem* ET MORES *neceſſaria, & proinde non eſſe opus vllo verbo non ſcripto.* Agnoſcis, Apoſtata, aliquos veſtrum etiam de ijs è ſcripturâ probandis ſomniâſſe, quæ ad mores neceſſaria? Atqui ad mores neceſſarium eſt ſcire, An præceptum aliquod Apoſtolicum adhuc obliget, quod ſemel obligauit? niſi veſtri mores ita ſunt, vt non ſolùm præceptis Apoſtolicis parere recuſent, ſed etiam, vt neque ſcire quidem velint, An aliquid Apoſtoli præcipiant? vel ſi aliquid præceperunt, An id à vobis ſeruandum vel non ſeruandum? Hi ſunt veſtri mores, non curare mores: hæ veſtræ leges, negligere leges: illa ſunt veſtra præcepta, non ſolicitos eſſe num obligent, an non obligent præcepta? Atqui tamen, ſi dictis facta competant, ſecus vobis faciendum foret. Præcepta quæ non ſunt libera, ſed ad mores in primis neceſſaria, è verbo Dei ſcripto promenda forent. Hoc de ſuffocatis pręceptum in ſcripturis habetis. cur ergo non ſeruatis? quia non ampliùs obligat? at hoc in ſcripturis non habetis, aliquid ergo ad mores neceſſarium non habetis. Agnoſcis igitur Bellarminũ & hęreticos tuos apud illum, contra te ſtantes? nec dum de pileo illius virtutis color in frontem tuam inſilit? Quid rides?

Bellarm. lib. 4. de Verbo Dei non ſcripto cap. 3.

Non benè mendaci riſus componitur ore;
Nec benè ſollicitis ebria verba ſonant.

Nimis multi teſtes contra te inſurgunt, quibus loquela tua te manifeſtum facit. Nam ecce II. etiam Becanus vtique non ignarus, quid Lutherani ſomniârint. *Sunt & aliæ ſimiles controuerſiæ,*

Becan. Man. Controu. lib. I. cap. 5.

Digitized by Google

ſia, ait, *quæ ex ſolâ ſcripturâ decidi non poſſunt, ſed alio Iudice opus habent. Sunt autem hæ. 1. An baptiſmus vnâ merſione, an trinâ conferri debeat? 2. An Chriſtiani loco Sabbathi debeant colere diem Dominicum. 3. An B. Maria manſerit virgo poſt partum*, &c. At colere loco Sabbathi diem Dominicum eiuſdem generis quæſtio eſt, vt tu ipſe hîc concedis, cum illâ de obligatione præcepti Apoſtolici circa ſuffocata. Itaque ſi colere diem Dominicum loco Sabbathi ad ritus è ſcripturâ ſacrâ à vobis demonſtrandos pertinet, etiam ritus iſtos, de quibus agitur, Becanus ad rem præſentem pertinere cenſet. Præterquam quòd præceptum de ſuffocatis, hoc ipſo, quia preceptum fuit, non fuerit ex illis ritib. qui ad ordinem duntaxat & decorem Eccleſiæ liberè pertinebant. Etſi enim ex ſe liberum ſit vti vel abſtinere ſuffocatis, vbi tamẽ præceptum accedit, libertas tollitur; cuius etiã ipſius poſtea præcepti obſeruatione debitus Deo cultus exhibetur. Sed quia teipſum pluris facis, quàm hos tales, diſce III. ex temetipſo, an tunc *imperitè extra ſtatum quæſtionis aberrâris*, quando tu ipſe Lutheranis hoc argumentum obſipâſti. Itaque Enchiridium tuum inſpice, & tibi ipſi in ſinum inſpue, quòd antehac tam fueris imperitus; qui Lutheranis hanc de Chriſtianorum paſchate probationem obiecisti. Nempe antequam in ijs nomen tuum profitereris, qui Lutheri ſe ſtudent tenebris illuminare, etiam tu imperitorum vnus fuiſti. Nunc tanquam guſtato vetito fructu ſerpens tibi aperuit oculos: & quaſi euigilâſſes, non recordaris ampliùs, quid Lutheranos ſomniâſſe ipſe ſcripſeris. Circea te, miſerande Prædicans immò Lethea pocula mutauerunt.

Iac. Reihing. in Enchirid. art. 1. §. 2.

Quid de ritibus Lutherani ipſi? *Luther. in comment. c. 1. ad Galat.*

Quocirca ſi nec tute tibi idoneus videris eſſe teſtis. *IV.* Lutherum tuum adhibe, cuius illa ſunt oracula: *Neque alia doctrina in Eccleſiâ tradi & audiri* (vniuerſim loquitur tam de dogmatis, quàm de cultibus moribuſque) *debet, quàm purum verbum Dei, hoc eſt, ſancta ſcriptura, Doctores, vel auditores alij cum ſuâ doctrinâ, anathema ſunto.* Anathema igitur es Luthero tuo, qui doctrinam admittis in ſcripturis non cõprehenſam: negaſq; Lutherum ſomniâſſe, quod etiam vigilans in chartâ delineauit.

Ac-

Digitized by Google

Atque vt palatum tuum penitùs exatiem teſtibus: V. huc veniat etiam Kemnitius, qui ſic loquitur: *Nullis certis & firmis documentis probari poteſt, qui ſint ritus certò ab Apoſtolis traditi, qui ex ſcripturâ oſtendi non poſſunt.* Et tu, Iacobe Endymion, cum Lunâ tuâ, audes ſcribere, *Dogmata è ſcripturis probanda dicimus. De ritibus varijs, &c. hoc nunquam ſomniauimus?* Nonne hoc ſomnium Kemnitij fuit? Et verè ſomnium fuit, nam apud vos tam vigilantes paſtores, vt video, planè ſomnij inſtar euanuit.

Kemnit. agēs de ſeptimo traditionum genere apud Bellar. loc. cit.

Nec tamen apud omnes. Nam VI. vt ipſum Ratiſponenſe Colloquium, ad quod tu admodum imprudenter, ne dicam impudenter, prouocas, tibi in os regeram, in principio ſtatim illius Colloquij Theologaſtrorum Auguſtanæ Confeſſionis quarta theſis fuit iſta: *In verbo illo diuino, omnia quæ nobis ad veram Dei & voluntatis diuinæ agnitionem, adeóque ad ſalutis æternæ conſecutionem, nec non* AD CVLTVS DEO *placentes neceſſaria ſunt, ſufficienter contineri minimè dubitamus.* Quinta item Theſis hæc erat, *Vnicam hanc eamq́; certam, perfectam, perſpicuámque normam fidei &* CVLTVVM, *parati ſumus per Dei gratiam ex ſcripturâ ſacrâ palam tueri.* Sed quid ego hos ab inferis excito, qui has Theſes poſuerunt? Illi ne ſomniarent, aut dormirent, ſatis excitati exagitatique fuerant à noſtris Theologis hoc ipſum de Paſchate argumentum obijcientibus. Cum illi itidem vt tu nunc, dictitarent, noſtros Theologos *extra ſtatum quæſtionis aberrare*, noſtri manifeſtè demonſtrarunt, fidei id dogma eſſe: quippe quod ſine hæreſi non negaretur, ſicut nec à *Quartadecimanis* ſine hæreſi fuit negatum, quos ob id ipſum Auguſtinus, Epiphanius, Tertullianus, & antiqua illa Eccleſia pro hæreticis habuit, non quòd rem liberam & ritum minimè neceſſarium ex indifferēte neceſſarium feciſſent *Quartadecimani* (cum prædicti Patres & Eccleſia nequaquam pro hæreſi habuerit, aliquid ex re indifferenti neceſſarium facere, immò cum præceptum circa hanc rem agnouerint, adeoque illam non amplius liberam ac indifferentem exiſtimarint) ſed quòd diuinum cultum actumq́; religionis pro arbitrio contraque Eccleſiæ auctoritatem hæ-

Etiam ritus ex ſcripturis oſtendere volunt Lutherani.

In actis colloquij Ratisb. Monachij impreſsis Anno. 1602. pag. 9.

Adi colloq. Ratiſp. ſeſſ. 10.

ſiæ, ait, *quæ ex ſolâ ſcripturâ decidi non poſſunt, ſed alio Iudice opus habent. Sunt autem hæ. 1. An baptiſmus vnâ merſione, an trinâ conferri debeat? 2. An Chriſtiani loco Sabbathi debeant colere diem Dominicum. 3. An B. Maria manſerit virgo poſt partum* , &c. At colere loco Sabbathi diem Dominicum eiuſdem generis quæſtio eſt, vt tu ipſe hîc concedis, cum illâ de obligatione præcepti Apoſtolici circa ſuffocata. Itaque ſi colere diem Dominicum loco Sabbathi ad ritus è ſcripturâ ſacrâ à vobis demonſtrandos pertinet, etiam ritus iſtos, de quibus agitur, Becanus ad rem præſentem pertinere cenſet. Præterquam quòd præceptum de ſuffocatis, hoc ipſo, quia preceptum fuit, non fuerit ex illis ritib. qui ad ordinem duntaxat & decorem Eccleſiæ liberè pertinebant. Etſi enim ex ſe liberum ſit vti vel abſtinere ſuffocatis, vbi tamē præceptum accedit, libertas tollitur; cuius etiã ipſius poſtea præcepti obſeruatione debitus Deo cultus exhibetur. Sed quia teipſum pluris facis, quàm hos tales, diſce III. ex temetipſo, an tunc *imperitè extra ſtatum quæſtionis aberrâris*, quando tu ipſe Lutheranis hoc argumentum obſipâſti. Itaque Enchiridium tuum inſpice, & tibi ipſi in ſinum inſpue, quòd antehac tam fueris imperitus; qui Lutheranis hanc de Chriſtianorum paſchate probationem obiciſti. Nempe antequam in ijs nomen tuum profitereris, qui Lutheri ſe ſtudent tenebris illuminare, etiam tu imperitorum vnus fuiſti. Nunc tanquam guſtato vetito fructu ſerpens tibi aperuit oculos: & quaſi euigilâſſes, non recordaris ampliùs, quid Lutheranos ſomniâſſe ipſe ſcripſeris. Circea te, miſerande Prædicans immò Lethea pocula mutauerunt.

Iac. Reihing. in Enchirid. art. 1. §. 2.

Quid de ritibus Lutherani ipſi? *Luther. in comment. c. 1. ad Galat.*

Quocirca ſi nec tute tibi idoneus videris eſſe teſtis. IV. Lutherum tuum adhibe, cuius illa ſunt oracula: *Neque alia doctrina in Eccleſiâ tradi & audiri* (vniuerſim loquitur tam de dogmatis, quàm de cultibus moribuſque) *debet, quàm purum verbum Dei, hoc eſt, ſancta ſcriptura, Doctores, vel auditores alij cum ſuâ doctrinâ, anathema ſunto.* Anathema igitur es Luthero tuo, qui doctrinam admittis in ſcripturis non cōprehenſam: negaſq; Lutherum ſomniâſſe, quod etiam vigilans in chartâ delineauit.

At-

Atque vt palatum tuum penitùs exatiem teſtibus: V. huc veniat etiam Kemnitius, qui ſic loquitur: *Nullis certis & firmis documentis probari poteſt, qui ſint ritus certò ab Apoſtolis traditi, qui ex ſcripturâ oſtendi non poſſunt.* Et tu, Iacobe Endymion, cum Lunâ tuâ, audes ſcribere, *Dogmata è ſcripturis probanda dicimus. De ritibus varijs, &c. hoc nunquam ſomniauimus?* Nonne hoc ſomnium Kemnitij fuit? Et verè ſomnium fuit, nam apud vos tam vigilantes paſtores, vt video, planè ſomnij inſtar euanuit.

Kemnit. agẽs de ſeptimo traditionum genere apud Bellar. loc. cit.

Nec tamen apud omnes. Nam VI. vt ipſum Ratiſponenſe Colloquium, ad quod tu admodum imprudenter, ne dicam impudenter, prouocas, tibi in os regeram, in principio ſtatim illius Colloquij Theologaſtrorum Auguſtanæ Confeſſionis quarta theſis fuit iſta: *In verbo illo diuino, omnia quæ nobis ad veram Dei & voluntatis diuinæ agnitionem, adeóque ad ſalutis æternæ conſecutionem, nec non* AD CVLTVS DEO *placentes neceſſaria ſunt, ſufficienter contineri minimè dubitamus.* Quinta item Theſis hæc erat, *Vnicam hanc eamq́ certam, perfectam, perſpicuámque normam fidei &* CVLTVVM, *parati ſumus per Dei gratiam ex ſcripturâ ſacrâ palam tueri.* Sed quid ego hos ab inferis excito, qui has Theſes poſuerunt? Illi ne ſomniarent, aut dormirent, ſatis excitati exagitatique fuerant à noſtris Theologis hoc ipſum de Paſchate argumentum obijcientibus. Cum illi itidem vt tu nunc, dictitarent, noſtros Theologos *extra ſtatum quæſtionis aberrare*, noſtri manifeſtè demonſtrarunt, fidei id dogma eſſe: quippe quod ſine hæreſi non negaretur, ſicut nec à *Quartadecimanis* ſine hæreſi fuit negatum, quos ob id ipſum Auguſtinus, Epiphanius, Tertullianus, & antiqua illa Eccleſia pro hæreticis habuit, non quòd rem liberam & ritum minimè neceſſarium ex indifferẽte neceſſarium feciſſent *Quartadecimani* (cum prædicti Patres & Eccleſia nequaquam pro hæreſi habuerit, aliquid ex re indifferenti neceſſarium facere, immò cum præceptum circa hanc rem agnouerint, adeoque illam non amplius liberam ac indifferentem exiſtimarint) ſed quòd diuinum cultum actumq; religionis pro arbitrio contraque Eccleſiæ auctoritatem hæ-

Etiam ritus ex ſcripturis oſtendere volunt Lutherani.

In actis colloquij Ratisb. Monachij impreſſis Anno. 1602. pag. 9.

Adi colloq. Ratiſp. ſeſſ. 10.

Digitized by Google

reticè inuerterint, & Paſcha quartâ decimâ lunâ cum Iudæis potiùs, quàm cum Chriſtianis celebrârint.

Vt autem erubeſcendi quæſtus tibi ſit longè vberrimus, Iacobum Hailbrunnerum quoque interroga, an non Lutherani aliquando etiam *de* his talibus *ritibus* qui cultûs rationem habent, liberique non ſunt *ſomniârint*, eos ſcripturâ eſſe probandos? Nam primum ſtatim, ne mendacium hoc Apoſtaticum diu quærendum eſſet, argumentum Colloquiſtarum ab Hailbrunnero his terminis eſt propoſitum: *In rebus fidei, religionis, & CVLTVVM, id tantùm, quod nec additionem, nec detractionem patitur, pro normâ eſt agnoſcendum & vſurpandum: ſolum verbum Dei ſcriptum nec additionem nec detractionem patitur, ergo illud* SOLVM *pro normâ fidei, religionis & CVLTVVM eſt agnoſcendum.* Hæc in Actis Colloquij Hailbrunner ſomniauit, & plura ibidem in confirmationem eorum, quibus tu non rectè ſubſcribis illa: *Ad ritus* (qui *decòris & ordinis causâ ab Eccleſiâ conſtituuntur, quique pro temporum & perſonarum ratione modò condi modò abrogari poſſunt*) *exempla prolata, non ad fidem dogmatum pertinent.* Nam etſi præceptum de non comedendis ſuffocatis abrogatum ſit, litem tamen tibi intendent Græci, dicentes id abrogari non potuiſſe, adeoque ex ritibus illis tuis non fuiſſe; ſicut & alij dicent, diem Dominicum abrogari non poſſe. Tu quo modo eos è ſcripturâ conuinces? Aiunt illi ad cultum diuinum iſta, itemque ad mores pertinere: tu in ijs quæ ad *cultum* & *mores* pertinent, nullam agnoſcis normam, niſi ſcripturam: vbi ergo hîc eſt norma tua? vbi ſcriptura tua, nonne aperte deficit? Quare tantò magis mirandum eſt, te illud auſum apponere: *Pridem ex his & ſimilibus exemplis ductum à Ieſuitis argumentum, in Ratisbonenſi Colloquio à noſtris Theologis iugulatum eſt.* Hui! iugulatum eſt? Vide quid dicas; ne ex te locus petatur; ſiquidem tu nullum nominas. Ego quidem præter illum in quo vos iugulati fuiſtis, etiam alium inueni, qui te hac in cauſsâ non iuuat, ſed nihilominus & in hac & in aliâ cauſsâ enecat. Nam ita Adamus Tannerus noſter: *Colligitur ſecundò, ineptè Hunnium impugnare noſtrum illud dictum, cùm in reſponſo ad teſtimonia Patrum, decretum illud Apoſtolorum,*

In eodē Colloquio pag. 20.

Aran. pag. 60.

Colloq. Ratisb. ſeſſ. 10.

Tanner. in Apolog. pro compendiariâ relatione de

Act. 15. de abſtinendo à ſanguine & ſuffocato produximus velut exemplum, quo oſtenderemus, Apoſtolos quædam decreuiſſe ac præcepiſſe etiam non ſcripta. Ait enim hoc decretum fuiſſe ſcriptum, ex illo ipſo loco ſcripturæ probari. Quis neſcit hoc, Hunni? Scriptum poſteà fuiſſe ſcio, ſed priùs tamen fuiſſe decretum, quàm ſcriberetur, eamq́ legem cùm in Concil. Hieroſolymitano ferretur, nondum fuiſſe ſcriptam, atque adeò quidpiam nullâ priùs ſcripturâ à Deo mandatum, ab Apoſtolis fuiſſe præceptum, hoc aio, hoc vrgeo, tanquam quod veſtrum illud pronunciatum de non addendo, &c. penitùs euertat, &c. vt etiam ſuprà diximus. Sed & hoc falſum eſt, quod ait Hunnius, hanc (illius decreti Apoſtolici) omnium primam fuiſſe ſcripturam in toto nouo teſtamento. S. enim Matthæum ſuum Euangelium ſcripſiſſe, priuſquam Apoſtoli in diuerſas orbis prouincias diuiderentur, atque adeò multo tempore ante illius Concilij celebrationem, communis eſt omnium ſententia.

Colloquio Ratisbonenſi c. 8. Exemplo Apoſtolorum aliquid poſſe decerni ab Eccleſiâ, quod nondum ſit ſcriptum.

His vos tunc (imò non vos, nam tu nondum eras ex illis) iugulauit Tannerus, qui mox deinde abundè multa exempla peculiaria cultûs extra ſcripturam legitimè inſtituti ſubiecit, quibus quid aliud fecit, quàm vt contra Lutheranos pugnaret, & Hunnium diſertis his verbis negantem legitimè aliquem *aliquid in CVLTV addidiſſe, quod neq́ in ſcripto verbo contineatur, nec inde deduci poſſit.* His tot teſtibus exempliſque conuictus; i, & adhuc clama, vos *nunquam ſomniâſſe*, quòd *ritus* tales ſint è ſcripturâ probandi. Niſi diei Dominicæ celebratione Deum non coli arbitraris; aut Apoſtolos à ſanguine & ſuffocatis dicis, nō moris & diuini honoris cauſſâ abſtinuiſſe exiſtimas. Sed age ſi vel maximè ſcîſti, *pridem ex his & ſimilibus exemplis ductum à Ieſuitis argumentum, in Ratisbonenſi Colloquio à veſtris Theologis iugulatum eſſe*, cur ipſe, antè hac iugulatum laceratumque hunc Abſyrtum collegiſti? cur, inquam, hoc ipſum argumentum iam iugulatum anteà, & mortuum, aduerſarijs tuis in campum eduxiſti? An tam vecors eras, vt mortuis militibus pugnares, qui vulnera pati, ſed facere non poſſent? Blenni & buccones ſint oportet, qui id credant, vel certè tu à Satyris tuis dignus es reſpui, vt ille quondam qui hyberno gelu ſupra modum ſæuiente in manus ori admotas inflauit: rogatuſque cur ita faceret?

Ibid. c. 9.

Hunn. Apol. pag. 285.

Apoſtata vſus eſt exemplo ſuâ ipſius ſententiâ malo.

In loc. Enchiridij ſuprà cit.

ceret? reſpondit, vt frigidas manus halitûs tepore calefaciam. Ac deinde vbi appoſitâ menſâ in pultem feruidam rurſum inflauit; rogatuſque denuò, quid hoc ſibi vellet? Reſpondit, vti pultem nimiùm feruentem halitu refrigerem. Quare à ſurgente Satyro, dicenteque, quid ego audio? tun' eodem ex ore pariter & calidum & frigidum efflas? valere iuſſus eſt. Te quoque ſi ita tractarent tui Prædicantes, pro merito tractarent ex eodem ore, de eâdem re contraria proferentem.

Lutherani rituum normã & iudicem Eccleſiam agnoſcere coguntur.

Teſtimonijs vſtus es, nunc etiam alio argumento te ad veritatem confitendam adigamus. Heus, notis te vocibus alloquor, Iacobe, *Vigila, inquam, expergiſcere inquam, lucet hoc inquam!* Quando enim tibi *ritus varij qui decóris & ordinis cauſsâ ab Eccleſiâ conſtituuntur*, ex ſcripturâ probari non debent, & tamen mali non ſunt, ſicut nec ille malus fuit, quo decernebatur abſtinentia à ſanguine & ſuffocato, cur Eccleſiam in tot ritibus ſuperſtitionis, Lutherani, accuſatis? cur aliquos eius ritus imitamini, aliquos deteſtamini? Vnde ſcitis Eccleſiam in his & non item in illis errare? in vno & non in altero rituum normam eſſe? Si poteſt Eccleſia conſtituere ritum de abſtinentiâ ſanguinis & ſuffocati, cuius obſeruatio Iudaiſmum ſapit, & ceremonias veteris legis; cur nequit conſtituere alios ritus pios, qui Chriſtum ſapiunt? Si Eccleſia poteſt abrogare ritum ab Apoſtolis conſtitutum, cur eandem illius & Apoſtolorum auctoritatem eſſe negatis? cur vnum placet, & alterum diſplicet? Cur hîc libido veſtra diuerſa æquora petit,

Act. 15.

Virg. 12. *Aeneid.*

Et nunc huc, inde huc incertos implicat orbes?

Ioan. 3. 5.

Cur tantoperè ſudatis in baptiſmo puerorum è ſcripturis demonſtrando? Reſpondere poſſetis, *Dogmata è ſcripturis probanda dicimus. De ritibus varijs, &c. hoc nunquã ſomniauimus.* Baptiſmus puerorum nuſquam expreſſe credendus proponitur. Ergo non eſt dogma. Nam illum vnicum locum. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, &c.* ait Caluinus non elementũ *aqua*, ſed Spiritũ S. ſignificare. ſi ergo è ſcripturis nihil certò conſtat, quo modo pro dogmate habetis qui oñia veſtra dogmata dicitis in ſcripturis clarè reperiri? Nempe fallaciter hîc, Iacobe, inter ritus iſtos & dogmata diſ-

Caluin. in Ioan.

Digitized by Google

ta diſcrimen facis: cùm multi etiam ritus ſint dogmata aut ſaltē ad dogmata pertineat, aliquos credere ritus neceſſarios atq; diuinos. Quis enim Pædobaptiſmum ritum eſſe neget? tu tamē Pædobaptiſmum tanquam dogma paulò prius è ſolâ ſcripturâ demonſtrare, quamuis infeliciter, conatus es. Et ſi ita deliratis, vt Pædobaptiſmum pro ſolo dogmate habeatis; an etiam Exorciſmum, trinam merſionem, aliaſque ceremonias in Eccleſiâ Catholicâ vſitatas dogma & non ritum vocatis? Quid ergo tandem tunc vobis ritus erit? Atqui Exorciſmum hunc trinamq́ue merſionem pro ritu vt opinor, habetis, & nobiſcum admittitis, quæ à Caluiniſtis reijciuntur. Quò igitur? ad quam, inquam, normam, aut ad quem iudicem in hac lite currendum vobis erit? Nempe vos Lutherani ad Eccleſiam curretis. Eccleſia vos mittet ad Traditionem. Huc tandem veſtra norma, huc iudex redit. Nā *antiquiſſimâ,* ait Auguſtinus, *Eccleſiæ traditione exorcizantur & exſufflantur paruuli, vt in regnum Chriſti à poteſtate tenebrarum transferantur.* Et alibi. *Illa autem quæ non ſcripta ſed* TRADITA *cuſtodimus, quæ quidem toto terrarum orbe obſeruātur, dantur intelligi vel ab ipſis Apoſtolis, vel plenarijs concilijs, quorum eſt in Eccleſiâ ſaluberrima auctoritas, commendata atque ſtatuta retineri, Sicut quòd Domini Paſſio &* RESVRRECTIO *& aſcenſio in cœlum, & aduent⁹ de cœlo Spiritus ſancti anniuerſariâ ſollennitate celebratur, & ſi quid aliud tale occurrerit, quod ſeruatur ab vniuersâ, quâcumque ſe diffundit Eccleſia.* Itaque in his talibus & vos Lutherani tandem, quod diu optauimus, ad Eccleſiam confugitis. Sed fruſtrà, vt ex Auguſtino didiciſtis, quàm diu traditiones diuinas repudiatis. Etſi enim vobis Eccleſia per traditiones ſuas iſta rectè liquidòque confirmat; necquidquam tamen vos ſine traditionibus (quas vt humanum quid habetis, cui proprium eſt etiam errare) eadem per Eccleſiam Caluiniſtis probatis. Illi enim Eccleſiam etiam in hac ipſâ re rident, nec pro normâ aut Iudice agnoſcunt: Quare ex vobis meritiſsimò quærent, cur in his & non in alijs ritibus Eccleſiæ Catholicæ credatis? Cur ſine normâ veſtrâ tam enormiter erretis? Quò ibitis, miſeri? Arripite opem, auxiliumq́ue ad hanc rem properè. Nempe hæret vobis

Lutherani etiam ad traditiones adiguntur.

S. Aug. lib. 2. de Nuptiis & concup. c. 29.

Idem Aug. ep. 118. ad Ianuarium.

Digitized by Google

aqua; quia traditionibus non adhæretis. Neque enim è ſcripturis, vt quidem Iacobus veſter fatetur, eiuſmodi ceremonias Caluiniſtis valetis demonſtrare. Ex traditione poſſetis, ſed præ mentis pertinaciâ non vultis. Denique quare, dicent Caluiniſtæ, ad fidei dogmata, quibus internus Deo cultus tribuitur, ſcripturas exigitis, ad cultum autem iſtum externum à fide atque religione profectum ſcripturas non exigitis? An minus eſt interno externóque cultu ſimul per ſuperſtitionem, quàm ſolo interno per ignorantiam errare?

Audio ſerpentem ex inſidijs aſsibilantem. Callidiſsimè verba tua, Iacobe, inſtruxiſti; neque enim ſine inſigni fraude *ritus varios, qui decóris & ordinis cauſsâ ab Eccleſiâ conſtituuntur,* nominâſti. Et docuit me dudùm Bellarminus vos exiſtimare, *Apoſtolos quidem quædam inſtituiſſe, præter ſcripturam, quæ ad ritus & ordinem Eccleſiæ pertinent, quæ tamen non ſint neceſſaria, nec præcepta, ſed libera: Nihil autem tradidiſſe præter ſcripturam ad fidem aut mores neceſſariò pertinens, &c.* Audio hæc te quoque tacitè de cauo tuo aſsibilantem; ſed planè ſibilis digna. Nam etſi præceptum de abſtinentiâ à ſanguine & ſuffocato, nunc non ampliùs obliget; tamen quàm diu obligauit & præceptum & neceſſarium fuit & vtiq; ſaltem per conſequẽs & quandam obediendi neceſsitatẽ ad mores neceſſariò pertinebat. Atque vt ſuprà dixi, etiamnum ad mores neceſſarium eſt ſcire, An adhuc obliget? Si ergo Apoſtoli nihil tradiderunt præter ſcripturam, ad mores neceſſariò pertinens, ſique hoc ipſum neceſſariò ad mores pertinet, ſcire an præceptum Apoſtolicum adhuc obliget, Dic mihi in quâ ſcripturâ eſt, obligationem illam ceſſauiſſe? quod initio quærebamus. Vt nihil vlteriùs dicam de eo, quòd etiam ſuo modo ad dogmata pertineat, ſcire, an ea quæ Apoſtolicâ diuináque lege aliquando obligârunt, adhuc obligent nécne? Certè antè hac diuinâ fide creditum eſt, præceptum de ſanguine & ſuffocato obligare. Quâ fide igitur nunc creditis, non obligare?

Aran. pag. 60. Bellarm. lib. 4. de Verbo Dei non ſcripto c. 3.

Apoſtatæ verſutia nihili.

Et ſi quid vis amplius, conſidera cauſſam illius præcepti de abſtinentiâ ſanguinis; & dic nobis, an tantùm *decóris & ordi-*

nis cauſsâ vel ſit conſtitutum, vel obſeruatum? *Suffocata*, inquit Origenes, *fuerunt ſanguine nõ expreſſo de mortuo: quem quia dæmonum eſſe cibum vigebat opinio inter Gentiles, ideò vt ex eius nidore illi paſcantur, propterea inhibita ſunt, ne illorum nutrirêtur cibo, neu nobiſcum iſtiuſmodi ſpiritus coalerentur, ſi ſuffocatis veſceremur.* S. Auguſtinus docet etiam eo præcepto reſpexiſſe Apoſtolicum Concilium partim ad Iudæos, qui abhorrerent ab his eſcis, partim ad antiquiora illa ſecula, quibus, poſtquam extrauit ex arcâ diluuij Noë, (quæ figura fuit Eccleſiæ ex omnibus gentibus congregatæ) hoc ipſum prohibuit Deus; nempe *ne carnem cum ſanguine* mortales *comederent.*

Orig. lib. 8. cont. Celſ.
Cur præcepta abſtinentia à ſanguine & ſuffocatis.
1. Cauſſa.
S. Aug. lib. 32. contr. Fauſt. cap. 13.
II. Cauſſa.
Gen. 9. 4.

Vtra harum rationum Apoſtolos commouerit ad eam legem ſanciendam, ſeu videlicet ſuperſtitioſa apud Gentes talium ciborum vſurpatio, ſeu religioſa apud Iudæos ab ijſdem, ob diuinum præceptum abſtinentia; certè non videtur tantùm *decóris & ordinis*, ſed etiam cultûs religioniſque cauſsâ factum, vt eam legem ſancirent.

Vide Lorin. in Act. Apoſt. cap. 15. v. 20.

Quare etiam quàm diu Chriſtiani in eâdem abſtinentiâ *ob legem Apoſtolicam perdurârunt, inter tentamenta,* vt inquit Tertullianus, *botulos illis* CRVORE *diſtentos admouebant Gentiles, certiſſimi ſcilicet illicitum eſſe penes illos, per quod exorbitare eos volebant.* Hanc ipſam ob cauſſam Græci nos Eccleſiamque Latinam, ob huius abſtinentiæ negligentiam prolato canone Apoſtolico inſectantur. Quod vtique neque Gentiles olim, neque Græci hodie *decóris & ordinis*, ſed cultûs religioniſque cauſſâ factitârunt. Vnde ſi cætera omnia deficerent, vel ex hoc capite obligationem, ſolutionémue præcepti huius è ſcripturâ demonſtrare cogimini, qui omnia neceſſaria demonſtranda docetis. Cùm igitur ſtet & hoc à vobis per ſcripturas eſſe probandum; ſtat & primum meum Foreriqúe de ritibus argumentum, & vos in ipſis ſuffocatis ſuffocat ſtrangulatque, qui, quamuis ſcriptura vobis non faciat poteſtatem, tamen à ſanguine non abſtinetis. Quid mirum? eâ libertate eſtis, vt neque à ſanguine, neque à carne abſtineatis.

Tertull. Apologet. cap. 9.

CA-

Digitized by Google

CAPVT XII.

ARGVMENTVM TERTIVM CONTRA NORMAM LVTHERANORVM, A SCRIPTVRA IPSA MVLTOS ARTICVLOS NON exprimente hauſtum, quàm miſerè Apoſtatam ſtrangulet? vbi & de methodo Gonterianâ.

Differt. de laqueis c. 8. III. Argumẽtum generale contra Lutheranorum normam.

TErtium generale contra vniuerſalem Lutheranorum in rebus fidei normam argumentum his verbis propoſui. TERTIO *ſi illa tam clara norma eſt, vt quidquid extra hos libros tanquam diuinum aliquid docetur, humanum & mortis laqueus ſit, tum diſertè & in terminis abſque vllo diſcurſu & conſequentiâ, in ſcriptura nobis oſtendere debebis, omnes articulos tuæ fidei: quidquid enim conſequentiarum adiunxeris, humanum erit, & iuſtiſſima cauſſa erit, vt dicam te non ex ſolâ ſcripturâ nobis oſtendere tuos articulos. Atqui ringaris licet, nunquam tamen diſertè & in terminis id facere poteris. Vbi enim legis Romanum illum Cenſorem, vt tu eum Satyricè appellas, eſſe Antichriſtum? Miſſam eſſe abominationem, &c. Alia exempla à te ipſo diſce ex artic. 1. §. 2. contra Hoë.*

Huc vſque ego. Quæ tantò ſtabiliora apparebunt, quantò plura occurrunt, & ad confirmationem eorum infrà dicenda, & in Apoſtatæ reſponſo falce digna.

Apoſtatæ ad vnum argumentum octo peccata potius, quam reſponſa.

Aran. pag. 61.

Primum eſt, quòd nec numerare ampliùs nôrit miſer, neſcit enim quotum ſit argumentum meum, vel certè neſcire ſe ſimulat, ne primum argumentum præterijſſe videatur. Cùm enim apud me clarè legiſſet. *Tertiò ſi illa, &c.* iterum auſus eſt ſcribere, *Secundò igitur Stengelius aduerſus me ita argumentatur.* O magnum Arithmeticum, qui nondum ſcit tria numerare! immò planè nouum & magnum! qui ex tribus ſcit duo facere, in detractionibus adeò exercitatus! adeoque in prætеritionibus citatus & pernix! vt ne ex algebrâ quidem præſtigiatorum id diſcere tam bellè potuiſſet. Non neſcio nihil tam

facilè

Digitized by Google

facile eſſe, quàm in numero errare; quare nec ego quidem iſtud obijcerem, ſi ex memoriæ, aut typographi peccato accidere potuiſſet; nunc autem quoniam hæc omnia ex arte facit, quâ totum primum meum argumentum expungit, meritò etiam hîc notari debuit.

Secundum eſt, quòd tam fidenter Nemeſi ſuâ contrarium clariſsimè teſtificante, dicat: *Argumentum hoc tuum tam futile eſt, vt ringi me opus non ſit. Tu autem rumparis licet, ſequelam propoſitionis tuæ, quam pernegamus, nunquam probatam dabis. Ais me dicere, quidquid extra ſacros libros, tanquam diuinum aliquid docetur, humanum commentum eſſe. Ita eſt. Quid tum? Ergo omnia dogmata ſunt in terminis monſtranda in ſacris libris? Nihil minùs ſequitur. Nec humanum commentum eſt, nec extra ſacras literas docetur; quidquid ex ipſis legitimâ conſequentiâ deducitur.* Mox oſtendam nec futile eſſe meum argumentum, nec opus me ringi ad eius ſequelam probandam; conſequentias autem Apoſtatæ tam legitimas eſſe, quàm torum, aut filium illius. *Ibid. & paginis ſeqq.*

Tertium eſt, quòd Pauli quâdam ſententiâ, de quâ infrâ, plus quàm veteratoriè abutatur. Quartum, quòd affirmare non vereatur, Lutheranos, *cùm dicunt nihil extra ſacram ſcripturam credendum eſſe*, PERPETVO *ſui dicti hunc ſenſum dediſſe. Nihil credi debere, quod non in ſacris literis vel expreſſè legatur, vel inde legitimâ conſecutione concludatur.* Quod niſi cui bos in cerebro eſt, nemo tauro iſti credet; cùm reclament ipſi Prædicantes, quorum teſtimonia infrà ſum allaturus: quamuis omninò multi vt Polypi colorem mutent, & dum ſe conſtrictos vident, in conſequentijs rimam quærant. Sed fruſtrà. Quintum, quòd ſcribat, *pueriliter & ineptè admodum Ieſuita Gonterius ante hac Theologos Badenſes ad illam methodum diſputandi ſecum prouocauit.* Nihil enim puerile eſt, aduerſarios ſuis verbis conſtringere. Ad quod ipſi Lutherani prouocârunt, ſunt prouocati. Spoponderunt ſe ex ſolâ ſcripturâ dogmata religionis reformaturos, aut ergo formales ſcripturæ textus habent, & promant, vt triumphent; aut non habent, & fateantur ſe mendaces aut pſeudoplaſtas, vt triumphentur. Sextum, quòd addat *infantilem huius methodi vanitatem* *De hac ſententiâ poſtea capite 15.*

tem DEMONSTRASSE *D. Lucam Oſiandrum Academiæ* Tubingenſis *Cancellarium* indigniſſimum, *& D.ThomamVVegelinum Theologum Badenſem.* Cùm prædicti Prædicantes ad Mocquetij defenſionem ne mutire quidem ſint auſi. Non ergo methodi, ſed ſuam vanitatem demonſtrârunt. Septimum, quòd inclytus mendacij præco Ioannem Mocquetium Gonterianæ methodi optimum defenſorem iniquiſsimè & mendaciſsimè traducat. Octauum, quòd *Mocquetij & meo exemplo motum Ioannem Ouuerum* Parochum, itidem calumnioſiſsimè proſcindat. Hæc octo, quæ in vnico illius ad tertium meum argumentum reſponſo continentur, falce non iam Lycurgeâ, ſed Saturniâ digna ſunt. Age falcem in hanc tam copioſam meſſem noſtram alacres mittamus.

Apoſtata neſcit numerare.

Primum, quæ eſt circa numerum impoſtura, cùm nominaui, refutaui. Illud vnum adijcio, ſolenne iſti eſſe, circa numerum hallucinari, vt ex alio opere clarius erit, quod ſuo tempore prodibit, niſi iſte redibit.

Ad ſecundum, tertium & quartum, quæ caput ſunt in hac quæſtione, poſſem vno verbo reſpondere, RESPONSVM'ST. Nam planè iam hîc ante me Gonterius & Mocquetius in Lutheranos *telum immedicabile torſit.* Quia tamen indoctos aliquos & Iacobo ipsâ ſuæ eruditionis ingenijque imbecillitate nimis credulos falli poſſe haud me latet, cenſeo tum ex illis, tum ex alijs repetenda quædam, quibus oſtendam *ſequelam & argumentum meum futile non eſſe*, ſed Apoſtatæ reſponſionem; vnaque & Gonterium, & Mocquetium, & Ouuerum, alioſque præclaros viros, ab illætabili iſtius murmurillo conuitioque abſoluam.

Apoſtata ſequelam propoſitionis probari cupit, quam probatam iam habet ſed diſſimulat.

Ait igitur miſellus ad me, *Rumparis licet, ſequelam propoſitionis tuæ, quam pernegamus, nunquam probatam dabis.* Eccere, Iacobe, vel iam illud *nunquam* tuum exoſſabo: non me *rumpam*, non fatigabo, & tamen *ſequelam probatam dabo.* Immò circumſpice, iam dedi. Habes, & non vides? Immò vides, ſed taces, & quod hîc ſuo loco repetere debebas, obliquè infrà indigetas, quaſi è tenebris & angulis tacitè pugnans, ne teipſum prodas; ſicut lauer-

Digitized by Google

lauernio, cui magis prodeſt laneis pedibus, quàm ferreis clamoribus vti. Prædixi tibi iam ſuprà, tanquam Phryx plagis es emendandus; non poſſum tibi parcere, dum non poſſum tuas tam impudentes diſsimulationes diſsimulare. Itaque aio me *ſequelam propoſitionis meæ* non ſolùm nunc fuſiùs probaturum, ſed etiam iam probatam dediſſe, & ante me id ipſum iam fusè recteque feciſſe Mocquetium, te autem tanquam corruptorem, dolosè, fraudulenter, & more tuo perfrictè probationem meam partim ſuppreſsiſſe, partim inuertiſſe & adulteraſſe, ex toto autem quà inficiẽdo, quà inficiando Creticè eludere voluiſſe. Sicut & totum Mocquetij librum, qui in hoc vno argumento conſumitur, tanquam diſsimulatorem verſutiſsimè, immò proiectiſsimè præterijſſe. Ibi enim, vt dixi, *ſequelam,* copiosè ſolideque *probatam* non ignorauiſti. Inſpiciamus argumentum primò vt à me poſitum, deinde à te relatum eſt, & liquidiſsimè deprehendemus, *Sequelæ* illius probationem à me iam clarè inibi datam, à te autem perfidè omiſſam eſſe. Argumentum in his verbis ego poſui: TERTIO *ſi illa* (ſola ſcriptura) *tam clara norma eſt, vt quidquid extra hos libros tanquam diuinum aliquid docetur, humanum & mortis laqueus ſit, tum disertè & in terminis abſque vllo diſcurſu & conſequentiâ, in ſcripturâ nobis oſtendere debebis, omnes articulos tuæ fidei.* Huic ſequelæ, quam te, tanquam iugulo & pingui collo tuo fortiſsimè imminentem, *pernegaturum* non neſciui, ſtatim antequam minorem propoſitionem ſubiungerem, planiſsimis verbis probationem ſuam in hunc modũ ſyllabatim adieci: QVIDQVID ENIM CONSEQVENTIARVM ADIVNXERIS, HVMANVM ERIT, ET IVSTISSIMA CAVSA ERIT, VT DICAM TE NON EX SOLA SCRIPTVRA NOBIS OSTENDERE TVOS ARTICVLOS Exfrica oculos, abſterge ſomnum, Iacobe, & inſpice in me, an *ruptus ſim, ſequelam propoſitionis meæ probatam dando?* Dedi, cur datum poſtulas, imò cur diſsimulas, & vt poſtulare poſsis, omittis? Sic enim argumentum meum peculiari charactere recitas: *Si ſola ſcriptura tam clara norma eſt, tum disertè & in terminis abſq; vllo diſcurſu & cõſequentiâ, in ſcripturâ nobis oſtendere debebis, omnes articulos fidei tuæ.* His recitatis, probationem illam meam,

In diſſert. de laqueis c.8.

Malâ fide argumentum refert Apoſtata.

Digitized by Google

tanquam foueam tuam dexterrimè tranſilis, & ſtatim minorem meam ſubiungis: *Atqui ringaris licet, nunquam tamen diſertè & in terminis facere poteris.* Sapis, Iacobe, ſcis plurimos eſſe ita conſtitutos, vt duos libros ſimul non legant. Itaque qui tuum ſolum legerit, facilè inducetur vt credat, te rectè atque ordine probationem ſequelæ illius à me exigere, cùm illam apud te non reperiat, ac proinde nec à me datam arbitretur, ſi ſe à te decipi ſinat exiſtimetque, te bonâ fide mea referre. Sed ſcito non omnes pueros eſſe, quibus manum adire liceat, & glaciē pro chryſtallo dare. Sint ſanè plurimi de vanitate tuâ ſcioli, de ſuâ cæci; multos tamen quoque oculeos eſſe nôris, qui facilè argumento, vt eſt à me inſtructum, & à te ſpoliatum, inter ſe ſe comparato animaduerſuri ſint, à te non ſolùm probationem maioris ſurreptam, & alio furtim tranſiectam, quam tamen à me flagitas; ſed etiam ipſius quoque minoris confirmationem eſſe interuerſam. Nam cur prætermittis, & non reſpondes ad illa? *Vbi enim legis Romanum illum Cenſorem, vt tu eum ſatyricè appellas, eſſe Antichriſtum? Miſſam eſſe abominationem? &c. Alia exempla à te ipſo diſce ex art. 1. §. 2. contra Hoë,* Amplum guttur habes, qui hos bolos integros ſine tuſsi deglutire potes; quos ne Cerberus quidem triſaux aut Draco Danielis glutijſſet.

Sicut maioris, ita & minoris mutilator eſt Apoſtata.

Loc. cit. Diſſert.

CAPVT XIII.

EOS QVI DICVNT SOLAM SCRIPTVRAM ESSE NORMAM OMNIVM DOGMATVM FIDEI, ATQVE E SOLA SCRIPTVRA OMNIA probari vel improbari poſſe, teneri ad omnia in terminis indidem demonſtranda. Itidem methodum Gonterianam ſuâ firmitate conſiſtere.

SEd expendamus enucleatiùs ſequelam maioris, eiuſque probationem, ac tuam etiam pariter reſponſionem. Ita ergo ſequelam, & ſequelæ ſequelam probo.

Qui-

Quicunq; affirmat ſcripturam tam claram eſſe normam, vt ex eâ ſolâ, ſoloque puro puto ſcripto Dei verbo, ſine vllâ humanâ additione omnia fidei ſuæ dogmata probare, alienaque reprobare poſſe ſe profiteatur; is tenetur *ex ſolâ* ſcripturâ ſoloq; puro puto ſcripto Dei verbo omnia dogmata fidei ſuæ clarè probare, & aliena reprobare: Lutherani Prædicantes illud affirmant: Ergo hoc facere tenentur. Cùm itaque neque faciant, neque facere poſsint id, ad quod factâ toties tam liberali profeſsione tenentur, meritò pro impoſtoribus habentur. Nam quicunque non omnia dogmata ſua in terminis in ſcripturis oſtendit, nec formales & expreſſos ſcripturæ textus pro ſe contra nos adducit, ſed conſequentijs duntaxat dialecticis non ſcriptis vtitur, malè & tanquam impoſtor, affirmat ſcripturam tam claram eſſe normam, vt *ex eâ ſolâ* ſoloque puro puto ſcripto Dei verbo, ſine vllâ humanâ additione omnia fidei ſuæ dogmata probare alienaque reprobare poſsit.

Aduerſarios omnia dogmata ſua in terminis ex ſcripturâ probare cogi, ſi conſequenter loquantur.

Quia conſequentiæ Dialecticæ non ſcriptæ non ſunt ſcriptura, ſed aliquid additum ſcripturæ; Ergo qui per conſequentias, aliquid ex ſcripturâ probat, nō probat *ex ſolâ purâ putâ ſcripturâ.* Porrò conſequentias Dialecticas non ſcriptas non eſſe ſcripturam, ſed eſſe aliquid diſtinctum à *ſolâ ſcripturâ*, etſi per ſe patet, inſuper tamen docent ſequentia. I quòd ob hoc ipſum maxima inter Catholicos hæreticoſque ſit diſcordia. Fatentur enim Catholici, *neque veram Theologiam, ſine bonis firmiſq́; argumentis, ac legitimis argumentationum formis conſiſtere poſſe, neque falſam fucatámque ſine rationibus coloratis & Sophiſticâ differendi facultate. Hoc in Patrum Auguſtini, Hieronymi, Athanaſij, Baſilij, aliorum polemicis cernere eſt, & omnibus alijs hæreticorum maniacis monimentis.* Et ipſe Oſiander ſcribit, *ſemper in Eccleſiâ Dei, quamdiu ſacram ſcripturam habuit, duplicem modum aliquid ex ſcripturâ probandi valuiſſe & obtinuiſſe; 1. ad literam totidem verbis & ſyllabis, quibus quæſtio controuerſa componitur: 2. cùm aliquid quidem non legitur totidem verbis in ſcripturâ, tamen ex eâ ita colligitur, ac ſi exprimeretur.* Cæterùm hic ſcopulus eſt. Cùm enim ſancti Patres, cùm Concilia, cùm Theologi conſequentias faciunt, clamant hæretici, *Humana iſta ſunt com-*

I. Sequelæ probatio.

Io. Mocquet. lib. Meth. Gonter. c. 13.

Luc. Oſiander. contra Method Gonter. pag 16.

menta; *ſcripturas volumus.* Vbi autem in ſcripturis ſuas nænias oſtendere non poſſunt, victi tandem ad conſequentias confugiunt, idque tam Caluiniſtæ, quàm Lutherani agunt: qui cùm catechumenis ſuis dicere deberent, *videte, legite Confeſſionem* Auguſtanam, aut dogmata Caluiniſtica, erroreſque Catholicorum in hoc aut illo ſcripturæ libro, in hoc capite, hoc verſu,&c. tanquam piſces obmuteſcunt; & tamen ne obmuteſcere videantur, catechumenos ſuos ad Biblia ablegant, ibi omnia clarè reperturos, ſcilicet per conſequentias. O miſeros ſutores,textores, & Ruſticos, qui vt ſibi fidem cudant, conſequentias è ſcripturis cudere coguntur? Hinc nimirum prodeunt ex eâdem ſcripturâ articuli tam affabrè Caluinizantes & Lutherizantes. O cæci, an fraudes & offucias Prædicanticas non videtis? Cur SS.Patribus, cur œcumenicis Concilijs, cur Theologis Dialecticæ linguarumque peritis conſequentias veras non permittunt, ſi ipſi ad conſequentias fucatas confugiunt? Cur clamant nos extra ſcripturam exſpaciari, cùm legitimas inde conſequentias nectimus, & ſolis ſcripturis ſe niti iactant, cùm ſophiſmatis vtuntur ex ſcripturâ deductis? cur non dicunt etiam diabolum ex ſolâ ſcripturâ Chriſto probâſſe, quòd ſe præcipitare deberet, quandoquidem conſequentia ex ſcripturâ nihil obſtat, quò minùs aliquid ex ſolâ ſcripturâ oſtenſum eſſe dici poſsit. Neque quidquam hæreticis patrocinatur; quòd diabolus tunc non legitimam aut euidentem conſequentiam fecerit: cùm nec Lutherani vnquam, quando contra Catholicos pugnant, legitimam aut euidentem ex ſcripturâ conſequentiam fabricare poſsint.

II. Sequelæ probatio. *Luther in c.1. Ep. ad Galat. Vide Lutherum Academicum.*

II. Niſi conſequentia aliquid diſtinctum eſſet à *ſolâ ſcripturâ*, cur hoc ipſo nomine Lutherus diceret: *Neque alia doctrina in Eccleſiâ tradi & audiri debet, quàm purum verbum Dei, hoc eſt, ſancta ſcriptura: Doctores vel auditores alij cum ſuâ doctrinâ* (& conſequentijs) *anathema ſunto?* Qui enim ſunt iſti alij Doctores & Auditores, niſi SS.Patres, Theologi Scholaſtici, Dialecticique cum ſuis conſequentijs? Nempe aliud eſt clarum ſcripturæ textum promere, aliud ex textu tanquam principio concluſionem elicere.

licere. Hoc noluit Lutherus, quia purum putum Dei verbum, ſolamq; ſcripturam voluit.

III. Quia ipſi etiam Lutherani Caluinianique Prædicantes antè hac eam ſuam mentem eſſe faſsi ſunt, vt abſque conſequentijs in terminis ſe omnia dogmata è ſcripturis oſtendere velle promitterent. *Quòd ſi Miniſtri*, inquit Gonterius in relatione Nanceianâ, *tam arctâ ſe lege non obligâſſent, adhæſuros ſe textui expreſſo, ac puro verbo ſcripto ſine vllâ additione, diminutione, mutatione, quomodo poſſemus hoſce Proteos vincire & coërcere, cùm ſint in diſputando adeò fallaces ac doloſi?* Quòd autem hoc promiſerint Prædicantes, etiam ex Principis Vadimontani verbis, quæ vel Prædicans illi attribuit, diſce, ait enim: *Ad finem dubitationis omnis eliminandæ modum nullum videri aptiorem, quàm ſi articuli ſigillatim proponantur, & ſibi ex Biblijs & claris expreßiſq; ſcripturæ verbis oſtendatur, eos, vti perhibetur, in ſcripturâ non eſſe fundatos.* Quocirca hic ipſe, vt dixit Mocquetius, ſtatus quæſtionis: *Vtrùm Prædicantes, & miniſtri verbi, qui aliud nihil quàm verbum Dei crepant, eructant; Qui Eccleſiam Romanam ſexcentis erroribus deturpatam criminantur, qui ſe reformaturos illam ex ſolâ ſcripturâ profitentur, qui ſanctos Patres, qui Concilia, qui traditionem, qui auctoritatem omnem, omnem ſapientiam humanam contemnunt, & reijciunt, qui ſolum Deum Iudicem controuerſiarum fidei agnoſcunt, & illum quidem non aliâ lege, & conditione, quàm in & per ſcripturas loquentem, vtrùm inquam Nouelli iſti reformationis vſurpatores audiendi ſint, niſi textus & ſententias ſcripturæ expreſſas nobis proferant?* Immò ipſi Prædicantes in Ratiſponenſi Colloquio ſibi conſequentijs iſtis interdixerunt, eamque interdictionem hoc argumento confirmârunt. *In reb. fidei & Religionis & cultuum, id tantùm, quod nec additionem, nec detractionem patitur, pro normâ eſt agnoſcendum & vſurpandum: ſolum verbum Dei ſcriptum nec additionem, nec detractionem patitur: ergo illud ſolum pro normâ fidei religionis & cultuum eſt agnoſcendum. Probatur minor ex Deut. 4. 2. Non addetis ad verbum, quod vobis loquor. Et cap. 12. 32. Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito Domino: nec addas quicquam, nec minuas.*

III. Probatio. — *Io. Gont. in relat. Nanceian. pag. 27.* — *Apud. Mocquet. lib. 1. Methodi Gonter. cap. 12.* — *Ibid. c. 13.*

IV. Quia aliud eſt, aliquid ex ſcripturâ probare, aliud *ex ſolâ ſcripturâ*. Eſto aliquid per legitimam conſequentiam rectè

IV. Probatio.

Digitized by Google

ex ſcripturâ probetur, nequaquam tamen hoc pacto, *ex ſolâ ſcripturâ* probatur, quod tamen Ardeliones iſti perpetuò iactant: vt meritò quis rogare poſsit, quo modo cum probatione *ex ſolâ ſcripturâ* congruat illud Oſiandri: *Ex duobus hiis gladijs ſcripturâ & conſequentijs, Ieſuitæ hoc tempore alterum, nempe conſequentias Eccleſiæ manibus excutiunt & ereptum eunt, quoniam in terminis terminantibus conſiſtendum volunt.* Mentiris Luca; Ieſuitæ hunc gladium Eccleſiæ non eripiunt, ſed vobis; qui egregij iactatores, *ex ſolâ* vos *ſcripturâ* contra nos pugnaturos dicitis, & tamẽ vbi ad rem & anguſtias venitis (quæ eſt vanitatis veſtræ inconſtantia) duos gladios ſtringitis, ſcripturam & conſequentias. Si *duobus hiis gladijs* vtimini, cur vnum ſolum iactatis? Aut ergo alius eſt gladius conſequentia, quàm ſcriptura; & vel ex Oſiandro tuo, Iacobe, ſequelam meam probatam vides, qui dixi, conſequentias è ſcripturâ deductas, non eſſe *ſolas ſcripturas*: aut idem eſt gladius, & tanquam Aiax in proprium gladium incumbit Oſiander, qui Ieſuitas accuſat, quòd ſolam ſcripturam Lutheranis relinquant, conſequentias autem eripiant. Nam ſi conſequentiæ idem ſunt, quod ſcripturæ, ergo, qui ſcripturas relinquit, etiam conſequentias relinquit: vel certè ſi aliud ſunt conſequentiæ, vti ſũt, aliud ſcripturæ, planiſsimum fit, aliquid per conſequentiam probare, non eſſe probare *ex ſolâ ſcripturâ*; adeoque *ſolam ſcripturam* non eſſe normam aut iudicem omnium diuinâ fide credendorum. Immò mi Oſiander, vt videas te in Ingolſtadienſi Braſsiceto penitus exarmatum, qui conſequentijs tuis nihil effeciſti, etiam ſcripturæ gladium tibi extorquebo. Nam cùm ſcribas duplicem eſſe aliquid ex ſcripturâ probandi modum, 1. *ad litteram totidem verbis & ſyllabis, quibus quæſtio controuerſa componitur.* 2. per conſequentias ac interpretationes; age, Popa, vel vnicam *quæſtionem* inter nos & vos *controuerſam* primo illo modo *totidem*, inquam, *verbis & ſyllabis compone.* Age, Popa, expecto ictum, mactatâ lenior hoſtiâ. Sed nunquam ſcilicet hoc ages, ſicut nec illud, vt clarâ euidentique ac legitimâ conſequentiâ ſimilem contra nos controuerſiam ex ſcripturâ oſtendas. Fruſtrà igitur vos miſeri ad expreſſum Dei ver-

Luc. Oſiander contra Method. Gont. pag. 16.

Luc. Oſiand. pag. 16. cont. Method. Gõt.

Digitized by Google

verbum, & claram ſcripturam prouocatis, & imperitum populum inaniſsimis promiſsionibus lactatis. Sed ad hæc talia ſi reſpondere voluiſſes, ſatis magnam tibi Mocquetius præbuit occaſionem. Tutius eſt poſt carecta latere; quàm in campum prodire,& tam ſcripturæ, quàm conſequentiarum gladium in conſpectu omnium perdere.

V. Quia etiam alij Prædicantes hodieque rationes ac ratiocinationes amoliuntur in hoc negotio, & ad ſolam ſcripturam prouocant: Gieſſenſes, ac Thummium Tubingenſem audi: *Obijci*, ait Thummius, *hîc nobis poteſt: Non ex rationis noſtræ liripippio inueſtigandum, ſed ex ſacræ ſcripturæ myrothecio addiſcendum eſſe, quot & quorum Idiomatum retractio ſeu inanitio, ratione vſus fuerit neceſſariâ ad obtinendum finem Incarnationis, &c. Reſpond. 1. Vtique non debemus φρονεῖν ſuprà (& citrà) id quod ſcriptum eſt. 1. Cor. 4. v. 6. Fides namque noſtra nititur verbo Dei. Rom. 10. v. 7. Prophetico & Apoſtolico. Epheſ. 2. v. 20. quod eſt in ſcripturis ſanctis. Rom. 1. v. 2. proinde hypotheſis illa vtrinque eſt in confeſſo.* Sic Menzerus, ſic Feurbornius, ſic Hoffmannus, Kürchnerus, ſic ipſe Thummius alijque Lutherani ſentiunt. Cùm ergo *hypotheſis illa vtrinque ſit in confeſſo*; ſic contra eos argumentari licet: *Fides veſtra nititur verbo Dei Apoſtolico & Prophetico, quod eſt in ſcripturis ſanctis.* Sed conſequentiæ veſtræ non ſunt *verbum Dei Apoſtolicum & Propheticum, quod eſt in ſcripturis ſanctis* (cùm conſequentiæ veſtræ fallant, & in aut ex ſcripturis oſtendi non poſsint, verbum autem Dei non fallat, & ex veſtrâ mente omne verbum Dei ſit ſcriptum, adeóque oſtendi ad oculum in ſcripturâ poſsit) Ergo fides veſtra non nititur conſequentijs veſtris, aut vt veſtrâ phraſi vtar, rationis veſtræ liripippio. Immò nititur, ſed niti non deberet. Nam id expreſsè fatentur plurimi Prædicantes apud eundem Thummium, cuius limpidiſsima hæc verba ſunt. *Ad perſpicuum hoc argumentum reſpondet I. in genere Sciagraphus cum* HOFFMANNO *eiuſq; complicibus, in Incarnationis myſterio non nitendum ſolis noſtris* CONSEQVENTIIS. *ſed* ADDENDVM DEI VERBVM, *idq; autoritate D. Kürchneri, D. Selnecceri, Chemnitij in Apologiâ Form. Concord. cap. 3. p. 66. fac. 2. & pag. 138. edit. Haidelb. an 83. lib. Kemnit. de duabus naturis cap. 30. p. 243. 234. fac. 2. colloquij*

V. Probatio.

Theodor. Thumm. ταπεινωσ. pag. 230.

Thumm. lib. cit. pag. 231.

Idem Thum. eod. lib. pag. 375.

Digitized by Google

quij item Hertzbergenſis pag 46. 47. 48. 49. à D.D. Iacob Andreæ approbati. Additque ad marginem; D. Chemnitius, ne quidem ſpecialem Chriſti, vt homo eſt, præſentiam ex vnione hypoſtaticâ CONCLVDERE *vellet,* SI VERBVM DIVINVM *illam præſentiam exprimens* DEESSET. Satiſne multos claroſque teſtes habes, Iacobe, qui te & tui ſimiles vel craſsiſsimæ & palpabiliſsimæ ignorantiæ, vel impudentiſsimi
Aran. pag. 62. inuerecundiſsimique mendacij arguant; ſcribentes, *Cùm dicimus nihil extra ſacram ſcripturam credendum eſſe,* PERPETVO *noſtri dicti hunc ſenſum dedimus, nihil credi debere, quod non in ſacris litteris, vel expreſsè legatur, vel inde legitimâ conſecutione concludatur.* Non PERPETVO hunc dicti veſtri ſenſum fuiſſe ex multis Prædicantibus apud Mocquetium ſciueras, qui nî tibi ſufficiunt, adde & iſtos ex Thummio tuo, tanquam cohortis immò legionis ſupplementum. Et ſi nec dum ſatis clara eſt tibi ipſa claritas, lege, quæ Thummius ex eorundem Prædicantium mente, & ſenſu, imò verbis adhuc clariùs ſubiungit, vt oſtendat prædictos Prædicantes velle in terminis ſibi oſtendi, in ſacrâ ſcripturâ, quæ controuertuntur. Ait enim illorum Prædicantium argumen-
Thum. loc. cit. Tapinoſ. tum in ſummam & ordinem colligens Thummius: *Syllogiſmus poteſt eſſe talis: Quicquid* αὐτολεξεὶ *expreſſis litteris ac ſyllabis in ſacris non traditur, illud non poteſt aut debet, tanquam articulus Fidei in Eccleſiâ Dei proponi; Atqui Chriſtus ſecundùm humanam naturam tempore humiliationis propinquitate ſubſtantiali adfuiſſe omnibus creaturis in cælo & in terrâ,* αὐτολεξεὶ *in ſacris litteris non traditur; Ergo.* Hæc ex Prædicantium ore & corde Thummius. Et adhuc Apoſtata, aut ali-
Apoſtat. cit. pag. 62. quis Apoſtatâ proiectior audet ſcribere, Prædicantes, *cum dicunt nihil extra ſcripturam credendum eſſe,* PERPETVO *ſui dicti hunc ſenſum dediſſe: Nihil credi debere; quòd non in ſacris litteris, vel expreſsè legatur, vel inde legitimâ conſecutione concludatur?* Aliter clamant dicti Prædicantes, aliter fatetur Thummius: Prædicantes enim illi αὐτολεξεὶ *expreſſis litteris ac ſyllabis in ſacris tradi* ſibi oſtendique volunt fidei ſuæ articulos, conſequentias pro liripippio humano habent. Itaque cùm dicunt. *Nihil extra ſcripturam credendum eſſe,* ex ipſorummet ſenſu & ſententiâ, idem eſt ſenſus, qui fuit noſtræ ſequelæ: quam proinde tu, Iacobe, eâdem veritate ſcripſiſti,

Digitized by Google

ſiſti, *me* NVNQVAM *probatam daturum, etiamſi rumpar*, quâ paulo poſt addidiſti, Prædicantes PERPETVO hunc dicti ſui ſenſum dediſſe, quem tuque ſocijque nonnulli in anguſtias adacti eis affinxiſtis. Sed nimirum NVNQVAM & PERPETVO magnam apud vos habent exceptionem. Quod ab alijs *nunquam* futurum dicis, vel hodie fit, tales Prophetæ eſtis: quod *perpetuò* à vobis factum affirmatis, vel fratres veſtri refutant: ita *nunquam* verum dicitis, & *perpetuò* mentimini.

CAPVT XIV.

RECENTIVM HÆRETICORVM PER CONSEQVENTIAS VANVM EFFVGIVM DETEGITVR; RECTEQVE EOS EX SVA DOctrinâ veterum hæreticorum Traditiones contemnentium exemplo, ad ſola ſcripturæ verba adigi oſtenditur.

Ioachim. Camerar. in fabulis Aeſop. Ars Prædicantica quâ mendacia expoliuntur, in fabulâ expreſſa.

MENDAX *quidam, ſed ita vt mirabiliter expolire mendacia ſciret, miſit aliquando ad amicum*, vt in fabulis eſt, *hominem potentem, certis de rebus miniſtrum ſuum. Qui cùm peregiſſet mandata heri, interrogatur, vt ſit, ecquid noui audiſſet, aut vidiſſet? Nihil ille, inquit, (volens imitari mentiendo Dominum ſuum) audiui equidem, ſed in viâ dum huc contendo, vidi volantem porcellum. Volantem, inquit, Porcellum, is qui interrogârat: quæ hæc impudens eſt vanitas? Sed non tu me ſine malo tuo deriſeris ſcelus, ac ſimul eum vinciri iubet. Hoc cognito qui eum legârat, cum amico acrem expoſtulationem inſtituit, quòd diceret illi meliorem fidem apud ſe fuiſſe, quàm vt tale quippiam auſurum eſſe ſuſpicaretur. At ego, inquit alter, pati non potui tanto & tam impudenti mendacio hunc mihi impunè illudere. Quid dixit igitur? inquit alter. Volantem ſe conſpexiſſe porcellum, quod neq; factum eſt, neq; fieri queat. At tu, inquit alter, homo ſanè es incogitans, qui non intellexeris errorem ſimplicis miniſtri mei. Ille enim raptum ab aquilâ aut vulture intra vngulas eius apparentem porcellum conſpicatus, volare ſcilicet eum credidit. Verum pro-*

profectò memoras, inquit alter, & iniuriam miniſtro tuo factam eſſe confiteor. Receptum autem miniſtrum fertur monuiſſe herus, ne priùs mentiri auderet, quàm mendacia expolire didiciſſet.

Hæc fabula conuerſo nomine de Prædicantibus aptiſsimè narratur. Illi enim rudium mendacia, quæ facilè deprehenduntur, expolire dædalè didicerunt. Quamuis ne ſic quidem euadant. Fugitiuorum more catenas & numellas vbique ſecum trahunt, quibus retrahi poſsint. In ea ſe ſepta cancelloſque incluſerant, vt ex purâ putâ ſcripturâ omnia ſua perſpicuè ſe confirmaturos, omnia noſtra clarè deiecturos profiterentur. Id vbi non magis facere poſſunt, quàm porcellum volantem, conſequentias ſcripturæ velut aquilæ aut vulturis alas adijciunt; his nixi ex anguſtijs furciſque caudinis, quibus ſemetipſos circumſcripſerunt, velut alatum aliquem Epicuri de grege porcellum, ſe euolaturos arbitrantur.

Thumm. in ταπειν. pag. 231.

Nam ita, vt vidimus, Iacobus fecit, & ante illum Thummius ad illa ſuperiùs obiecta. *Quæritur autem II.* ait Thumius *an nos ſimpliciter & à priori ex ratione noſtrâ definiamus abſq; Dei verbo, immò contra illud, quis vſus maieſtatis diuinæ in opere redemptionis ſalutis noſtræ cauſſâ, fuerit inhibitus, aut inhibendus, ſicut incuſamur à Sciagraph. 158. Negamus ἀποτόμως id à nobis fieri; quin totum hoc negotium ex ſcripturâ principaliter decidimus & determinamus. Illa enim, vti ſuprà modò audiuimus totum ſtatum humiliationis ſemper, quamuis non ῥητῶς* (expreſsè & certis verbis, ſeu in terminis) *tamen διανοητικῶς* (quadam animi commentatione ſeu ratiocinatione & ſecundùm ſenſum) deſcribit, &c. Itaque ex ſcripturis aliquid decidere, eſt etiam per Thummianas conſequentias, hoc eſt, per humanum liripippium aliquid probare.

Thum. eod. lib. pag. 375.

Quare etiam ad ſyllogiſmum illũ in fine præcedentis capitis allatum idem Thumius alieno periculo cautior, citatorũ Prædicantium rigorem deſerens his verbis reſpondet: *Maior ἁπλῶς & illimitatè accepta, falſa eſt; ſic enim Pædobaptiſmus, vſus vocabulorum Trinitatis, Perſonæ, περιχωρήσεως, ex Eccleſiâ exterminandus eſſet*: (en confitentem, vnde cùm præter ſuprà dicta paulo poſt fuſiùs monſtraturi ſimus, Lutheranos teneri ad articulos ſuos in terminis

minis ſcriptos oſtendendos, ſequitur manifeſtè ex ipſorumet confeſsione, ſcripturam non poſſe eſſe adæquatam fidei normam, cùm fateantur ſe non poſſe omnes fidei articulos ex eâ ſic demonſtrare) *maiorem proinde limito: Quidquid ſacris litteris nec explicitè neque implicitè continetur, hoc eſt, neque ſecundùm litteram, neque ſecundùm ἀναλογίαν fidei per firmam ac immotam conſequentiam ex ſacris deduci ac confirmari poteſt, illud tanquam articulus fidei proponi haud debet, &c.* Sic Thummius, ſic Iacobus, ſic Ratiſponenſes Collocutores, ſic Oſiander, fateor, quaſi alliſâ ad ſcopulos naui, conſequentiarum tabulam arripuerunt, quà enatarent.

Verùm hæc intelligentia, inquit Mocquetius (quem tantò libentiùs nomino, vt impurum Apoſtatæ conuitiantis os ipſis Mocquetij verbis argumentiſque penitiſsimè obſtruam) *& interpretatio puri verbi & ſolius ſcripturæ, repugnat* primò *promiſsioni Vadimontano identidem repetitæ, oculis ſuis conſpecturum ipſum in Biblijs reformatis axiomata reformatiua Catholicæ fidei contraria. In Biblijs conſequentiæ videri ad oculum non poſſunt, ſed expreſſa duntaxat in illis ſententiæ.*

Io. Mocquetius in Method. Gont. cap. 14.
Apoſtata alijque Prædicantes à Mocquetio ſtringuntur & paulo poſt magis ſtringentur.

2. Repugnat Methodo, quam ſe expetere Marchio aſſeuerabat, talem ſcilicet futuram, per quam Ruſtici etiam & Agricolæ quidquid tractaretur, comprehenderent: Philoſophorum eſt non Agricolarum hæc arma conſequentiarum vibrare, vim & efficaciam intelligere, cùm in eorum peritiâ totius Philoſophiæ ſubtilioris nerui & artus conſiſtant, & ad illas dijudicandas Ariſtoteles potiùs quàm Apoſtolus aut Euangelium conſulendum.

3. Quis neſcit rationem humanam hebetiorem ac imbecilliorem eſſe, quàm vt in voluntatum & reuelationum diuinarum nouo teſtamento comprehenſarum notitiam aſſurgere queat?

4. Non conſentit hæc interpretatio, cum ſolâ ſcripturâ Iudice. *Omninò etenim ſi conſequentiæ recipiendæ, Iudex aliquis à ſcripturâ diuerſus erit aſsignandus, qui de illis pronunciet neceſſariæ ſint an probabiles, veræ an falſæ.*

5. Nunquam Eccleſia Catholica vllum fidei articulum ſuper conſequentiâ ſimplici quantumuis bonâ fundauit, ſed ſuper reuelatione Spiritûs ſancti. Fide nimirum diuinâ myſterijs reuelatis aſſentimur, & ideò aſſentimur, quia ſunt à Deo reuelata, non quia per bonam conſequentiam deducta,

Digitized by Google

ducta. Auctoritate diuinâ nititur fides diuina, non ratione: tametſi non negemus fidei rationem multis modis ancillari.

6. In rebus fidei controuerſis iubemur à Chriſto non conſequentiarum bonitatem conſulere, ſed Eccleſiæ oraculum. Matth. 18. quod & factum Act. 15. Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis, non dicunt Apoſtoli, ſequitur, colligitur. Sed viſum eſt. Eccleſia eſt columna & fundamentum veritatis. 1. Tim. 4. Ab Eccleſiâ ſanctæ religionis noſtræ myſteria didicimus. Ipſa Biblia conſcripſit, ipſa tranſtulit, ipſa eadem citrà errorem interpretabitur, & inde bonas conſequentias deducet.

Falluntur itaque vehementer aduerſarij, qui poſt factam puri verbi ſcripti promiſſionem, ſcripti dico, ad conſequentias non ſcriptas, & quæ legi non poſſunt, conuertuntur.

7. Aduerſarij, Romanæ Eccleſiæ Doctores ſophiſticè agere clamant, & criminantur Philoſophiam mundanam ſectari non ſcripturæ puritatem, cùm ipſi iam à ſcripturæ puritate ad conſequentias tranſeant, legum ſuarum officiíque præuaricatores ab Apoſtolo iure notandi. Si quæ deſtruxi iterum hæc ædifico, præuaricatorem me conſtituo, Galat. 2.

8. Fidem ſuam conſequentiarum arbitrio permittere, de quibus ſacra ſcriptura nullas leges aut regulas præfixit, aliud non eſt, quàm ſacrum omne tribunal defugere, imò in Atheiſmi barathrum præcipitare. Quod ſic patet. Iudex cauſarum fidei controuerſarum, vel eſt Eccleſia, vel Concilia, vel Pontifex Maximus, Patres vel antiquitas & traditio, vel denique ſacra ſcriptura, vel ſuus cuique ſpiritus, priuatúmque dictamen. Aduerſarij nec Concilia, nec Pontifices, nec Patres, nec Traditionem, nec Eccleſiam pro iudice admittunt, ſed ſolam ſcripturam, quam ſibi ſolam ad omnem prætextum & fucum reſeruârunt, eámque nunc è manibus excuti ſibi patiuntur: ergò inermes prorſus & indefenſi, adeóque athei eſſe conuincuntur, nihilque aliud ſupereſt ipſis, niſi vt cuique Deus ſit dira Cupido, cuique veritas mentis ſuæ aberratio. Huc tandem tota Nouatorum reformatio reducitur, factóque hîc fine quieſcit multiplici tot errorum vertigine delaſſata.

Omnia hæc argumenta ſuppeditat narratio Colloquij Turlacenſis editionis Nanceianæ pag. 23. & ſequentibus, quibus hæc interpretatio Prædicantica validiſſimè confutatur, & effugium intercluditur. Ac licet iam dictis nihil addi poſſe videatur, quia tamen aduerſarij totius cauſſæ ſuæ deploratæ præſidium & munimentum in hac diſtinctiunculâ velut in acropoli conſtituunt, placet eos his etiam argumentis impugnare. 1. Su-

Digitized by Google

1. *Sumo ex planâ ſimplici natiuâ & omnibus notâ ſermonis & locutionis proprietate, & huius propoſitionis*, ſola ſcriptura dijudicat dubia Religionis; *Dialecticâ duas in partes, quibus conſtat, analyſi. Prior eſt affirmatiua*, Scriptura diuina, hoc eſt expreſſum verbum Dei ſcriptum, iudicat de cauſis fidei. *Poſterior negatiua.* Nulla res alia, quæ verbum ſcriptum non eſt, iudicat de fidei articulis. *Hinc argumentor. Nulla res à verbo Dei ſcripto diſtincta poteſt ferre iudicium de rebus fidei. Conſequentiæ Prædicanticæ ex verbo Dei vt credunt deductæ ſunt res quædam ab ipſo Dei verbo ſcripto diſtinctæ; quod probatur, quòd verbum Dei ſcriptum videri, legi, palpari poteſt, & extat in libris Moyſi, Prophetarum, Apoſtolorum & Euangeliſtarum; Conſequentijs Prædicantium horum nihil congruit. Nam audiri quidem poſſunt, non tamen videri aut legi, quòd ſcriptæ non ſunt, aut ſi ſcriptæ, at non à Prophetis vel Apoſtolis, nec in eorum voluminibus, ſed à Luthero, Caluino, Kemnitio, & in eorum farraginibus & rhapſodijs: Ergo, &c.*

2. *Ex notione huius dictionis* purum, *Aduerſarij tenentur nos reformare ex puro puto verbo Dei ſcripto: purum non eſt cui extraneum aliquid admiſcetur, ſicuti aurum putum purum non eſt cui vel argenti vel metalli alterius quippiam admixtum, licet argentum auro quoad precium & vſus quoſdam alios æquipolleat: Ergo nec verbum Dei purum eſt, cui conſequentiæ permiſcentur, ergò citrà conſequentias reformare tenentur aduerſarij prætentos errores noſtros, aut fateri ſe promittere quod præſtare non poſſunt.*

3. *Si vera eſt Aduerſariorum propoſitio: Verbum Dei ſcriptum eſt tam quod expreſſè ſcriptum, quàm quod ex eo per bonam conſequentiam colligitur, neceſſariò admittendæ ſunt ab Aduerſarijs traditiones diuinæ, Apoſtolicæ, Eccleſiaſticæ: conſequens eſt abſurdum apud Aduerſarios, ergò & antecedens: ſequela verò probatur. Illud eſt verbum Dei, quod ex verbo Dei ſcripto legitimè colligitur: atqui traditiones diuinæ, Apoſtolicæ, Eccleſiaſticæ, ſi non omnes ſaltem permultæ, quas Aduerſarij, penitùs reijciunt, ex verbo Dei ſcripto legitimè colliguntur, ergò aduerſarij nolint velint traditiones ſeu verbum Dei traditū approbare compelluntur, imò hinc ampliùs ſequitur, quòd verbum traditum ſit verbum ſcriptum vt patet. Minorem mōſtrare longè facilius poſſemus in articulis nouem quos aduerſarijs obtulimus, quàm illi eoſdem in verbo expreſſo nobis oſtendere.*

4. Duo-

4. Duobus modis vt fatentur aduerſarij probatur aliquid ex ſolâ ſcripturâ. 1. Expreſſo textu & terminis terminantibus. 2. per conſecutiones & interpretationes, quærimus ergo ex illis vtrùm poſſint nobis vel vnicum articulum inter nos & illos controuerſum 1. illo modo probare an omnino nullum? ſi nullum, quâ fiduciâ prouocant ad verbum Dei expreſſum, populiſq; & nationibus illudunt? Si poſſunt, experiantur.

Hæc & plura Mocquetius, quæ ſatis teſtantur, neque Ieſuitam Gonterium, neque Mocquetium, neque me, neque Ouuerum, *pueriliter & ineptè* ad illam diſputandi methodum prouocâſſe; ſed Apoſtatam benè curatæ cuticulæ & pelli ſuæ plus quàm *pueriliter* metuiſſe, & non iam *ineptè* tantùm, ſed prorſus vafrè ac mẽdaciter reſpondiſſe; cùm *ſequelam nunquam probatam* dari poſſe reſpondit.

An principia ex quibus aliquid colligitur idem ſint cum concluſione. *Meiſner Theſi 7.*

Quæ niſi ſufficiant ad ferream & frictui nimis aſſuetam frequentatamque tot pudoribus frontem rubefaciendam, audiat, niſi & aures ferreas habeat, ſemetipſum, & verba ſua mendaciaque reſorbeat. Contra duodecim fundamenta Meiſnerus ſecundò ſic argumentatus erat. *Duo poſtrema, non tam noua & diſtincta fundamenta, quàm concluſiones ſunt ex prioribus collectæ, ideóque numerus argumentorum non ſatis reſpondet gemmeis diſtinctiſque fundamentis Apocalypticis, quippe quorum memorantur duodecim. Apocal. 12. verſ. 14. Rationes autem pro fide Papali reipsâ diuerſæ, non niſi decem afferuntur.* Ad hæc, quid reſpondet Iacobus tunc Ieſuita, nunc Apoſtata? *Numerum,* inquit, *fundamentorum his verbis Meiſnerus imperitè & inſipienter admodùm vellicat. Veniam mereretur, niſi Philoſophiam ſobriam ediſſet, & nomen non vulgaris Dialectici apud ſuos ambiret. Qualis hæc illatio? Duo vltima fundamenta ſunt concluſiones ex prioribus ortæ, ergo non ſunt noua & diſtincta fundamenta? Nemo Logicæ auditor tam indoctus eſt, vt diſcrimen inter prima actu & virtute prima principia ignoret. Quis Logicus neſcit, Principiorum primorum concluſiones, fundamenta & principia aliarum ſequentium concluſionum eſſe? An non concluſio à ſuis principijs, etiam cùm principium alterius concluſionis eſt, tam diſtincta eſt, vt numerari iure poſſit? Prudentia & modeſtia Chriſtiana, quæ duo vltima Sereniſſimi Principis fundamenta fuerunt, ex prioribus fundamentis quidem nata illis nituntur, ab illis tamen apertè diſtinguun-*

Iac. Reihing. in excubiis general. defenſ. c. 1. §. 1.

Digitized by Google

guuntur, & cum ijs ſuſceptæ Catholicæ fidei poſtremæ Principi cauſſæ fuerunt. An ideò principia vnius concluſionis plura diſtincta non ſunt, quia vnum ex altero deducitur, eóque nititur? Quid ſi duodecim Apocalypſeos fundamenta ordine enumerata talia eſſe inſinuentur, quorum poſteriora prioribus impoſita ijs nitantur? Si denique duo vltima, quia ex prioribus educta ſunt, à fundamentorum numero exturbata voluit Meiſnerus, cur decem reliqua non in nouenarium contraxit? nam & quintum, ſucceſſio nempe Romanorum Epiſcoporum in Cathedrâ Petri, ex quarto, quod eſt primatus Petri, non ſecus atq; concluſio è ſuis principiis infertur. Nimirum Prædicans iſte nodum in ſcirpo quærere voluit.

Agnoſcis hæc verba, Iacobe? in quâ re antehac *imperitè & inſipienter* alium agere affirmâſti, eam rem nunc ipſe agis, & cõtrarium agentes *pueriliter & ineptè* agere pronuncias. O fluctus & æſtum? *Qualis hæc illatio? conſequentiæ ſunt concluſiones ex ſcripturis ortæ, ergo non ſunt aliquid nouum & diſtinctum à ſcripturis*: Hanc enim parodiam licet reponere. *Nemo*, Iacobe, *Logicæ auditor tam indoctus eſt, vt diſcrimen inter prima actu & virtute prima principia ignoret. Quis Logicus neſcit, principiorum primorum concluſiones, fundamenta & principia aliarum ſequentium concluſionum eſſe? An non concluſio à ſuis principiis, etiam cùm principium alterius concluſionis eſt, tam diſtincta eſt, vt numerari iure poßit?* Itaque etſi daremus, vos Lutheranos aliquos veſtros articulos per legitimas conſequentias ex ſcripturis probare poſſe (quod tamen nequaquam poteſtis) *adeoq; ex ſcripturis nata, illis niti, ab illis tamen apertè diſtinguerentur.* Hæc tua eſt collectio, Iacobe, deuora quod collegiſti. Imò etiam illud, quod de non poſtremâ conſequentiarum, ſyllogiſmo ſcilicet, Ariſtoteles docuit, cùm eum dixit, *eſſe orationem, in quâ quibuſdam poſitis*, ALIVD *quiddam, quæ poſita ſunt, accidit, &c.* Si ALIVD, ergo non idem *ex ſolâ ſcripturâ* aliquid probare, & ex conſequentiâ probare.

Apoſtata iterum ex ore ſuo iudicatus & damnatus.

1. Prior. 1. c. 1. Top. 1. Elench. c. 1. & alibi, ac ex eo Gell. lib 15. c. 26.

Taceo vos tam malos Dialecticos eſſe, vt in veſtris negotijs libidine excæcati ſemper contra veritatem colligatis. Quamobrem tu quoque ipſe olim teſtatus es, *ſæpe præter ſcripturas & conſequentias ex ſcripturis deductas, ob pertinaciam ſcripturas omnis generis falſis interpretamentis intricantium, opus eſſe Traditione.*

Cur conſequentiæ hæreticis permittantur.

Iac. Reihing. in Enchir. art. 1. §. 2.

Digitized by Google

Tertull. de præſcript. cap. 40.

Nec aliam ob cauſſam antiqui illi Eccleſiæ Doctores conſequentias hæreticorum ſuſpectas habuêre. Cùm enim Tertullianus dixiſſet, *ipſas quoq; ſcripturas ſic eſſe ex Dei voluntate diſpoſitas, vt hæreticis materias ſubminiſtrarent*, adiecit ſtatim: *Sed quæritur, à quo intellectus interpretetur eorum, quæ ad hæreſes faciant? A diabolo ſcilicet, cuius ſunt partes interuertendi veritatem.* Et paulò ſuprà: *Hæc ſunt ingenia de ſpiritalibus nequitiæ, cum quibus luctatio eſt nobis fratres; meritò contemplanda fidei neceſſaria, vt electi manifeſtentur, vt reprobi detegantur. Et ideò habent vim & excogitandis inſtruendiſq; erroribus fælicitatem: non ideò mirandam, quaſi difficilem & inexplicabilem, cùm de ſecularibus quoque ſcripturis exemplum præſto ſit eiuſmodi facilitatis.* Vnde & ex Vergilio fabulam in totum aliam, & Homerocentonas legimus. Qualis ex Marone cento etiam Probæ Falconiæ & Pomponij poëtæ fuit. Quo pacto ferè nihil tam hæreticum eſt, quòd non cereâ in impium ſenſum detortâ ſcripturâ aliqui ex verbo Dei probare ſint conati: & quidem faciliùs, quàm ex pedibus ac ſemipedibus, aut penthemimeribus Vergilianis Theodoſij ſui epithalamia, ſeu quiduis aliud in vnum coëgerit Auſonius, aut quiuis alius in ſtili ſui otia negotioſus.

Quintin. in Tertull. de præſcript. apud Pamelium vbi & reliqua inuenies.

Obuius eſt omnibus (ait Quintinus) *ſimilis locus in generali B. Hieronymi Bibliorum Præfatione ad Paulinum, cuius initium. Frater Ambroſius; in quo ſcribit ille; Taceo de mei ſimilibus, qui ſi fortè ad ſcripturas ſanctas poſt ſeculares litteras venerint, & ſermone compoſito aurem populi mulſerint, quicquid dixerint, hoc legem Dei putant, nec ſcire dignantur, quid Prophetæ, quid Apoſtoli ſenſerint, ſed ad ſenſum ſuum incongrua aptant teſtimonia, quaſi grande ſit, & non vitioſiſſimum docendi genus, deprauare ſententias, & ad voluntatem ſuam ſcripturam trahere repugnantem. Quaſi non legerimus Homerocentonas & Virgiliocentonas, &c.* Et mox. *Nos verò ferimus Rhetoriculos neſcio quos, & admiramur ac laudamus, vbi de Grammaticorum ſubſellijs duos pedes exilierint, ad exercendas quaſdam ſuas phantaſias nouas, impudenter & impiè detorquentes ſacratiſſima verba ſcripturæ. Gnoſticum pridem legi, qui de cibis, de votis, de ſacramentis, & in ſummâ quicquid anteà fuit, & hodie eſt controuerſum, de libris Auguſt. fruſtatim conſarcinârat, vt non aliud in Auguſtino legens, ita diceres Auguſtinum ſenſiſſe; loca verò conſulas, impoſturam deteſtaberis.*

Vlte-

Digitized by Google

Vlteriùs adhuc (inquit idem) iam non Scholiaſtes excurram, narrabóque vobis ab Epiphanio propoſitam (ſed ab Irenæo ſumptam, c. 1. l. 1.) ſanè quàm maximè propriam, quámque conuenientiſſimam rei tam nefariæ comparationem; dicit ille contra Valentinianos, Præpotentem quempiam Regem mandâſſe fingas, vt ſua ſibi de gemmis electiſſimis & pretioſiſſimis exprimeretur imago. Perfidos autem gemmarios mox affabrè connexis & inuicem compactis lapillis, ad viuum ſic expreſſa eſt; vt omnes in eâ Regem venerarentur. Artificio poſtea nouo, neque difficili, circulator quiſpiam gemmas illas immutauit, inuertit, atque tranſpoſitas in canem ſeu vulpem deformauit, interim vociferans; Hæc Regis imago. Certè qui Regiam nouère formam, præterquam quòd non aſſentiuntur, Regis inde maieſtatem lædi grauiſſimè conteſtantur, & impoſtorem quærunt ad ſupplicium, ſed interim ſimpliciores falluntur, ac ſplendore viſo gemmarum, nec non formæ nouæ pretio tam raro, quo perſtringantur oculi videntium, facilè pro Rege, quicquid adornatum ſic eſt, honorare ſe debere credunt. Hæretici gemmas Euangelicas & Apoſtolicas in ſuas Pſeudeuangelicas inſtitutiones, & catecheſes Apoſtaticas, arte ſimili transferunt. In quibus noſtros quidem lapillos regios (qui frons, aut oculus erant, os, aut naſus) loco ſuo motos agnoſcimus planiſſimè, ſed à ſacroſanctâ Regis effigie per execrabiles iſtos inuerſores, ac teterrimos interuerſores, ad illuſtrandam ſuæ vulpis, caniſue caudam, iactatione plus quàm circulatoriâ, detractos. I nunc, & ab antiquis Eccleſiæ Chriſti Patribus tam religioſè commonefactus, iſtos circumforaneos nebulones admirare, quæ ſua ſunt quærentes, atque Prædicantes blatterones attende & per emendicata miſere procedentes ſuffragia (ſicut eſt in ſcholarum prouerbio) ſectare. Salutis homo quiſquis es deploratiſſimæ, qui talia facis viuens, videns, atque volens, te perditum cupis. Dominus noſter Ieſus Chriſtus à tam fragoſo & horribili præcipitio conſeruet ſuos ac retrahat Amen.

Tales ergo ſunt ſæculo hoc noſtro non Chryſippi, ſed Ariſtarchi, qui dum de ſcripturis conſequentias promittunt, hæreſes inducunt, iudicio ſuo omnia metientes, non iudicio veritatis. *Sed arcana iſta nec omnium nôſſe*, vt rectè Afer dixit, nec ſi conſequentiæ admittendæ ſunt (vt libenter admittimus, dummodò legitimæ afferantur) vlla ratio recta commemorari poteſt, quamobrem Traditionem reſpuamus, ex quâ veras ſolidaſq;

Quomodo hæretici ſcripturas tractent.

Tertull. lib. de pallio.

Qui conſequentias legitimas è ſcripturâ ad-

daſque conſequentias habemus. Quid enim dices, Iacobe: quid aut quænam legitimæ ſunt conſequentiæ? illæne quas fullo facit aut balneator, an quas Eccleſia, quas Apoſtoli, quas Concilia & SS. Patres deduxerunt? Et cùm tam Caluiniſtæ, quàm Lutherani & Catholici, alijq́ue ſuas è ſcripturâ conſequentias ædificent, ac vnaquæque pars ſuam eſſe conſequentiam legitimam contendat, quis iudex erit, quæ norma conſequentiarum legitimarum?

mittunt, Traditiones reſpuere non poſſunt.

Quâ ipſâ de cauſſâ antiqui illi hæretici, quos ſequuntur noui noſtri ſectarij, Traditiones cùm reſpuiſſent, ad ſcripturam puram & formalem, non ad conſequentias prouocauerunt. Sic Ariani de Chriſti diuinitate differentes, nihil niſi puras ſcripturas audire voluerunt; & teſte Auguſtino, Maximus Arianorum Epiſcopus cum ipſo Auguſtino in arenam deſcenſurus, *ſi quid* inquiebat *de diuinis ſcripturis protuleris, quod commune eſt cum omnibus, neceſſe eſt, vt audiamus.* HAE VERO VOCES QVAE EXTRA SCRIPTVRAM *ſunt, nullo caſu à nobis ſuſcipiuntur.*

S. Auguſt. lib. 1. contra Maximum.

Antiqui hæretici ad verba, non ad conſequentias ſcripturæ prouocârunt.

Sic apud D. Baſilium & Macedoniani ac Eunomiani faciebant, qui illud Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto admittere noluerunt, eò quòd non haberetur in ſcripturis. *At non deſinunt iſti*, inquit Baſilius, *ſurſum deorſum iactare Dei cum ſancto Spiritu glorificationem, carere teſtimonio, carere ſcripturâ.* Et infrà. *Sanè, contra id, quod dicunt, præpoſitionem, cum, carere teſtimonio, nec in ſcripturis extare, illud dicimus: Si nihil aliud eſt receptum abſq; ſcripturis, ne hoc quidem recipiatur: ſin plurima arcana citra ſcripturam recepta ſunt nobis, cum aliis plurimis & hoc recipiamus. Arbitror autem Apoſtolicum eſſe, etiam non ſcriptis Traditionibus adhærere.*

S. Baſil. in lib. de Spiritu ſancto c. 25. Ibid. c. 29.

Sic Eutyches, vt eſt in generali Concilio Chalcedonenſi, duas in Chriſto naturas negans, dictitabat; *Ego à ſacris ſcripturis non didici de duabus naturis*; quod dicere non potuiſſet, ſi putauiſſet à ſcripturis diſci, quidquid per conſequentias inde deducitur; & de terminis terminantibus locutum eſſe docet Mamas presbyter ibidem reſpondens: *Neque de Homouſion à ſanctis ſcripturis edocti ſumus.*

In generali Concil. Chalced. Act. 1. Vbi actio quinta Conſtantinopolitani Concilij relecta eſt.

Sic, teſte Auguſtino, Pelagiani in ore habebant: *Credamus igitur,*

S. Aug. lib. de nat. & grat. cap. 39.

Digitized by Google

igitur, quod legimus; & quod non legimus nefas credamus aſtruere: quod de cunctis etiam dixiſſe ſufficiat.

Sic Tertullianus etſi è ſcripturâ deduxiſſet, idololatricos cultus eſſe fugiendos, tamen ſcripturas de prohibitione coronarum exigentibus, non ita ſatisfactum exiſtimauit: Vnde dixit. *Facile eſt ſtatim exigere, vbi ſcriptum ſit, ne coronemur. At enim vbi ſcriptum eſt, vt coronemur? Expoſtulantes enim ſcripturæ patrocinium in parte diuersâ, præiudicant ſuæ quoque parti ſcripturæ patrocinium adeſſe debere. Nam ſi ideò dicetur coronari non licere, quia non prohibet ſcriptura, æquè retorquebitur ideò coronari non licere, quia ſcriptura non iubeat.* *Tertull. lib. de coron. mil. c. 2.*

Quare ſi & noſtri hæretici, ſicut veteres illos in repudiandis Traditionibus imitantur, conſtanter conſequenterque imitari volunt, debent & illi ſua dogmata omnia verbatim & ſyllabatim in ſcripturâ nobis oſtendere, vel fateri non in ſolâ ſcripturâ omnia credenda clarè edoceri, adeoque ſolam ſcripturam non eſſe normam omnium credendorum, ſed inſuper quaſdam etiam conſequentias, quas optimas ex Eccleſiæ interpretatione, Traditioneque habemus. Cæteras ipſorum conſequentias, tanquam humanum liripippium meritò ridemus. Et quis non rideat iſtos promiſſores, qui dum paſsim in omnibus pulpitis, & compitis clamant, *ex ſolâ ſcripturâ clarè conſtare, quidquid diuinâ fide credendum*, tam gibboſas tamen poſtea conſequentias, & tot tenebris plenas in medium afferunt? aſini ruditum leoninâ pelle decorantes: nec abſimiles illi ceræ, quæ lateribus duritiem, quam de igne illos haurire animaduertebat, inuidens, ſe quoque in flammam abiecit, futurum ſperans, vt & ipſa dureſceret, cùm prorſus contrario euentu celeriter difflueret, & liquefacta ab igne conſumeretur. Ita hæretici *ſicut cera quæ fluit, auferuntur*; nam dum conſequentias in Eccleſiâ de ſcripturis duci vident, inuident, & veluti ſimiæ imitantur, ſed per conſequentias ſuas nihil niſi errores atque hæreſes conſequuntur. Rectè apud Turrianum reperimus, ſcripturam eſſe Pyriten, in quo ignis lateat, ſed non à quauis manu eliciendus. Quod etiam D. Auguſtin. aliquot ſimi- *Pſal. 57. 8.* *Turrian. lib. 2. de dogmatibus. S. Aug. in Pſal. 7. & in Pſal. 10.*

ſimilitudinibus rectè expreſsit. Dixit enim ſcripturam eſſe arcum, è quo boni & mali poſsint ſagittas eiaculari: Dixit eſſe nubem, è quâ iuſto ſit pluuia vbertatis, peccatori pluuia laqueorum.

CAPVT XV.

APOSTATA APOSTOLO ABVSVS, A CONSEQVENTIIS SVIS AD SOLAM SCRIPTVRAM RELEGATVR.

OSTENDI Lutheranos (ad quos hac in re etiam Caluiniſtas accenſe) vanos promiſſores eſſe, cùm ex ſolâ ſcripturâ & nobis exitium minantur, & ſuis auxilium ſpondent. Hoc ipſo enim dum præter ſcripturas ſacras, conſequentias plus quàm plumbeas obtrudunt, mortis laqueum obtrudunt, ſuo ipſorum teſtimonio. Aiunt enim, *Quidquid extra hos libros* (ſacros) *tanquam diuinum aliquid docetur, humanum & mortis laqueum eſſe*; At illi, quoties eos aperta ſcriptura deficit (quando autem non deficit contra nos diſputantes?) extra hos libros conſequentias tanquam diuinum aliquid docent. Ergo. Nos Maiorem in hoc ſyllogiſmo negamus, illi minorem. Cùm ergo Maior ipſorum ſit falſa, hamum intra viſcera iam habent. Nam Minorem ſatis fusè confirmaui. Quare nihil ampliùs reſtat, niſi vt ad tertium illud, hoc eſt, ad quoddam D. Pauli teſtimonium reſpondeam. Vt enim minorem hanc falſam eſſe perſuadeat, ait Apoſtata: *Nónne Paulus perſæpe ex Moſe & Prophetis diſputauit, nec ſolùm mera illorum verba protulit, ſed ex illis Euangelicam doctrinam concluſit? Et tamen Actor. 26. coram Rege Agrippâ diſputans, inquit. Auxilio adiutus Dei vſque in hodiernum diem ſto, teſtificans minori atque maiori, nihil extra dicens, quam ea, quæ Prophetæ locuti ſunt futura eſſe, & Moſes. Audis, Stengeli, Paulum nihil extra*

Iac. Reihing. in laqueis Pontif. pag. 5.

Adam. c. 8. pag. 61. & 62.

Act. 26. 22.

Apoſtatæ ex Apoſtoli teſtimonio arrogãs & fraudulenta obiectio.

Digitized by Google

tra Moſen & Prophetas dixiſſe, etſi non ſemper meriſſima Moſis & Prophetarum verba locutus ſit. Quid ergo tricaris extra ſacros libros eſſe, quidquid non totidem verbis ibi exaratum legitur, ſed inde deductum proponitur?

Expeditiſsima eſt reſponſio, ſi dicam te palàm fallere. Vbi enim ait ſanctus Paulus, ſe nihil dixiſſe *extra* ſcripturas? Ait quidem, ſe *nihil dixiſſe extra ea, quæ Prophetæ locuti ſunt futura eſſe & Moſes*; non ait tamẽ, ſe nihil dixiſſe extra ea, quæ Prophetę ſcripſerunt. Quis enim idem dicat eſſe *loqui & ſcribere?* conſtat autem Prophetas multa per traditionem locutos eſſe, nec omnes eorum Prophetias in ſcripturis extare. Deinde oſtende mihi, Iacobe, ex ſcripturâ te D. Paulum eſſe, & ſtatim annuam, id quod ex ſcripturâ etiam alijs verbis retuleris, non eſſe extra ſcripturam, hoc eſt, extra eius mentem. Sed vt tuis verbis tuiſque conſequentijs credam; id antè mihi non perſuadebis, quàm perſuadeas te D. Paulum eſſe. Ita enim argumentabar: *Si* ſcriptura *tam clara norma eſt, vt quidquid extra hos libros tanquam diuinum aliquid docetur, humanum & mortis laqueus ſit; tum diſertè & in terminis abſque vllo diſcurſu & conſequentiâ, in ſcripturis nobis oſtendere debebis, omnes articulos tuæ fidei: quidquid enim conſequentiarum adiunxeris, humanum erit, & iuſtiſſima cauſa erit, vt dicam, te non ex ſolâ ſcripturâ nobis oſtendere tuos articulos.* Si enim tu conſequentias Patrum, Conciliorum, & totius Eccleſiæ è ſcripturis deductas, rem *humanam fallacemq́; & mortis laqueum* vocare audes, eò quòd aliud ſit ſcriptura, aliud conſequentia, quam Eccleſia, aut ſancti Patres, immò ipſi etiam Apoſtoli ſæpe è ſcripturâ collegerunt; quis tam extriti cerebri eſt, vt non potiùs tuas conſequentias *rem humanam* (niſi fortè diabolicam) *rem fallacem & mortis laqueum*, atque aliquid à ſcripturâ diſtinctum vocandum cenſeat? Aliter ſe res habet cum ſancto Paulo, aliter tecum. S. Paulum, ſiue calamo, ſiue linguâ, fidem explicaret, diuinus ſpiritus rexit, ſicut & Moſen & Prophetas cæteroſque publicos Eccleſiæ iudices rexit, qui non ſolùm per ſcripturam locuti ſunt, ſed etiam per traditionem, vtrobique à ſpiritu ſancto inſpirati; te nunc ſeu ſcribentem, ſeu loquendo conſequentias ducentem libido præcipitat & rotat. Quare niſi

Argumentum quod contra Apoſtatam procedit, nihil officit Paulo, aut Eccleſiæ: cùm alia ſit in horum conſequentijs, quàm in illius vis.

Diſſert. de Laq. cap. 8. *pag.* 29.

Digitized by Google

omnes articulos tuæ fidei diſertè & in terminis abſque vllo diſcurſu & conſequentiâ in ſcripturis nobis oſtendas, quidquid verborum aut conſequentiarum adiunxeris, non ſolùm ſuſpectum nobis, *& iuſtiſſima cauſa erit*, vt dicamus, te non ex ſolâ ſcripturâ nobis oſtendere *tuos articulos*; ſed etiam ex tui ipſius iudicij menſurâ *humanum* & *mortis laqueus* erit. Quam enim legem alijs ſtatuis, eam tibi inprimis fixam eſſe cogitato. Ex tuâ autem lege Traditiones & conſequentiæ noſtræ aliquid *humanum* & *mortis laqueus* ſunt, quia *extra libros ſacros tanquam diuinum aliquid docentur*: Ergo & tuæ conſequentiæ, ac offuciæ, cùm *extra ſcripturam* ſint, & tamen *tanquam diuinum aliquid doceantur*, *humanum* aliquid ac *mortis laqueus* cenſeri debent. Nec Caluiniſtis reſpondere poteris conſequentias ſuas tibi obijcientibus, dicentibuſque cum Paulo, conſequentias nihil eſſe extra ſcripturam. Nam illi non minùs ſuas, quàm tu tuas, conſequentias pro legitimis æſtimabunt. Vel certè vertamus argumentum tuum, & tanquam ſerram reciprocemus, dicamuſque.

Apoſtata ſuo proprio argumento iugulatur.

Nónne Paulus perſæpe ex Moſe & Prophetis diſputauit, nec ſolùm mera illorum verba protulit, ſed ex illis Euangelicam doctrinam concluſit. Et tamen Act.26. coram Rege Agrippâ diſputans, inquit, Auxilio adiutus Dei vſque in hodiernum diem ſto, teſtificans minori & maiori, nihil extra docens, quàm ea, quæ Prophetæ locuti ſunt futura eſſe & Moſes. Audis, Reihinge, *Paulum nihil extra Moſen & Prophetas dixiſſe, etſi non ſemper meriſſima Moſis & Prophetarum verba locutus ſit. Quid ergo tricaris, extra ſacros libros eſſe*, conſequentias & Traditiones Eccleſiæ, quæ *inde deducta proponuntur?* Multò enim vtique ſic potentiùs contra Lutheranos, quàm à Lutheranis concluditur. Neque enim Lutheranis licet, quod Eccleſiæ, quod Apoſtolis, quod Chriſto licuit, non ſolis nudiſque ſcripturæ teſtimonijs vtentibus, ſed etiam per argumentationes è ſcripturis deductas fideihoſtes conuincentibus. Licuiſſet quidem & Lutheranis, niſi ius ſuum perdidiſſent ſolas ſcripturas promittendo.

Mocquet. lib. 1. de Method. cap. 15.

Quamobrem rectè Mocquetius, *Neque Chriſtus*, inquit, *neque Apoſtoli; neque Prophetæ, nec Patres, nec Concilia tenentur lege Prædicanticâ. Iſaias non adſtrinxerat ſe legi ſoli ante ſua tempora conſcriptæ*,

neque

neque maiorum traditiones repudiabat, neque Chriſtus aut S. Paulus in veteris Teſtamenti tabulas & verba expreſſa iurauerant. Idem dico de Concilijs, idem de Sanctis Patribus, qui veri ac legitimi ſunt nobis à Deo dati, diuinæ ſcripturæ interpretes, & diuinæ legis explanatores. Diuinas quoque & Apoſtolicas & Eccleſiaſticas traditiones toto animo venerantur. Quocircà omnes iſti Iure ſuo ac more bono conſequentiarum armis aduerſus fidei hoſtes ac perduelles dimicant & præliantur. Prædicantibus hoc Iuris tribuere non poſſumus, niſi prius fundamentali de ſolâ ſcripturâ Iudice axiomati renuncient.

Imitari hìc libet Parmenem, qui mandato militibus dato, vt cùm receptui caneretur, impreſsionem facerent, magnâ hoſtem clade affecit. Receptui me ceciniſſe arbitratur Apoſtata, & periculi ſecurus nouum ictum accipit. Primò enim cur nouellus Prædicans non probat Paulum tunc vel memoriâ lapſum, vel alio conſilio adductum meriſsima Moſis & Prophetarum verba non protuliſſe, cùm ex prophetijs, figuris vmbriſque veritatem oſtenderet concluderetque? Quòd ſi ſecundò dicat, meriſsima quidem illorum verba, aut certè prorſus æquiualentia attuliſſe, ſed aliud inde intuliſſe, nempe ipſam *Euangelicam doctrinam*, quam inde concluſerat; quæro an illud aliud, quod concluſit, fuerit extra vel non extra Moſen & Prophetas? Ego in compendio dicere poſſum non fuiſſe extra intentionem Moſis & Prophetarum, etſi fuerit extra ſcripta Prophetarum. Quòd ſi Apoſtata, contendit etiam extra ſcripta Prophetarum non fuiſſe; oſtendat mihi in Moſe & Prophetis illas Pauli conſequentias; immo oſtendat mihi in Moſe & Prophetis clarè expreſſam Euangelicam doctrinam. Et adeò quid opus fuit, Euangeliſtas actum agere & id quod in Moſe & Prophetis clarè diſerteque ita ſcriptum eſt, ſicut Paulus ipſe prædicauit, denuò enarrare? Denique ſi non fuit extra Moſen & Prophetas, quod ex Moſe & Prophetis concluſit Paulus, ergo non concluſit aliud, ſed tantum idem alijs verbis expreſsit; atque idcirco non Apoſtolum, ſed Prophetam egit. Quod ſi autem id quod concluſit, formaliter loquendo fuit extra Moſen & Prophetas, ſicut & Act. 17. apud Theſſalonicenſes & Be-

Polyæn. lib. 5.

S. Paulum ſcripturæ verba mutaſſe ſupponit non probat.

An S. Pauli conſequentiæ nugatoriæ & identicæ? An vero ab antecedente & ſcripturis diſtinctæ.

rœënſes diſſeruit *ex ſcripturis adaperiens & inſinuans quia Chriſtum oportuit pati & reſurgere à mortuis: & quia hic eſt* IESVS *Chriſtus, quem ego anuncio vobis* illique *ſuſceperunt verbum cum omni auiditate ſcrutantes ſcripturas, ſi hæc ita ſe haberent*; Si inquã id quod concluſit, formaliter loquendo, fuit aliud (quis enim Propheta dixit, *quia hic eſt Ieſus Chriſtus quẽ ego annuncio vobis*) etſi materialiter, obiectiue & ex intentione non fuerit extra ea quę illi dixerunt eſſe futura; Ergo habemus, quod quærimus, conſequentias è ſcripturis etiam legitimè deductas, quales vtique vel Paulus, vel nullus deduxit, non eſſe formaliter ipſas ſcripturas; adeoque quamuis quoad rem non extra ſcripturæ mentem ſeu extra id quod eſt virtualiter in ſcriptura loquatur, qui per tales conſequentias loquitur, nequaquam tamen ſtat plumbeus ille ficulneorum Prædicantium canon. *Sola clara pura puta ſcriptura de fide ac moribus pronunciare debet, ſola hæc, ſolus Deus per illam clarè expliciteque loquens audiendus*; quippe cùm ſola ſcriptura illas conſequentias non faciat, nec clare indicet; aliudque ſit cauſſa aliud effectus qui latet in *cauſſa*, cùm tamen omnia pulpita Lutheranorum, ipſæque adeò Vulcani & ſutorum officinæ apud eos reſonent: *Ex ſolâ clara ſcripturâ clarè omnes fidei articulos cognoſci oportere*. Nempe hæretici omnia naſcitura poma in ſola arbore clarè cognoſcunt, & quibus ipſa veritatis lux obſcura videtur, etiam in contrarium ipſæ vmbræ clareſcunt: & tenebricoſiſsima tenebrionum ſophiſmata, Claritate ſuperant ipſas demonſtrationes mathematicorum.

S. Paulo fraus illata per Apoſtatam.

Atque hic tertiò vel effœtiſsimum Dialecticum, vel vaferrimum Sophiſtam mihi agnoſcite, qui viuam veramque D. Pauli ſententiam, fraudulentiſsimâ interpretatione exanimalem atque exhæredem vitæ ſuæ facit. S. Paulus ait, *ſto teſtificans minori atque maiori, nihil extra dicens, quàm ea quæ Prophetæ locuti ſunt* FVTVRA ESSE *& Moſes*. Ergo, *Paulus nihil extra Moſen & Prophetas dixit*. Nihil dixit extra obiectum ſcripturæ: Ergo nihil dixit etiam extra ipſã ſcripturam? O hebetatam imberbi Deo, & caluâ Deâ aciem ingenij! eſtne idem; *Nihil dicere extra ea, quæ Moſes & Prophetæ locuti ſunt* FVTVRA *eſſe, & nihil extra ipſum Moſen &*

Act. 26. 22.

Pro-

Digitized by Google

Prophetas, ſeu extra ſcripturas Moſis & Prophetarum dicere? Ergo & Iudas Chriſtum prodens ac vendens, & Pilatus eundem morti adiudicans, & Phariſæi ac milites in eundem verba impia iactantes nihil extra Moſen & Prophetas dixerunt; nihil enim planè dixerunt *extra ea quæ Prophetæ locuti ſunt Futura eſſe & Moſes.* Dixerunt enim futurum eſſe, vt Chriſtus venderetur, proderetur, damnaretur, &c. Sed vnaquæque harum prophetiarum tunc expirauit, quando impletum fuit id quod per eam prædicebatur. Aliud eſt ergo cum Paulo dicere, in Chriſto impletas eſſe prophetias, aliud prophetias ipſas proferre & nihil extra prophetias dicere. Nam etiam qui dicit prophetias in Chriſto fuiſſe impletas, nihil dicit *extra ea, quæ Prophetæ locuti ſunt futura eſſe, & Moſes,* licet aliquid dicat extra ipſam ſcripturam prophetiarum.

Matth. 27. 9. Zach. 11. 12. Iſa. 53. Thren. 4. Pſal. 21. 19. Io. 19. 24. &c.

Explicatur S. Pauli ſententia ex ipſa veritate; nihilq; pro effugio Lutheranorum facere oſtenditur.

Itaque vera germanaque S. Pauli mens, ſi verba eius verè germaneque expendantur, pro nobis, non contra nos eſt, & prorſus conſequentias etiam legitimas è ſcripturis deductas, ab ipſis ſcripturis ſecernit ac diſcriminat Si namque formaliter aliud fecerunt Prophetæ Chriſtum prædicendo, aliud Apoſtoli prædicando, ſequitur vtique Paulum ſicut & Petrum & alios Apoſtolos aliquid dixiſſe *extra* ſcripturas Prophetarum licet nihil dixerint extra ea, quæ Prophetæ ſaltem obſcurè & in genere locuti ſunt futura eſſe. Vt igitur neque offenderet, neque inefficaciùs conuinceret Iudæos Paulus, à teſtimonio Prophetarum, quos recipiebant, eiuſque quem maximi faciebant, Moſis contra eos eſt argumentatus. Nam & illorum vaticinia, & iſtius figuras Chriſto conuenire demonſtrauit. Itaque prædictiones, Prophetias, typoſque, & in ſummâ, *ea quæ Prophetæ locuti ſunt* FVTVRA *eſſe, & Moſes,* in Chriſto impleta factaque oſtendit. Quod vt faceret, & prophetias & figuras attulit, & inſuper ea ipſa, quæ prophetijs figuriſque ſignificabantur, iamque non ampliùs FVTVRA, ſed præterita in Chriſto fuerunt. Hoc dum fecit, vtique aliquid dixit *extra ea*, quæ Prophetæ & Moſes dixerunt aut ſcripſerunt (neque enim illi dixerunt aut ſcripſerunt hæc in Chriſto præterita eſſe) & tamen nihil dixit

Digitized by Google

extra ea, quæ Prophetæ locuti ſunt FVTVRA *eſſe, & Moſes.* Aliud eſt enim aliquid tamquam futurum prædicere, aliud tanquam præteritum demonſtrare, atque ex eo ipſo vaticiniorum & euentorum conſenſu veritatem aliquam contra alterum concludere. Quare vt hoc ipſo vaticiniorum euentorumque conſenſu Agrippam quoque perſtringeret concuteretque, non dixit, ſe *nihil extra dixiſſe, quàm ea, quæ Prophetæ locuti ſunt, ſed, quàm ea, quæ Prophetæ locuti ſunt* FVTVRA *eſſe.* Nam ſine dubio, ſi Meſsias ad prædictiones, velut ad Lydium lapidem, erat agnoſcendus, licuit illi ea tanquam præterita in medium afferre, *quæ Prophetæ locuti ſunt futura eſſe*; quæ tamen iam præterijſſe, ipſi Prophetæ nunquam ſcripſerunt. Alioqui id Iudæi nequaquam negauiſſent. Eſt igitur, ſi rem ſuis momentis æſtimemus, Pauli Apoſtoli, & Iacobi Apoſtatæ ferè è diametro oppoſitus ſenſus. Paulus dicit, ſe *nihil extra ea, quæ Moſes & Prophetæ locuti ſunt futura eſſe, dixiſſe,* ſed ea ipſa iam in Chriſto præterita eſſe oſtendiſſe, quod Apoſtolo conueniebat: Iacobus dicit, *Paulum nihil extra Moſen & Prophetas dixiſſe,* adeoque ea non præterita, ſed futura eſſe dixiſſe (quomodo enim alias nihil extra Prophetas dixiſſet, ſi nõ præterita, ſed futura illa eſſe dixiſſet? cum ſit prorſus extra Prophetas dicere, Vaticinia illa iam præterijſſe) *quæ Prophetæ locuti ſunt futura eſſe*, quod non Apoſtolo, ſed Prophetæ conueniebat; neque vim habebat ad Iudæos Meſsiæ, qui iam venerat ſubijciendos, ſed ad aduentum duntaxat eius præparandos. Ita ergo Apoſtata nunc ratiocinatur, tanquam ſi in Boeotiam emigraſſet, aut Ceſcon habitare cœpiſſet, vbi homines magnâ ſapientiæ inopiâ ſaburrantur.

CA-

Digitized by Google

CAPVT XVI.

QVINQVE VLTIMA APOSTATAE RESPONSA IN MARE CRETICVM MISSA; SIMVLQVE GONTERIVS, MOCQVETIVS, OVVERVS DEFENSI.

REſtant aliquot dehinc mendacia calumniæque indicandæ potiùs quàm confutandæ. Nam ea eſt vanitatis natura, vt, velut bullæ, quas pueri de aquis excitant, flatuque implent, ſponte ſuâ diſſoluta in ventos abeat & euaneſcat.

Quartum igitur non iam reſponſum, ſed mendacium eſt, quòd ſcribat: *Cùm dicimus, nihil extra ſacram ſcripturam credendum eſſe*, PERPETVO *noſtri dicti hunc ſenſum dedimus, nihil credi debere, quod nō in ſacris litteris, vel expreſſè legatur, vel inde legitimâ conſecutione concludatur.* Mentiris in caput, & pedes tuos, hoc eſt, in eos, qui ſupra & infra te ſunt Prædicantes. Apertè ſuprà ex ipſo Thummio demonſtraui, aliter & ſenſiſſe & ſentire debuiſſe, *Sciagraphum cū Hoffmanno eiuſque complicibus*, itemque *Kürchnerum, D. Selneccerum, Chemnitium*, & alios, immò ipſos etiam Colloquiſtas Ratiſponenſes, ſi ſuis principijs ſtare voluiſſent. Ergo non PERPETVO hic dicti veſtri ſenſus fuit; ſed conſequentias iſtas aliquando pro humano liripippio habuiſtis; ſicut & Caluiniſtarum conſequentias: & illi viciſsim veſtras meritò non aliter quàm liripippium ad coruos mittunt. Catholica Eccleſia, Catholiciq; Doctores, conſequentias è ſcripturis ducunt bonas ac ſalutares: non tamen ſequitur veſtras cōſequentias non eſſe malas. Ex eâdem arbore alij ſe alunt, alij ſe ſuſpendunt: ſic ex eâdem ſcripturâ alij medicinam, alij venenum hauriunt. Immò hoc ipſo quia Catholicorum conſequentiæ ſunt bonæ, hæreticorum nequeunt eſſe bonæ; ex vero enim verum quidem, non tamen falſum etiam concludi poteſt. Quare ſi con-

An perpetuo dixerint Prædicantes, quod ſe dixiſſe dicunt.

Aran. pag. 62.
Supra cap. 13.
Thummius in Tapinos. pag. 375.

Digitized by Google

ſequentiæ noſtræ bonæ ſunt, verumque concludunt; neque-unt veſtræ non eſſe malæ, quæ ex veriſsimis ſcripturæ oraculis falſiſsima dogmata deducere conantur, & has vos deductiones idem cum ſcripturâ ſacrâ eſſe contenditis? Quæ conuentio lucis ad tenebras? aut Chriſti ad Belial? Cæterùm, mi Iacobe, diligenti calculo annota mihi & hoc tuum dictum, quòd ſcilicet in articulis fidei probandis vel reijciendis tantummodò *vel expreſſis ſcripturis ſacris, vel legitimâ conſecutione inde ductâ* ſit vtendũ; paulo poſt etiã huius dicti gloſſæq; te pœnitebit.

In Aran. loc. cit.

Quintum itidem non reſponſum, ſed conuiciũ eſt, quòd Gonterium ob methodum ſuam puerilitatis & ineptiæ, egregius ſcilicet inter feminas pueroſq; vir, arguere non erubeſcat. Plus creditur tot prouinciarum Theologis methodo iſtâ vſis, quàm peruerſo vnius Apoſtatæ iudicio.

An Gonteriana Methodus puerilis & infantilis.

Sextum, quòd methodum non ſolùm *puerilem*, ſed etiam *infantilem*, appellitet; atque verò etiam *infantilem* eius *vanitatem* à Lucâ Oſiandro, & Thoma VVegelino *demonſtratam* affirmet. Cedo, obſecro, *demonſtrationes* illas; in qua figura? in quo ſyllogiſmorum modo? à priorine, an poſteriori, an, quod magis perſuadebis, à poſtremiſsimis ſunt? Hæcne puerilis & infantilis methodus, tantam vobis iam in tot prouinciis cladẽ intulit? tum profectò oportet vos infra pueros ſapere, & infra infantium cunas iacere. Sed corrigo me. *infantilis* eſt planè methodus, nam ex loquaciſsimis Prædicantibus *infantes* fecit; adeò vt ad duos Mocquetij libros, vſque in hodiernum diem nihil fari potuerint.

Ibid. in Aran. pag. 62.

Septimum plauſtrum quoddam videri poteſt lœdoriis & ſarcaſmis oneratum. Ita enim in Mocquetium, ob dictam methodum rabit Apoſtata: *Pro Gonterio eiusq; ridiculâ methodo pugnauit ſcripto Ioannes Mocquetius Ieſuita Ingolſtadienſis: ſed tam vanè, tam inaniter, vt ſcriptum illud à Ieſuitis Germanis, quorum cenſuræ commiſſum fuit, ea cauſſa, quod cum laruis pugnaret, & aduerſarij minimè id, quod illis tribuebat, dicerent, olim reiectum, diu à typis ſuſpenſum ſit, donec bonus ille vir multis litteratis precibus Romam miſſis, tandem à Romanis Patribus editionem emendicauerit, &c.* Et tamen noſter ille Sten-

gelius,

Digitized by Google

gelius, qui ſolidus diſputator videri vult, non modo hoc putido argumento vtitur, verùm etiam Lectorem in margine ad caput primum & ſequentia libri I. Methodi Gonterianæ Ioan. Mocquetij ablegat. ad illum ſcilicet librum, qui Ieſuitis grauioribus doctioribusq́ in nullo pretio: ipſum argumentum, quod tractat, adeò ſuſpectum eſt, vt eo nunquam vti voluerint, aut auſi ſint.

De Atila ſcribit Bonfinius, eum poſt Germaniæ depopulationem, in Vngariam reuerſum, ſolido quinquennio in otio atque deliciis agitauiſſe, bellicis curis prorſus diſsimulatis: vt hac otij ſimulatione non hoſtium modò conatus, ſed & ſuorum fidem exploraret. Videtur mihi idem facere Apoſtata, quod Atila. Nam vbi maxièm in veritatem deſæuiit, aut deſæuire ſe ſimulauit, conuertitur ad dicteria, & gnathoniſmos; manifeſtaq; mendacia: vt hac ratione & aduerſariorum patientiam, & ſuorum ſimplicitatem fidemq; nimis credulam exploret. Nempe cùm veritatem non poteſt, veritatis defenſores periuriis aggreditur.

Bonfin. Dec. I. lib. 5.

Apoſtatæ Conſilium.

Scriptum Mocquetij nec *vanum*, nec *inane* eſſe, neque cum *laruis pugnare* (niſi fortè hoc ipſo cum laruis pugnet, quia cum Prædicantibus Oſiandro & VVegelino pugnat, quos tu haud immeritò laruas indigitas) neque aduerſariis tribuere aliud, quàm quod illis tribuendum, non ſolùm ego ſuprà óſtendi, ſed ipſe Mocquetij liber ſatis declarat; immò ipſi Prædicantes, & verò ipſe etiam Apoſtata clarè teſtificatur; illi dum obmutuerunt, iſte dum ringitur ad Methodum illam. Nempe vbi vlcus eſt, ibi ſi tangas, æger magis clamat, quod facit Iacobus; Oſiander autem atque VVegelinus icti ſapiunt & ſilent, ne clamoribus denuò verbera mereantur.

An Mocquetij ſcriptum vanum & inane?

Cap. 13. 14. 15.

Anubi ideò ab Aegyptiis caninum caput impoſitum eſt, quia lacerati Oſiris corporis partes artificio canis veſtigantis inuenit: tale & tibi, Iacobe, Aegyptij caput impoſuiſſent; qui caninâ ſagacitate atque impudentiâ veſtigas ea, quæ alios lacerare poſſent, ſi vera eſſent; Falſum eſt igitur, ſcriptum Mocquetij *argumentum tractare adeò ſuſpectum, vt eo nunquam vti voluerint*

Iul. Firmic. Matern. lib. de errore profana. Relig.

Apoſtata canina ſagacitate indagat aliorum laceratas carnes.

Digitized by Google

rint aut auſi ſint, grauiores doctioresq́; Ieſuitæ. Falſum ideſſe, præter alia ipſe Mocquetius variis exemplis docuit.

An grauioribus & doctioribus in nullo pretio ſcriptum Mocquetij.

Falſum eſt etiam, quòd liber Mocquetij *Ieſuitis grauioribus doctioribusq́; in nullo pretio*, aut reiectus ſit: Falſum quòd *à Romanis Patribus editio* eius *multis litteratis precibus Romam miſſis emendicata* ſit. Grauiores doctioresq́; Ieſuitas ipſe ſuper eo libro interrogaui; ſecus inuenio. Nihil ſe reiecíſſe dicunt. Sicut nec Romani Patres verbum aut ſyllabam aut apicem vllum reiecerunt, ſed librum omnem, omniaq́; quæ in libro illo diſputabantur à Mocquetio, commendârunt, approbârunt. Nec *multæ litteratæ preces Romam miſſæ* ſunt; vt tu mentiris. Liber miſſus eſt, quod apud nos nequaquam inuſitatum eſt. Itaq; res illa tota ad laudem potiùs libri facit, nam tantò plures habuit approbatores.

Atque vt publicum tuum mendacium publicis clariſsimiſque teſtimonijs conuincam, hem tibi, calumniator, approbationes publicas ipſi Mocquetiano libro præfixas, ad os tuum impudentiamque redarguendam.

FACVLTAS R.P. PROVINCIALIS.

In defenſ. Method. Gōt. pag. 1. Ieſuitarum de libro Mocquetij teſtimonium.

METHODVM *Gonterianam vanitatis ac impoſturæ verbi miniſtrorum denudatricem Libris duobus à calumnijs vindicatam per* P. *Ioannem Mocquetium, & à deputatis Patribus Theologis lectam ac probatam, Ego Melchior Hartelius Societatis* IESV *per ſuperiorem Germaniam Prouincialis poteſtate ad id mihi ab admodum* R. P. N. *Mutio Vitelleſco facta, typis mandari permitto. In cuius rei fidem Auctori hoc teſtimonium chirographo, & ſigillo noſtro munitum ac ſubſcriptum dedi, Monachij 21. Auguſti, Anno* M. DC. XVII.

Melchior Hartelius.

APPROBATIO FACVLTATIS THEOLOGICAE INGOLSTADIENSIS.

Ibid. pag. 20. Aliorum Theologorum de libro Mocquetij teſtimonium.

Præſens Gonteriana cum ſectarijs agendi methodus, certam rationem & viam Orthodoxis aperit detegendi ac cognoſcendi fallaces impiorū Prædican-

Digitized by Google

dicantium impoſturas, quibus in aſſerendis hæreſeon ſuarum dogmatibus fraudulenter vti ſolent. Cùm enim hypocritico ſolius ſcripturæ ſacræ velamento peſſima quæque, & à veritate aliena contecta audacter rudibus vendicent, & proferant, reuelat apertè hæc methodus, Caluini & Lutheri ſequaces impoſtores, nec ſacris, ac Propheticis litteris ad Orthodoxæ veritatis impugnationem legitimè vti; nec ſolida; ſed apparentia ex ſcripturis, diabolum imitando, ad ſuæ impietatis & perfidiæ defenſionem eruta argumenta afferre; imò pro veritate fabulas narrare; pro ſanâ doctrinâ hæreſes loqui, & pro communis fidei doctrina fucos inanes, & mendacia incautis & nimiùm credulis vendere. Magno itaque veræ fidei profeſſorum commodo & vtilitati profutura eſt hæc methodus, ſi non ſolùm publicabitur; ſed ab omnibus diligenter & teretur & legetur. Ingoſtadij 23. Auguſti. Anno Domini. M. DC. XVII.

PETRVS STEVARTIVS *Leodius SS. Litterarum in Acad. Ingolſtad. Profeſſor; Procancellarius, & hoc tempore Collegij Theol. Decan. &c.*

I nunc & dic *Ieſuitis grauioribus, doctioribus in nullo precio* eſſe hunc librum. I, & dic *argumentum* in hoc libro *ſuſpectum tractari*: oſtendes vel ingenium illius ſpeculi habere, quod in Smyrnæ templo, formoſiſsima quæque tanquam deformia reddebat, vitro ipſo mentiente; vel certe Tragicum te Theocrinem melius agere, quàm Demoſthenis iudicio Aeſchines olim egerit.

Octauum, etſi non contra eoſdem, tamen ex eodem ore prognatum eiuſdem precij videri poteſt, ait enim Apoſtata, *meo atque Mocquetij exemplo & auctoritate nuper admodum commotum, inſulſiſsimum præconem ruralem Ioannem Ouuerum, per omnes ferè paginas libelli ſui Germanici contra ſermonem* Reihingianum, *de Miſſâ ineptiſsimè conſarcinati, nihil niſi Gonterianam methodum perpetuò proferre habuiſſe: vt proinde meritò etiam, non niſi poſt longas preces huic mendico* (ita modeſtè loqui Prædicantes amant) *impreſſio Rottuuilæ permiſſa feratur.*

Demoſth. in Orat. pro Cteſiphonte.

Aran. pag. 63.

Apoſtatæ in Ioannem Ovverum conuitia.

1. Ouuerum ego non noui, te tamen, Iacobe, noui, qui Pattæcione calumnioſior es. 2. Ouueri libellum ego non vidi; ex

Ovveri defenſio in Apoſtatæ accuſa-

tionē refunditur.

ex tuo tamen reſponſo video, illum tibi non placere, quare hoc ipſo alijs meritò placet. Nam prout nunc es conſtitutus, bona tibi diſplicent. 3. Ouuerum meo Mocquetijque exemplo commotum, benè eſt; ſic ictus ab vnâ alteráue apiculâ vrſus, irâ incenſus cùm in apiarium irruiſſet, & aluearia depopulari vellet, apes impetu vndique facto totis examinibus illum infeſtarunt. Meruiſti & tu, Iacobe, aculeos omnium, qui nulli in Eccleſia exiſtenti peperciſti. 4. Ovverum Gonteriana methodo vti potuiſſe ex ſuprà pro eadem methodo dictis conſtat. Cui enim armis iuſtis contra hoſtem ſuum vti non liceat? 5. Ovverum *non niſi poſt longas preces* ob hanc ipſam Methodum *impreſſionem* libelli ſui emendicaſſe *Rotuuilæ*, tunc credam, cum mendacijs fidem adhibendam iudicauero. Nam præterquam, quòd illa *methodus*, quam tu per illud tuum *proinde* inhibitionis cauſſam indigitas, iuſta inhibitionis cauſſa eſſe non potuit, cum methodus ipſa ſit iuſta, etiam ipſam vrbem Rotuuilanam, dum ei adularis, inſignis iniuſtitiæ inconſtantiæque accuſas, vt quæ meritò, iuſtiſque de cauſis cenſuerit, libellum illum typis non eſſe permittendum; & tamen tandem *preces* ac *mendacium* pluris fecerit, quàm veritatem atque æquitatem. Quare dicto hoc tuo honorarium meritus es, quod proxima occaſione in vrbem illam expatians memineris exigere. 6. Sed non exertè id de Rotuuila affirmas: ais enim ita *ferri*, hoc eſt, famam eſſe, quod libellus Ovveri difficulter imprimi ſit permiſſus. At ſi hoc ſufficit, permitte & mihi tantundem, quantum tibi. Fertur, fama eſt, immò ipſi Lutherani, ipſi enimuerò ſtudioſi Tubingenſes non indocti neque illiberales mihi retulerunt, Tubingæ in ipſo ſenatu quæſtionem motam eſſe, de tuo libro, multiſque viſum, præſtare ſi non edatur. Et vtique præſtitiſſet. Sed hæc famæ relinquo.

Luc. 16. 19. Satis eſt famæ famam repoſuiſſe. 7. Ovverum, *mendicum* vocas. Nempe tu tibi gloriæ ducis, quod inſtar *diuitis* illius *epuleris quotidie ſplendidè*. 8. Ovverum *inſulſiſſimum ruralem præconem* vocas. Nempe tu vrbicus præco *inſulſus* appellari non potes, cum tam ſitibundus ſis, vt tota anima tua ex ſale conſtare videatur. 9.

Ovve-

Digitized by Google

Ovveri libellum *ineptiſsimè conſarcinatum* ais. Nempe ita *ineptè conſarcinatus* eſt, vt tu ad eum nullam aptam reſponſionem excogitare potueris. Itaque egiſti more timidi illius militis, qui ad primum acinacis aſpectum refûgit, interrogatuſque cur Turcam aduerſarium non occidiſſet, reſpondit: ita eum odi, vt ne aſpicere quidem libuerit. Odiſti & tu Methodum Gonterianam, ſed ita vt eam fugere, quam cum ea congredi malis. Hæc pro incognito mihi Ovvero occurrerunt, tu ſi plura contra eum ſcripſeris, ab ipſomet plura expectato.

CAPVT XVII.

QVARTVM GENERALE ARGVMENTVM, QVO EX IPSA SCRIPTVRA OSTENDITVR, SCRIPTVRAM NON ESSE IVDICEM CONTROVERSIARVM FIDEI.

DE Claudio nondum Cæſare in memorijs ſcriptorum proditur, oſcitantiam ei multarum moleſtiarum cauſam fuiſſe. Itaque *quoties poſt cibum obdormiſceret (quod ei fere accidebat) olearum, ac palmularum oſſibus inceſſebatur: interdum ferulâ, flagróue, velut per ludum, excitabatur à tropeis. Solebant & manibus ſtertentis ſocci induci, vt repentè expergefactus faciem ſibi confricaret.* Similis oſcitantia ſimilibus excitamentis digna paſsim in Apoſtatâ occurrit: qui proinde nunquam niſi poſt cibum & largum potum ad arma proſilijſſe videtur, itaque ſcribit, vt non quandoque, quod vel Homero contigit, ſed ferè ſemper obdormiſcat; & adeò craſsè calamo vtatur, ac ſi manibus ſoccos induxiſſet. Ferulâ igitur flagróue aut oſsibus olearum ad veritatem eſt excitandus. Ait itaque, *Tertium Stengelij argumentum hoc eſt.* Heu iterum obdormiſcis, Iacobe, expergiſcere, inquam, Iacobe, non *tertium*, ſed *quartum* meum *argumentum* hoc eſt. Ita enim diſertè ſcripſi.

Sueton. in Claudio c. 8.

Oſcitantia Apoſtatæ cũ Claudio cõparata.

Digitized by Google

Differt. de Laqueis c.8. Solidum pro vero controuerſiarum Iudice argumentum.

Quartò, Si ſcriptura vniuerſalis eſſet regula & iudex in omnibus rebus fidei controuerſis, tum litigantes non remitteret ad Eccleſiam. Remittit autem Deuteron. 17. ſi difficile & ambiguum apud te iudicium eſſe perſpexeris, &c. 2. Paralip. 19. Vbicunque quæſtio eſt de lege, de mandato, de ceremonijs, de iuſtificationibus, oſtendite eis vt non peccent in Dominum, &c. Malach. 2. Labia Sacerdotis, &c. Matth 18. Dic Eccleſiæ. Item, Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus. Non ait, dic Eccleſiæ ſententiam eſſe commentum humanum, & mortis laqueum. Ergo ſcriptura ipſa iudicat Lutheranos malè de ſcripturâ iudicare, qui nolunt ad Eccleſiam ire, cum inter illos litigatur. Sic meum argumentum habet.

Aran. pag. ead. Reſponſio Apoſtatæ quot næuis plena.

Reſponſum autem Apoſtatæ ſic: *Retexamus hanc telam, quod facilè. Calumnia, non concluſio eſt, nolle nos ad Eccleſiam ire: non contemnimus Eccleſiam, nec iudicium illius miniſteriale defugimus. Supremum iudicium penes ſolam ſcripturam ſacram, ſiue Spiritum ſanctum clarè in ſcripturis loquentem, non penes Eccleſiam eſſe aſſerimus. Eccleſiæ iudicium ſcripturæ ſacræ alligatum eſt. Quæ hoc vinculum rumpit, & ſibi, quidquid dicit, herili imperio credi vult, eius Eccleſiæ tribunal detrectamus.*

Iob. 38 2. Idem illi eſt difficile & facile. Quam miſer Logicus Apoſtata, ad maiorem & minorem mutus ad concluſionem faciundus.

Quis eſt iſte inuoluens ſententias ſermonibus imperitis? Quis te non credat obdormiſcere, aut in ſomno loqui, Iacobe? *Facile* eſt *hanc telam* retexere? Nempe vt dormientibus ſomniantibuſque etiam volare *facile* eſt. Itáne verò *Calumnia, non concluſio eſt, nolle vos ad Eccleſiam ire?* Ita indoctiſsimus quiſque Dialecticorum reſpondet, cum ſacco captus eſt. Nam quis alius vnquam in bono ſyllogiſmo conceſſâ primâ, ſecundaque propoſitione, concluſionem negaret? Maior clara erat, minor ex ipſis ſcripturis aperta; quid tu aliter facere poteras, quàm vt vtramque quaſi obdormiſcens & conniuens præterire ſineres? Et tamen concluſio te tenebat. Quid tu bonus Logicus conſilij caperes? Ita tecum cogitâſti. Quidquid ſit de maiore, quidquid de minore, quidquid de ſyllogiſmo; Nego concluſionem: Non curo ampliùs rationem: Quidquid contra me eſt, falſum eſt, quia ego ſum veritas. Itaque *facile eſt hanc telam retexere, Calumniam non concluſionem* vocemus, & cadit totum argumentum: Res tota in eo ſita eſt, vt nihil eſſe putetur: Multa æſtimatione firmantur, quæ ſi contemnas, ſuâ ſponte languent.

Digitized by Google

guent. Iacobe, *Benè merenti, benè profuerit; malè merenti pa-erit.* *Plaut. in Capteiu.*

Itaque calumniam aio te, Iacobe, non *reſponſionem* inueniſſe. Repetamus ſyllogiſmum propter iuniores: *Si ſcriptura vniuerſalis eſſet regula & iudex in omnibus rebus fidei controuerſis, tum litigantes non remitteret ad Eccleſiam. Remittit autem, &c.* Quid ais, Iacobe, ad has duas catapultas? tempeſtiuè auxiliare, venienti morbo tuo occurre. Si hîc tacueris, ſerò ſapies, cùm ad concluſionem vētum erit. Sed citiùs ex pumice aquam, quàm ex te hîc reſponſum extorſero. Pergo igitur, & vnà te ac ſyllogiſmum concludo: *Ergo ſcriptura non eſt vniuerſalis regula & iudex in omnibus rebus fidei controuerſis, adeóque ſcriptura ipſa iudicat Lutheranos malè de ſcripturâ iudicare, qui nolunt ad Eccleſiam ire, cùm inter illos litigatur.* Eſtne hæc *concluſio*, Iacobe, an *Calumnia?* Ad maiorem nihil dicis, minorem non negas, ad concluſionem quoq; ſatius fuiſſet tacere, quàm ſic loqui.

At nimirum iacta eſt alea; Rubiconem tranſiiſti, neſcis ampliùs erubeſcere; in medio lacu deprehenſus, ſiccum te eſſe ais, & in ipſo luto mundum. Concluſio oſtendebat *ſcripturam non eſſe vniuerſalem regulam & iudicem in omnibus rebus fidei controuerſis,* quid tu ab *vniuerſali* iudicio ad iudicium *miniſteriale,* & *ſupremum* confugis, immò tranſilis? Alibi Eccleſiæ non *miniſterium*, ſed *magiſterium* ſcripturas declarandi tribuiſti, dum ſcriberes: *Nullum in tantâ ſectarum de vero ſcripturæ ſenſu gloriantium colluuie ad cognoſcendam veritatem ſolidius ſecuriuſq; eſſe medium, quàm Eccleſia per omnes ætates conſentiens in ſcripturis interpretandis, & rebus Fidei declarandis MAGISTERIVM.* Quid nunc tam ſubitò Eccleſia de te meruit, vt ex *magiſtrâ miniſtram* faceres? An quia ipſe ex Doctore & Magiſtro Miniſter factus es, etiam Eccleſiam tecum defeciſſe arbitrari? Nemo quidem noſtrum negat, Eccleſiam eſſe Dei miniſtram; atque in hoc ſenſu etiam iudicium Eccleſiæ *miniſteriale* vocari poſſe. Quanta autē, & quàm Cyclopicâ deceptio eſt ex hac æquiuocatione ſupremum iudicium controuerſiarum ab Eccleſiâ ad Scripturas transferre? quaſi ſcriptura per Eccleſiam, & non Eccleſia per ſcripturam

Apoſtata male Eccleſiæ Iudicium miniſteriale tribuit.

Iac. Reihing. Excub. Angel. defenſ. 2. fund. c. 1.

Digitized by Google

ram perq; traditiones iudicaret? Quid enim? an non iudex per normam, non autem norma per iudicem iudicat, ſi propriè de re loqui velimus? Denique eſtne Eccleſia propter ſcripturam? an potiùs ſcriptura propter Eccleſiam? Non ergo rectè *miniſteriale iudicium* Eccleſiæ reſpectu ſcripturarum tribuitur, quamuis reſpectu Dei rectè *iudicium miniſteriale* appelletur: multoq; minùs rectè ſcripturæ ipſi iudicium *ſupremum* tribuitur, cùm ſcripturæ officium penitùs non ſit iudicare, ſed normam duntaxat eſſe iudicantis. Quare ſi enucleatè diſtinctio Apoſtatica tua excutiatur, luculente deprehenditur principium petere; cùm enim de iudicio quæritur, an id ſcripturæ competat, tu in illa diſtinctione, ſcripturæ etiam iudicium *ſupremum* ſupponis, vt nobis imponas. Quid verò incendium tuùm oleo extinguis? An non vides, dum ais: *Non contemnimus Eccleſiam, nec iudicium illius miniſteriale defugimus*, te ſic quoque de Scylla in Charybdin incidere, & tam contra Caluiniſtas, quàm contra Lutheranos pugnare, qui velis remiſq; Anticyras nauigant, vbi *ſolam Scripturam* controuerſiarum fidei iudicem ſtatuant. Quòd ſi *iudicium Eccleſiæ miniſteriale non defugitis*, quomodo *ſolius ſcripturæ iudicium* agnoſcere poteſtis? cur illud: *Non addetis ad verbum, quod loquor vobis, nec auferetis ex eo*, tantoperè vrgetis? an non etiam *miniſteriale iudicium* addere, eſt aliquid addere? & *ſolam ſcripturam iudicem* non relinquere? Malè enim dicit, qui dicit, ſolus Princeps in hac vrbe iudex eſt, ſi etiam alijs miniſteriale iudicium tribuit. Vel ergo *ad ſolam ſcripturam* non itis, cùm litigatis; vel ſi ad *ſolam* itis, ad Eccleſiam ire non vultis, ſecus, quàm ipſa ſcriptura iubeat, vt rectè contra vos intuli. Denique ſi *miniſteriale iudicium Eccleſiæ non defugitis* quando *non defugitis?* an quando pro vobis pronunciat? at hoc vera Eccleſia nunquam facit. Quòd ſi ergo *non defugitis* etiam contra vos pronunciantem, iam eo ipſo iudice ad Catholicos tranſire debetis, quem non defugitis.

Solus Iudex Apoſtatæ eſt, qui etiam non eſt ſolus.

Deuter. 4. 2.

Sed illum alium etiam ſerpentem è diſtinctione tuâ, quâ, non diſtincto antecedente, concluſionem diſtinguis, effumigemus. Oſtendamus, inquam, enucleatiùs *ſupremum* in fidei con-

controuerſijs *iudicium* non *penes ſolam ſcripturam ſacram, ſiue ſpiritum ſanctum clarè* (immò obſcurè, *mira* enim, teſte Auguſtino lib. 12. confeſſ. c. 14. *profunditas eloquiorum* diuinorum: & *horror eſt intendere in eam, horror honoris, & tremor amoris*) *in ſcripturis loquentem, ſed penes Eccleſiam eſſe.* Nam præterquam quòd eo ipſo noſtro argumento non miniſteriale, ſed ſupremum iudicium Eccleſiæ oſtenditur (non enim eò nos ſcriptura remitteret, ſi ipſa ſupremus iudex eſſet) ſuppetunt etiam alia argumenta.

I. Officium *ſupremi* & vltimi iudicis eſt, inter litigantes ita clarè ſententiam ferre, vt altera pars perſpicuè intelligat fateaturq; contra ſe, altera pro ſe pronunciatum eſſe; ac proinde deſinat litigare: Scriptura hoc non facit; Eccleſia facit: Ergo. Quòd Eccleſia hoc faciat, palàm eſt, cùm apertè Caluiniſtas, Lutheranoſq; hæreſeos damnet, ſicut & cæteros olim hæreticos, contra quos pronunciauit. Neque de hoc ambigere poteſt, quiſquis vel ſemel Concilium Tridentinum aſpexit. Quis enim non intelligat perſpicuè, contra quos, aut pro quibus illa pronunciet, cùm v. g. ſeſſ. 4. poſt recenſitos ordine omnes libros ſacros, ſubiicit: *Si quis autem libros ipſos integros cum omnibus ſuis partib. prout in Eccleſiâ Catholicâ legi conſueuerunt, & in veteri vulgatâ Latinâ editione habentur, pro ſacris, & canonicis non ſuſceperit, &* TRADITIONES *prædictas ſciens & prudens contempſerit,* ANATHEMA SIT. Nonne hoc eſt inter litigantes, ita clarè ſententiam ferre, vt diuinarum traditionum ſuperbi contemtores & quoad ceteros canonicos libros aduerſarij noſtri intelligant, contra ſe pronunciatum eſſe? Quod etiam in ceteris Fidei controuerſijs vbique fit: vbique enim Eccleſia clarè pro vna contraque alteram partem pronunciat. Quod autem ſcriptura id non faciat, ipſi Lutherani, & his deteriores Caluiniſtæ ſuo exemplo commonſtrant: cùm enim vtrique ad ſolam ſcripturam tanquam ad Iudicem identidem appellent, & tot iam annis de varijs articulis inter ſe ſe acerrimè litigent, nullam tamen vnquam claram iudicis illius ſententiam pro hac vel pro illa parte pronunciari audiuerunt. Nam pro quibus ſcriptura pronunciauit? aut cur illi, contra quos pronuncia-

Eccleſiam eſſe Iudicem non tantum miniſterialem probatur ipſo Litigantium exemplo ac teſtimonio.

Digitized by Google

ciatum eſt, herbam alteri parti non porrigunt? cur nõ tanti Iudicis æquitate contenti à lite deſiſtunt, ab illo clariſsime damnati, ad quem ipſi communi conſenſu prouocauerunt? Si non *ſicut Ethnici & Publicani* eſſent, ſi, inquam, *Eccleſiam audirent*, iam dudum clare audiuiſſent, ſe hæreticos eſſe, litemque finijſſent. Iam quia litem magis quam pacem amant, iudicem verum induſtriè declinant, & coram eo iudice litigare pergunt, qui ſicut lites ipſorum non audit, ita nec dirimit, & adeò viciſsim quoque ab ijſdem non auditur, niſi ita vt quiſque pro ſe decerni exiſtimet: quod eſt vtique non clarè ſententiam ferre.

Matth. 18.

II. Ille non eſt *ſupremus iudex* cui ſæpe alio iudice opus & à quo ſæpe ad alium eundum eſt. Sed ſcripturæ ſæpe opus eſt alio iudice, ita vt ad alium ſit eundum: Ergo. Maior ſuiſmet verbis clara eſt: minorem ſic oſtendo. Vel ſcriptura ſecundùm *litteram*, vel ſecundum *ſpiritum* ac ſenſum iudex conſtituitur. Secundùm *litteram* iudex conſtitui non poteſt, cum ſic, teſte Paulo & Auguſtino, *occidat*, & ſæpe legentem in errores ac hæreſes præcipitet, tantùm abeſt, vt infallibilis hac ratione iudex eſſe poſsit. Sic Iudæi, quæ de Chriſto prædicta erant, ſecundum externam litteram accipientes, Chriſtum non agnouerunt; *vſq; in hodiernum diem*, inquit S. Paulus, *cum legitur Moſes, velamen poſitum eſt ſuper cor eorum*. Sic lecto illo, *Ego & Pater vnum ſumus* Sabelliani *Patropaßiani* facti ſunt. Sic Ariani, Macedoniani, Manichæi, Pelagiani alijque hæretici à littera occidente occiſi ſunt. Non eſt ergo *littera* iudex veritatis, cùm abducat hominem à veritate, non adducat; niſi ipſa prius aliunde ad *ſpiritum* ſenſumq; legitimè adducta.

2. Cor. 3. 6. S. Aug. Serm. 70. de tempore.

2. Cor. 3. 15. Ioan. 10. 30. Vide S. Aug. lib. de hæreſib. cap. 41. Athanaſ. lib. 2. contra Ariã. Hilar. lib. 5 & 11. de Trinit.

Scriptura ſicut nec ſecũdum litteram ita nec ſecundum ſenſum eſſe poteſt Iudex.

At neque *ſenſus* ſcripturæ poteſt eſſe iudex ſupremus; cum quoad ſenſum ſæpe alio iudice opus habeat. Eſt enim quoad ſenſum perſæpe obſcura; vnde fit, vt non rarò de vero & legitimo eius ſenſu grauiter controuertatur: quæ controuerſia vtique aliquem iudicem poſtulat. Sed hic iudex non poteſt eſſe ipſa ſcriptura; Ergo ſcriptura alio iudice opus habet. Porrò iudicem hunc non poſſe eſſe ipſam ſcripturam, oſtenditur inde; quòd multæ ſint ſcripturæ, quarum verus legitimuſque ſen-

Digitized by Google

ſenſus ſine Traditione & auctoritate Eccleſiæ non habetur; quare ſi controuerſia circa tales ſcripturas naſcatur, non poterit vtique ſola ſcriptura eſſe iudex: erit ergo neceſſe ad Traditionem & Eccleſiæ auctoritatem, tanquam ad aliud tribunal, litem deferre. Idque paſsim, qui de Fidei controuerſijs ſcripſerunt, multis exemplis declarant. Mihi vnum illud ſufficiat, quod magnus Iacobus, magni facere meritò debet, cùm à magno Prophetâ Iſlebico confirmetur. Itaque ex illo, *Niſi quis renatus fuerit ex aquâ & ſpiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei*: & ſimul illis: *Sinite paruulos venire ad me, talium eſt enim regnum cœlorum*, ſecundùm verum & legitimum ſenſum neceſsitas Pædobaptiſmi intelligitur. At negant id Anabaptiſtæ. Quâ ratione igitur à Lutheranis refelli poterunt? An ex ſolis ſcripturæ verbis? Nequaquam, vt ſuprà vidimus. An ex ſenſu? At negant eum eſſe ſenſum. Non ergo ſenſus ſcripturæ de ſenſu iudicat, nec ſuijpſius iudex eſſe poteſt. Immò quid ſi eò adacti tandem etiam cum Caluiniſtis dicerent Anabaptiſtæ, priorem illum locum, non eſſe accipiendum de neceſsitate baptiſmi? quanquam enim ibi *aquæ* mentio fiat, cùm tamen additur, *Ipſe vos baptizabit in ſpiritu & igne*, non intelligitur verus ignis, cur apud Ioannem cùm dicit: *Niſi quis renatus fuerit ex aquâ & ſpiritu ſancto* intelligenda eſt vera aqua? Quæ ſcriptura docet in vno loco Chriſtum propriè, in alio metaphoricè loqui? Nempe tandem ad praxin & Traditionem Eccleſiæ eſt veniendum. Hæc ſupremam dicit ſententiam.

Ioan. 3. 5. *Matth. 19.* *Marc. 10.* *Luc. 18.* *Luc. 3. 16.* *Ioan. 3. 5.*

Quod non latuit Lutherum; qui vt ſuprà monuimus, ita ſcripſit: *Concedimus in S. Scripturâ nullum textum expreſſum eſſe ad refutandum Anabaptiſtarum errorem, vbi ſcilicet dictum eſt, baptizandos eſſe infantes, quia credant. Si quis ipſorum vrgere nos velit, vt hæc verba ipſi oſtendamus, cedimus. Contumacium eſt Anabaptiſtarum, non verorum Chriſtianorum tam anguſtis nos terminis circumſcribere. Illud ſatis cuique eſſe debet, quòd inſtitutionem Apoſtolorum ſequimur omni tempore in Eccleſiâ Dei obſeruatam, etiamſi ſcriptura id non præcipiat.*

Luther. ſerm. contra Anabaptiſtas.

His omnibus accedit, quòd ſcriptura, quando ſenſum obſcurum habet, vtique claram ferre ſententiam nõ poſsit, quod

Digitized by Google

An in ſcripturâ ſemper vnus locus per alium explicari poſſit.

tamen ad ſupremum iudicem pertinet. Nec quidquam iuuat aduerſarios prætextus ille; quòd dicant, obſcurum vnius loci ſenſum, per clarum alterius poſſe intelligi, & adeò illum alterum clarum locum eſſe iudicem loci obſcurioris. Prætextus iſte eſt, non excuſatio. Præterquam enim, quòd frequenter idem ſcripturæ locus ab vnâ litigantium parte clarus, ab aliâ obſcurus eſſe contendatur, & ob idipſum ab vtrâque parte nõ poſsit pro claro Iudice haberi: ſi Lutherani pro ſe, & contra Caluiniſtas tam claros locos habent; cur quando de obſcurâ aliquâ ſententiâ litigant, illicò non ad claram aliquam ſcripturæ ſententiam recurrunt & litem finiunt? Nempe ille ipſe clarior locus, quia non eſt ſupremus Iudex controuerſiarum, clarè inter litigantes cauſſam non decìdit. Vnde non intelligunt, pro quânam parte cauſſa decidatur, deciſionemque non aliter expectant, quàm Iudæi Meſsiam.

Adde ſæpe quidem verba ſcripturæ eſſe perſpicua, ſenſum tamen non item, cùm iſte ex intentione conſilioque ſpiritûs ſancti ſit æſtimandus: vt in illis *Hoc eſt corpus meum*: quid clarius, ſi Gramaticos conſulas de verbis? quid litigioſius, ſi Caluiniſtas alioſque hæreticos roges de ſenſu? Quò itaque eundum eſt? Ad ſcripturam? At ſcriptura non dicet Caluiniſtas errare; ſed idem quod priùs, *Hoc eſt corpus meum*: nihilque aliud exhibebit: Ergo eadem quæ priùs, lis manebit, cùm eadem verba maneãt; nec noua ſentẽtia accedat, quæ Iudicis officio fungatur, ſed illa ipſa ſeſe denuò offerat, de quâ dubitatur & litigatur.

Iudicis Politici & Iudicis controuerſiarum fidei comparatio.

III. Sicut quoad lites ciuiles ſeſe habent leges ſcriptæ, itâ & ſcripturæ ſacræ, quæ & ipſæ leges ſunt (vnde lex vetus & noua appellantur) ſe habent quoad lites fidei: ſed ſcriptæ leges ciuiles in ciuili lite non ſunt iudex, quamuis ſint aliquid, ſecundùm quod dirigitur Iudex tanquam ſecundùm regulam & normã inadęquatã, (ſæpe enim de aliquâ re nõ extat lex ſcripta, ſed cõſuetudine ſtandũ eſt, quod in optimis quibuſq; Rebuſpublicis, vt Lacedæmonum, Athenienſium, & Romanorũ cernere eſt: ſicut in ijs controuerſijs fidei, quæ ex ſcripturâ decìdi nõ poſſunt, ſtandum eſt Traditione) imò nec poſſunt eſ-

ſe Iu-

Digitized by Google

ſe Iudex, cùm aliquando ob ambiguitatem interprete, ob apparentem repugnantiam inter ſe conciliatore; ob generalitatem reſtringente illas ac limitante indigeant: Ergo etiam ſcripturæ ſacræ in litibus fidei non ſunt, immò non poſſunt eſſe iudex; quamuis ſint aliquid, ſecundùm quod dirigitur iudex tanquam ſecundùm regulam & normam inadæquatam. Vbi hæres, Iacobe, cum iudice tuo, quo modo ſupremus tibi poteſt eſſe iudex, qui iudex penitùs eſſe non poteſt? Vbi iam manent illa tua; *Supremum iudicium penes ſolam ſcripturam ſacram, ſiue Spiritum ſanctum clarè in ſcripturis loquentem, non penes Eccleſiam eſſe aſſerimus?* quaſi nos Eccleſiam ipſi Spiritui ſancto anteponamus, aut Spiritum ſanctum ab Eccleſiâ iudicante ſeparemus, cui tanquam columnæ & firmamento veritatis Spiritus ſanctus ſemper aſsiſtit, & ſuggerit omnia in rebus fidei definienda; Sicut Prophetis Apoſtoliſque ad aliorum directionem ſuggeſsit. Nam qui dixit, *Mittam vobis à Patre Spiritum veritatis,* dixit etiam ſe *ædificaturum Eccleſiam ſuam ſupra petram, & portas inferi non præualituras aduerſus eam.* Itemq;, *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſq; ad conſummationem ſeculi.*

1. Timoth. 3. 15.

Num. 11. 17. Moſes & Senatus Seniorum hanc Eccleſiam expreſſit. item Deut. 17. 9. Aggai 2. 12. Malach. 2. 7. alij deinceps Pontifices, & Ierem. 1. 7. Propheta. Ioan. 15. 16. Matth. 16. 18. Matth. 28. 20.

Sed vt neque illam fraudem tuam diſsimulem; cur diſiunctim ais, *ſupremum iudicium penes ſolam ſcripturam ſacram, ſiue Spiritum ſanctum clarè in ſcripturis loquentem eſſe?*

IV. Neſcis quid de hac machinâ veſtrâ nouè excogitatâ, ſcripſerit Iacobus Gordonus Huntlęus Scotus? cuius illa ſunt: *Aduerſarij in principio mordicùs defendebant, ſacram ſcripturã ſolam, iudicem eſſe omnium controuerſiarum, quæ circa fidei dogmata oriuntur: Sed poſteà cùm illis obijceretur, idem omninò eſſe ſcripturam iudicare, quòd ſcripturam audire, loqui, viuere. Nam iudicare, hæc omnia in ſe continet: Item, Nihil magis a ratione alienum eſſe, quàm dicere, Iudicem omnium controuerſiarum, nec audire, nec loqui, ſed ne viuere quidem. Iam mutatâ ſententiâ, ſolent dicere, Scripturam impropriè dici Iudicem, & propriè ſolum Spiritum ſanctum eſſe Iudicem. Atque ita cùm impropriam locutionem tot annis defenderint, nunc tandem confugiunt ad Spiritum ſanctum, de quo nemo dubitat, quin ſit ſupremus Iudex omnium.*

Iac. Gordon. Huntlæus in epitom. Controuerſ. Controuerſia 1. cap. 20.

Iudicium Eccleſiæ eſt iudicium Spiritûs ſancti.

Sed illud debuiſſent adiungere, Spiritum ſanctum hoc tempore nemini

immediatè loqui, ſed ſolummodò mediatè per os Eccleſiæ, proinde qui Eccleſiæ iudicium ſpernit, etiam Chriſti & Spiritûs ſancti iudicium ſpernit (qui
Luc. 10. ℣. 16. *vos ſpernit,* inquit Chriſtus *me ſpernit) ſed neq; per ſcripturam loquitur Spiritus ſanctus, niſi illa rectè intelligatur, quod fieri non poteſt, niſi amplectamur interpretationem vniuerſalis Eccleſiæ.*

CAPVT XVIII.

SCRIPTVRAS QVAS APOSTATA PRO SE TORQVET, E DIAMETRO CONTRA APOSTATAM EIVSQVE IVDICEM MILITARE.

Aran. pag 64. Quomodo Eccleſiæ iudicium ſcripturæ ſacræ ſit alligatum?

SED ais, *Eccleſiæ iudicium ſcripturæ ſacræ alligatum eſt.* Alligatum eſt tanquam normæ inadæquatæ, non tanquam iudici; alligatum eſt, vt nihil contra ſcripturam ſacram pronunciare audeat; nequaquam autem alligatum eſt, vt nihil audeat pronunciare, niſi quod exertè in ſcripturâ expreſſum reperit. Hoc enim non eſſet Iudicem, ſed lectorem duntaxat agere. Sicut ergo iudex Politicus non ſolùm legibus ſcriptis, ſed etiam conſuetudini alicuius communitatis, itemque æquitati & vniuerſim iuſtitiæ alligatus eſt in iudicãdo; ita veritati diuinæ & Spiritui ſancto, qui non ſolùm per ſcripturas, ſed etiam per traditiones, & per os Prophetarum Eccleſiæque loquitur, alligatum eſt iudicium Eccleſiæ. Per quod iudicium ipſa vinculum, quod cum ſcripturâ ſacrâ habet, nequaquam rumpit; aliud eſt enim aliquid pronunciare, quod non eſt in Scripturâ ſacrâ; aliud pronunciare quod eſt contra ſcripturam ſacram, Illud Eccleſia auctoritate ſibi à Chriſto traditâ facit, hoc non facit; nequit enim columna veritatis ſubuertere veritatem.

An Eccleſia rumpat vinculum ſcripturæ? *Aran. ibid.*

Quare litteram in fronte meretur illa tua calumnia, Eccleſiam tam iniurioſè inuidioſeque onerans, dum ais: *Quæ hoc vinculum rumpit, & ſibi quidquid dicit, herili imperio credi vult, eius*

Eccle-

Eccleſiæ tribunal detrectamus. Rebellis eſt iſta veſtra detrectatio, calumnioſa accuſatio. Non Eccleſia, ſed vos hæretici vinculũ Scripturæ rumpitis. Nam ſcriptura vos mittit atque alligat ad Eccleſiam audiendam, eamque non *berili imperio*, ſed maternâ poteſtate vtentem. Hoc vinculum rumpitis, & voſmetipſos veſtræ cauſæ ineptos iudices conſtituitis, dum inter legem & iudicem non diſtinguitis. *Matth.* 18.

Nec multò aliud eſt, quod ſubiungis his verbis. *Vinculum hoc ipſa ſcripturæ loca ab Aduerſario producta Eccleſiæ inijciunt. Nónne Deuteron. 17. additur?* Facies, quodcunque dixerint, qui præſunt loco, quem elegit Dominus, & docuerint te, iuxta legem eius, ſequerîſque ſententiam eorum. *Nota, Stengeli, verba hæc,* IVXTA LEGEM EIVS. *Talem Eccleſiam, quæ nihil dicat, aut doceat nos, niſi iuxta legem Domini, adire & audire non renuimus.* *Loc. cit. Arũ.* *Deut.* 17.10.

Obſecro, Lutherani, incredibilem hîc mihi Sophiſtam, de corio, immò de æternâ veſtrâ ſalute palàm ludentem animaduertite. Cur ſcriptura mittit litigantes ad Eccleſiam? nónne vt Eccleſia iudicet? Quo pacto autem Eccleſia rectum ferre iudicium poteſt? nónne ſi legem, ſi regulam, ſi normam rectam ſequatur? Eſto ergo Eccleſia legem Dei ſeu ſcriptam ſeu traditam tanquam normam ſequi debeat: Ergóne ipſa lex, ſeu norma Iudex fiet? Quis hoc dicat? Nónne & Politici Iudices etiam ſupremi IVXTA LEGEM iudicant? Quis tamen dicat, non ipſos, ſed legem eſſe iudicem? Aliud eſt ergo IVXTA LEGEM tanquam normam, aliud tanquam iudicem iudicare. De iudice nos quærimus & diſputamus, Iacobus aliquid de normâ affert, vt de iudice fallat. Satis ſuprà oſtenſum eſt, ſcripturam non eſſe Iudicem, ſed normam, id eſt, aliquid, ſecundùm quod Iudex ſententiam ferre poſſit. Et diligenter aduerte, Lector, verba quæ mox ſubijciuntur, quàm clarè ſenſum Apoſtatæ damnent: *Qui autem ſuperbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, ex decreto* IVDICIS, *morietur homo ille.* Nónne hîc ſcriptura ipſum Sacerdotem Iudicem vocat? nónne perſpicuè ait, morte moriturum eum, qui decreto huius Iudicis non obedierit? non ait, qui de-

Sophiſma Apoſtaticum.

An iuxta legem iudicare ſit iudicem non eſſe.

Deut. 17.℣.12.

decreto ſcripturæ non obedierit, id enim per ſe clarum erat. Quare ſcriptura non ſeipſam, ſed Sacerdotem, & in eo Eccleſiam pro iudice agnoſcit, & ab alijs agnoſci cupit. Itaque ſi de tali iudice agamus, quænam Eccleſia *nihil dicit aut docet niſi iuxta legem Domini*, Lutherana, an Catholica? Item ſi hoc loco ſcriptura ad ſcientiam & interpretationem Sacerdotum reſpicit, in quânam Eccleſia putas eſſe illam ſcientiam & interpretationem ſcripturarũ? Adde quòd cùm dicitur: *Facies, quodcunque dixerint, qui præſunt loco, quem elegit Dominus, & docuerint te,* IVXTA *legem eius*, non ſit ſenſus, teſte Cornelio, *quaſi hac conditione, acquieſcendum ſit Sacerdotum iudicio, ſi videlicet illud litiganti, vel alteri cuipiam videatur, eſſe iuxta legem Dei: ita enim fruſtraneum & euanidum eſſet hoc eorum iudicium, fruſtraq́ ad eos recurri iuberet Deus. Semper enim pars damnata à Sacerdotibus excipere potuiſſet, eos non iudicaſſe ſecundum legem, ab eiſq́ appellâſſet ad ipſam legem, ac conſequenter debuiſſet vlterior conſtitui iudex, & cenſor, qui iudicaret, an Sacerdotes rectè ſecundùm legem iudicâſſent, nécne. Rurſum, de hoc cenſore dubitari potuiſſet, an veram tuliſſet cenſuram, ac conſequenter illa ab alio iterum, & hæc rurſum ab alio, & hæc denuò ab alio & alio examinari debuiſſet: itaq́ fuiſſet hîc appellatio, & progreſſio in infinitum, cauſæq́ manſiſſent indeciſæ, ac lites fuiſſent æternæ & immortales.*

An Sacerdotis ſententia examinanda fuerit eſſétne iuxta legem pronunciata. *Cornel. de Lapide in Deut. 17. 10.*

Aſſertiuè ergo hæc verba accipienda ſunt, quaſi dicat, ſubditi acquieſcere debent, & præſupponere, Sacerdotum & Pontificis iudicium, datum eſſe iuxta legem Dei. nam, vt ait Malachias cap. 2. v. 7. Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore eius: quia Angelus Domini exercituum eſt. *intellige, niſi manifeſtè cernatur contrarium, ſcilicet quòd Pontifex expreſſè contra legem iudicet, legemq́ peruertat: tum enim non illi, ſed legi Dei obediendum erat. patet hic ſenſus ex Hebr. Chald. & Septuag. qui ſic habent*: Facies quod docuerint ad os legis (*id eſt iuxta legem, ex lege*) quam docuerint te, & iuxta iudicium, quod dixerint tibi, facies. Atque vt iuxta legem iudicium tantò certius eſſet, illa à Concilio Tridentino cautela eſt adhibita ſeſſ. 4. *Præterea, ad coërcenda petulantia ingenia, decernit, vt nemo, ſuæ prouidentiæ innixus, in rebus fidei, & morum, ad ædificationem doctrinæ Chriſtianæ pertinentium, ſacram ſcripturam ad*

ſuos

ſuos ſenſus contorquens, contra eum ſenſum quem tenuit & tenet ſancta mater Eccleſia, cuius eſt iudicare de vero ſenſu, & interpretatione ſcripturarum ſanctarum, aut etiam contra vnanimem conſenſum Patrum, ipſam ſcripturam ſacram interpretari audeat, etiamſi huiuſmodi interpretationes nullo vnquam tempore in lucem edendæ forent. Qui contra venerint, per ordinarios declarentur, & pœnis à iure ſtatutis puniantur.

Quanquam longè magis Caietani interpretatio tineam iſtam obterat; accipit enim ea Deuteronomij verba, quaſi per illa in ambiguis lex ad oraculum Dei in propitiatorio reſidentis mittat. Nec obſcurus eſt ſenſus ille, non tam quòd iudicantes eo loco iubeantur IVXTA LEGEM docere (quem tamen ſenſum non improbo) quàm quòd litigantes IVXTA LEGEM iubeantur *facere, quodcunque dixerint, & docuerint, qui præſunt loco,* &c. Iuxta legem, variè capi poteſt.

Verba ipſa inſpice: *Si difficile & ambiguum apud te iudicium eſſe perſpexeris inter ſanguinem & ſanguinem, cauſam & cauſam, lepram & lepram: & iudicum intra portas tuas videris verba variari: ſurge, & aſcende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus. Venieſq; ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem qui fuerit illo tempore: quæreſq; ab eis, qui indicabunt tibi iudicij veritatem. Et facies quodcunque dixerint, qui præſunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te, iuxta legem eius; ſequeriſq; ſententiam eorum, nec declinabis ad dexteram neque ad ſiniſtram.* *Deuter.* 17.8.

Nota, Iacobe, verba, quæ tu omiſiſti, denuò te deuorant: hoc ipſo, quia ſuperbitis, & ſummi *Sacerdotis iudicioq; imperio obedire non vultis*, quaſi *herile imperium* detrectantes, *moriemini*. IVXTA LEGEM enim iſtam obedire eius decreto cogimini, non vtique falſo: alioqui enim ipſa veritas ei in negotio fidei ac religionis, ſub pœnâ mortis, acquieſcere non iuberet.

Qui ſenſus confirmatur ex eo, quòd ſæpe, ſi rem ambiguam Pontifices neque ex lege, neque ex ſcientiâ ſuâ decidere potuerunt, ipsâ lege iubente, aliò recurrerint, & oraculũ Dei conſuluerint. *Si quid agendum erit,* inquit Scriptura, *Eleazar Sacerdos conſulet Dominum* (non Scripturam) *Ad verbum eius egredietur & ingredietur ipſe & omnes filij Iſrael cum eo, & cetera multitudo,* An iudices ſemper recurrerint ad ſcripturam? *Num.* 17.21.

tudo. Vbi vtiq; non ſcriptura, ſed Sacerdos ſeu Pontifex; tanquam ſupremus in terris iudex ab ipſo Spiritu ſancto edoctus proponitur. Nec Scripturam, ſed ipſum hunc ſummum ſacerdotem Iudæi tanquam iudicem agnouerunt: Ioſephi contra Apionem verba ſunt. *Pontifex ante alios Sacerdotes Deo ſacrificat, leges cuſtodit, DIIVDICAT CONTROVERSIAS, conuictos delicti punit, cui qui non obedit, is pœnas luit, tanquam in Deum impius.* Atque alij etiam minorum gentium iudices non vtique ſemper è ſcripturâ iudicauerunt: cùm ſæpe ipſum ſenſum obſcuriùs loquentis ſcripturæ ex ſcripturâ haurire non potuerint, ſed à Spiritu ſancto inſpirati ſententiam pronunciârint. Quam ob cauſſam legimus Septuaginta ſeniores, qui à Moſe electi ſunt, in ipſâ electione ſpiritum prophetiæ accepiſſe. *Cúmq; requieuiſſet in eis Spiritus, prophetauerunt, nec vltrà ceſſauerunt.*

Ioſeph. lib. 2. contr. Apion. Ipſos Sacerdotes fuiſſe iudices controuerſiarum.

Num. 11. 25.

Ac ſanè ſi controuerſiæ ex ipſâ lege non benè intellectâ fuerunt ortæ, vtique per interpretationem legis erant componendæ. Ille ergo eos componebat tanquam Iudex, qui legem verè interpretabatur. Lex ſeipſam non interpretatur, ſed Pontifex. Quare non lex ipſa, ſed legis interpres Pontifex à Spiritu S. adiutus, ſupremus iudex habebatur.

Hæretici ſcripturam legentes ſimiles iis qui in ſpeculo omnia inuerſa vident.

T. Lucret. lib. 4.

Temerè igitur viſus eſt ſibi Apoſtata ex eâ ipſâ ſcripturâ, quæ pro nobis loquitur, aliquid contra nos oſtendiſſe; quia hæretico oculo ſcripturam legit, oculo ſcilicet omnia inuertente. Quo pacto

Nunc ea, quæ nobis membrorum dextera pars eſt,
In ſpeculis, fit vt in læuâ videatur, eò quòd
Planitiem ad ſpeculi veniens, cùm offendit imago,
Non conuertitur incolumis: ſed recta retrorſum
Sic eliditur, vt ſi quis priùs, arida quàm ſit,
Creſſam perſonam allidat pilæuè, trabíue:
Atque ea continuò rectam ſi in fronte figuram
Seruet, & eliſam retrò ſeſe exprimat ipſa:
Fiet, vt antè oculus fuerit qui dexter, hic idem
Nunc ſit læuus, & è læuo ſit mutua dexter.

Sacerdotes, etiam Ioſa-

Ad eundem modum inuertit Apoſtata alterum illum à

Digitized by Google

me productum locum, quem tanquam Sphinx aliqua itidem ambiguè perſtringit. Ait enim. *Nec cenſendus eſt pius Ioſaphat in altero loco de aliâ Sacerdotum poteſtate, quàm de illâ, quam Dominus in lege ſcriptâ dedit, loqui.* Eſto de aliâ non loqueretur, loquitur tamen de iudicandi poteſtate, deque eâ, quæ ipſos ſacerdotes, non quæ ſcripturam iudicem facit. Ita enim de Ioſaphat loquitur, ſcriptura: *Conſtituitq́; iudices terræ in cunctis ciuitatibus Iuda munitis per ſingula loca, & præcipiens iudicibus, Videte, ait, quid faciatis: non enim hominis exercetis iudicium, ſed Domini, & quodcunque iudicaueritis, in vos redundabit. Sit timor Domini vobiſcum, & cum diligentiâ cuncta facite: non eſt enim apud Dominum Deum noſtrum iniquitas, nec perſonarum acceptio, nec cupido munerum. In Ieruſalem quoq; conſtituit Ioſaphat Leuitas, & Sacerdotes, & Principes familiarum ex Iſrael, vt iudicium & cauſam Domini iudicarent habitatoribus eius. Præcepitq́; eis, dicens: Sic agetis in timore Domini fideliter & corde perfecto. omnem cauſam, quæ venerit ad vos, fratrum veſtrorum, qui habitant in vrbibus ſuis inter cognationem & cognationem, vbicunq; quæſtio eſt de lege, de mandato, de ceremonijs, de iuſtificationibus: oſtendite eis, vt non peccent in Dominum, & ne veniat ira ſuper vos & ſuper fratres veſtros: ſic ergo agentes non peccabitis. Amarias autem Sacerdos & Pontifex veſter, in his, quæ ad Deum pertinent, præſidebit.*

Ioſaphat teſte, ſunt iudices controuerſiarum.

Aran. pag. 64.

2. Paralip. 19. 5. & ſex ſeqq.

Quis Sol in cœlo ita lucet, vt hæc verba ipſos ſacerdotes pro iudice agnoſcentia? Qui *iudicat*: qui *iudicium exercet*: qui *iudicium & cauſſam Domini iudicat*; ad quem *quæſtio de lege, de mandato, de ceremoniis, de iuſtificationibus venit*; qui litigantibus *oſtendere* ex officio & munere ſuo tenetur, *vt non peccent in Dominum*: denique qui *in his, quæ ad Deum pertinent, præſidere* à pio rege Ioſaphat iubetur: is iudex eſt. At ſcriptura hæc facere non iubetur, ſed ſacerdotes. Ergo pius rex Ioſaphat cenſendus eſt non ſcripturam, ſed ſacerdotes pro iudice habuiſſe, & quidem Amariam Pontificem pro ſummo iudice ac prę̄ſide Concilij Seniorum, etiam in cōtrouerſijs fidei ac religionis. Quid enim magis ad Deum pertinet, quàm fides & religio? Ille autem *in his, quæ ad Deum pertinent, præſidere* iubetur. Præterquam quòd *Vbicunq; quæſtio de lege, de mandato, de ceremonijs, de iuſtificationibus*

Digitized by Google

oriebatur, ſi alibi decîdi non poterat, ad Pontificem tandem ſit deuoluta. Præter has autem nulla erat alia quæſtio. Quare nulla prorſus quæſtio, adeóq; nec fidei aut religionis à Pôtificis iuriſdictione erat exempta. Verberari ergo te, Iacobe, pius Ioſaphat iubet. Tuum nunc eſt, imitari illum in Comœdiâ veteri, qui verbera ſibi procuranti, dixit,

Plaut. milit. Glor.

Dij tibi benè faciant ſemper, cùm aduocatus mihi benè es.

Aran. cap 8. pag. 64.

Malach. 2. 7.

Apoſtata iterum nigrum ex albo colligit, & ex melle venenum. Apoſtotæ à Malachia aures ad audiêdam Eccleſiã alligantur.

Nec aliud à Malachiâ & ipſo Chriſto, quàm à Ioſaphat reportabis. Ita meritus es illis tuis logis. *Propheta Malachias arctè profectò ad legem Domini Sacerdotis os alligat, cùm ait*; Legem ex ore eius requirent. *Habet fidelis quod requirat, & Sacerdos quod reddat Legem, legem, non neſcio quas traditiunculas. Nec aliter denique Chriſtus illis, qui Eccleſiam non audiunt, grauem ignominiam comminatur, quàm cùm Eccleſiam ſacris ſcripturis conſentanea docentem non audiunt.*

Pulcherrima conſequentia, Malachias dicit, *Legem ex ore* Sacerdotis *requirent*: Ergo Sacerdos non eſt iudex. Contrariũ, ô Logice, colligere debebas. Is enim pro iudice agnoſcitur, ex cuius *ore lex* ſeu ſenſus & interpretatio legis *requiritur.* Deinde nec illa melior eſt conſequentia: *Legem, legem ex ore Sacerdotis requirent*: Ergo *non neſcio quas traditiunculas*: quaſi nô & traditiones lex quædam ſint, quam cuſtodire Sacerdotes, & idcircò ex ore eorum requiri indicent ſcripturæ. Tradebat, non ſcribebat legem Petrus cum diceret: *Viri fratres, vos ſcitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit, per os meum audire Gentes verbum Euangelij* (ſeu legem Euangelij etiam nondum ſcripti) *& credere.* Ac niſi olim quoque præter ſcriptam legem, legem etiam traditam *ex ore Sacerdotis requiſiuerunt*, vnde ſciebant Iudæi, omnes & ſingulos libros, qui in canone eorum conſignabantur, eſſe verè diuinos, niſi ex Traditione? vnde ſciebant cruentis illis ſuis ſacrificijs ſignificari mortem Chriſti, niſi ex Traditione? Quæ cùm diuinâ fide crediderint, & tamen è ſcriptâ lege non hauſerint, traditâ illis lege opus ſuit.

Act. 15. 7.

Quantus apud Iudæos traditionum vſus?

Immò etiam in ijs rebus, quæ erant ſcriptæ, magis vſi ſunt Iudæi Traditione, quàm ſcripturâ, & quidem iubente Deo, atque ad Traditionem potiùs, quàm ad ſcripturam eos mittente,

tente, vt apparet ex illis: *Narrabis filio tuo in die illo, dicens: Hoc eſt quod fecit mihi Dominus.* Et rurſus. *Interroga patrem tuum, & annunciabit tibi; Maiores tuos & dicent tibi.* Alibi. *Vbi ſunt mirabilia eius; quæ narrauerunt Patres noſtri atque dixerunt: de Ægypto eduxit nos Dominus.* Et in Pſalmo: *Deus auribus noſtris audiuimus, Patres noſtri annunciauerunt nobis opus, quod operatus es in diebus eorum & in diebus antiquis.* Ac rurſum in alio. *Quanta mandauit Patribus noſtris, nota facere ea filijs ſuis, vt cognoſcat generatio altera. Filij qui naſcentur, & exurgent, & narrabunt filijs ſuis.* Audi, Iacobe Prædicans, quid fideles requirere ex ore maiorum ſacerdotumque iubeantur? Traditiones, traditiones, & in traditionibus legem. Quamobrem Apoſtaticâ & non Catholicâ fide clauſulam illam addidiſti: *Habet fidelis, quod requirat, & Sacerdos, quod reddat. Legem, legem, non neſcio quas traditiunculas.* Cùm enim & Traditiones lex ſint, hoc ipſo, quia fidelis legem ex ore Sacerdotis requirere iubetur, iubetur requirere etiam Traditiones. Itaque de apertè contrario ſcripturæ ſenſu tu, Iacobe, denuò apertè alium contrarium aſtruere non erubuiſti, contentus tuos lectores vnius voculæ *legis* (quaſi ſola lex ſcripta lex eſſet) deceptione ſaginare.

Exod. 13. 8.
Deuter. 32. 7.
Iud. 6. 13.
Pſal. 43.
Pſal. 77. 5.

Malè Apoſtata os Sacerdotis ad legem ſolum ſcriptam alligatũ clamat. Nam niſi per legem, ſolam legem ſcriptã intelligit, nihil agit. Imò & ſic nihil agit.

Bellus etiam es deceptor, & ſupra omnem Epeum magnus doli artifex, cùm ad illud; *Dic Eccleſiæ.* Item: *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus,* reſpondes: *Nec aliter denique Chriſtus illis, qui Eccleſiam non audiunt, grauem ignominiam comminatur, quàm cùm Eccleſiam ſacris ſcripturis conſentanea docentem non audiunt.* Quid enim *per ſcripturis conſentanea* intelligis? an ea, quæ in ipſis ſcripturis iam deciſa habentur? an quæ ſcripta deciſaque non ſunt? Si quæ ſcripta deciſaque non ſunt: Ergo habemus, quod quæſiuimus, ad Eccleſiam nos à Chriſto remitti; eò quòd ſcriptura non ſit vniuerſalis norma & iudex in omnibus rebus fidei controuerſis.

Chriſti verba quàm callide explicet Apoſtata ne deprehendatur.
Matth. 18.
Aran. pag 64.
Eccleſia tanquam iudex audienda, etiam in ijs quæ ſcripta non ſunt.

Sin autem dicis Eccleſiam audiendam, cùm docet *ſcripturis conſentanea*, hoc eſt ea, quæ in ipſis ſcripturis iam deciſa declarataque ſunt: Ergo cùm Chriſtus ad Eccleſiam nos remittit, ad ſcripturam remittit: & cùm ait; *Dic Eccleſiæ*, idem eſt, ac ſi dicat, *Dic ſcripturæ*; itemque quando ait, *ſi Eccleſiam non audierit*, ait,

Digitized by Google

ſi ſcripturam non audierit. Quod quàm ſit abſurdum, quis non videt? cùm aliud ſit Eccleſia, aliud ſcriptura.

Quomodo Apoſtoli cõtrouerſias deciderint.

Itaque impos ſui & exenſis eſt, qui non intelligit dicto loco Chriſtum eam Eccleſiæ auctoritatem tribuiſſe, vti eius iudicio ſententiæque ſtandum ſit, etiam cùm aliquid decernit, quod in ſcripturâ expreſsè non reperit, aut ſaltem ex ſcripturâ non decernit. Exorta fortè erat controuerſia de circumciſione, Paulo & Barnabâ affirmantibus, ad ſalutem Chriſtianis opus non eſſe circumciſione & legalium obſeruatione; alijs autem contrarium obtinere conantibus. Quid tunc factum? ad quem iudicem ventum? an ad ſcripturam? Imò ad Eccleſiam. Et mirum dictu. Paulum & Barnabam cùm ambo eſſent, & Apoſtoli, & Prophetæ, & Doctores, amboque à ſpiritu ſancto peculiariter ad docendum delecti, potuiſſe hanc de circumciſione, ceremonijs legis Moſaicę quæſtionem ſufficientiſsimè componere, & tamen id facere noluiſſe, ſed potiùs Hieroſolymam profectos eſſe, ad reſponſionem ex ſolenni Concilio reportandam. Nempe vel ſui exempli documentum dederunt, eiuſcemodi quæſtiones ad fidem religionemque pertinentes, ordinarijs Eccleſiæ Prælatis, vel Concilijs Prælatorum eſſe deferendas.

Act. 15. 1.

Act. 13. 12. Apoſtoli pluris fecerunt concilia, quã hæretici.

Act. 15. 2.

Factâ ergo ſeditione non minimâ Paulo & Barnabæ aduerſus illos, ſtatuerunt, vt aſcenderent Paulus & Barnabas, & quidam alij ex alijs AD APOSTOLOS ET PRESBYTEROS *in Ieruſalem ſuper hac quæſtione.* Si Lutherani ibi aut Caluiniſtæ interfuiſſent, non eos *ad Apoſtolos & Presbyteros in Ieruſalem*, ſed ad ſolam ſcripturam miſiſſent; dictitantes, *ſcripturam habemus, omnia habemus.* Itemque, *ſupremum iudicium penes ſolam ſcripturam ſacram, ſiue Spiritum ſanctum clarè in ſcripturis loquentem, non penes Eccleſiam eſſe aſſerimus.*

Apoſtat. Arã. pag. 63.

Act. 15. 6. *De huius Synodi emolumentis vide Maximil. Sandei conſiderationes.*

Nimirum aliter Apoſtoli, aliter hæretici ſapiunt. Hæretici ſcripturam, Apoſtoli Eccleſiam pro iudice agnoſcunt. *Conuenerúntque Apoſtoli & Seniores videre de verbo hoc.* At quo modo conuenerunt? An ſicut Lutherani, vel ſicut *Remonſtrantes* & *Contra-Remonſtrantes* nuper in Synodo Dordrechtanâ? An de ſcripturâ, ſcripturæque ſenſu litigârunt, nullumque alium eiuſce

rei iudicem niſi ſcripturam admiſerunt? Nequaquam. At potuiſſet tamen vna pars pro circumciſione ſeruandâ illud de circumciſione dictum afferre; *Erítque pactum meum in carne veſtrâ in fœdus æternum.* itaque referre: *Si in fœdus æternum*, Ergo etiam tempore Euangelij ſeruandum eſt hoc pactum. Si *tam vernaculus, quàm emptitius* circumcidi iubetur, *& quicunque non fuerit de ſtirpe veſtrâ*, Ergo non ſolùm Iudæi, ſed & Gentiles ad Chriſtum tranſeuntes. *Gen.17.10. ſeqq.*

E diuerſo altera pars ex aliâ ſcripturâ probare potuiſſet, ſe circumcidi non oportere: Dicit enim ſcriptura: *Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum, & cor ſeminis tui:* Ergo ſcriptura indicat, circumciſioni carnis, circumciſionem cordis ſucceſſuram. *Deut.30.6.*

Hæc talia vltrò citroque iactare Apoſtoli debuiſſent, ſi genium Caluiniſticum aut Lutheranum habuiſſent. Nunc quoniam Catholicis potiùs exemplum imitandi præbuerunt, nihil horum egerunt. Igitur in eâ totâ controuerſiâ definiendâ nullum ſcripturę teſtimonium, quod directè circumciſionem ſpectaret, attulerunt; ſed ex directione Spiritûs ſancti, aſsiſtētiaque diuinâ, quam Chriſtus illis eorumque Succeſſoribus promiſerat, Romanæ hodiernæ Catholicæque Eccleſiæ more ſententiam pronunciauerunt; Petro primùm tanquam capite Concilij, tum Iacobo alijſq; quod ſentirent, dicentibus. Apoſtoli cōtrouerſiam non è ſcripturâ deciderūt.

Enimuerò cùm decretum ſuum etiam conceptis verbis ad gentiles Chriſtianos mitterent, non ſcripſerunt: *Viſum eſt ſoli ſcripturæ*, nec, *Viſum eſt Spiritui ſancto clarè in ſcripturis loquenti:* ſed, *Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis, nihil vltrà imponere vobis oneris, quàm hæc* NECESSARIA (Nota Iacobe *neceſſaria*, non *libera*) *vt abſtineatis vos ab immolatis ſimulachrorum, & ſanguine. & ſuffocato, &* FORNICATIONE. Quod iterum diligenter nota, Iacobe. Si ad te, aut ad Lutheranos tuos perueniſſet illa Epiſtola, nouas controuerſias excitâſſetis. Siquidem è *ſolâ ſcripturâ*, immò *à ſolâ*, decîdi litem tantam voluiſſetis; etiam Apoſtolis *os ad legem* ſcriptam, *alligantes*. *Act.15.28.*

Ad finem Diſſertationem tuam de Eccleſiâ citas. Rectè *Aran.pag.64.* Apoſtata ea

Digitized by Google

quæ refutata ſunt, tanquã integra iactat, & non defendit.

ciſſes, ſi & vulpeculam Tubingenſem citâſſes, in quâ meliùs inuenirentur, quæ tu coxiſti. Siquidem diſſertationem illam tuam de Eccleſiâ, Vulpecula Tubingenſis totam deuorauit. Ad quam vulpeculam, iamdudùm expectatur tua reſponſio, ſicut & ad illa, quæ pro Eccleſiâ & contra alias quaſdam tuas nugas tibi obieci in Reuocatione ſecundâ. Sed expectatur duntaxat, nempe à debitore, qui non ſoluendo. Quare non mirantur Catholici te ſilere, quem ſciunt ſolidè reſpondere non poſſe. Præſtat tacere, quàm loquendo cauſam deſtruere. Maiore titulo Lutherani mirati ſunt, nos in tuos Araneos non illicò inſurrexiſſe, qui tam facili negotio diſturbari potuiſſent. Sed differendus aliquantulùm fuiſti. Maior eſt vindemia, ſi maturitas fructuum autumnitaſq; expectetur.

Reuocat. ſecund. cap. 3. 4. 5. & 6.

CAPVT XIX.

APOSTATA IN NOVO MENDACIO DISSIMVLATIONEQVE EORVM, QVAE EVM CLARE VRGEBANT, DEPREHENSVS, ET REPREHENSVS.

EXplicata ſunt ſatis confirmataque ea, quæ contra hæreticorum doctrinam attuleramus, argumenta. Cætera, quæ reſtant, minoris ſunt momenti. Nam reſponſionibus reſponſionum, velut pilâ ludunt Lutherani; idq; multis tandem verbis efficiunt, vt nihil reſpondiſſe videantur.

Argenti viui deſcriptio.

Similes proinde argento viuo, quod colore argentum refert, argentum tamen non eſt; motu vitam indicat, nec tamen viuit. Quippe ſtare loco neſcit, micat, tremit, tanquam ſi ſenſu præditum eſſet, nec tamen ſentit. Neque vt alia metalla vi caloreque ignis liquidum fit, ſed ſuâpte natura tale eſt. Et nihilominus grauius eſt ferè omnibus natura duris ac cõſiſtentibus metallis. Quo fit, vt in eo penè omnia iñatent. Deniq; frequens

Digitized by Google

quens medicorum opinio venenum eſſe iudicat. Quos ſecutus Ioannes Baptiſta Montanus clari nominis æuo ſuo medicus, curationes illas omnes, quæ argento viuo fiunt, improbat, eò quòd nunquam veræ ſint, hoc eſt, quòd nunquam verè ſanent, ſed fucatè tantùm, & vt ita dicam, apparenter. Hancque eſſe cauſam ait, cur nihil de eo ſcripſerit Hippocrates, & eo iunior Galenus.

O Tubinga quondam Catholica, aliã morbis tuis medicinam admoue! *Argentum tuum verſum eſt in ſcoriam*, immò in venenum. Subinde dicta ſcriptaque ſeductorum tuorum de diuinis ſcripturis ſplendent, quaſi ſint argentea. Sed cur colore deciperis? Lucent & conchæ quaſi ſint argentum, ſed conchæ ſunt. Quin &, tineæ ipſæ in argentum candicant, inanis tamen eſt ille ſplendor. Currit argentum fuſile, & celeri motu locum rapit, quaſi animatum eſſet, nihil tamen animæ illi ineſt. Immò & alios exanimare nouit. Talis eſt nunc doctrina tua, ô clara olim Tubinga. Tales Prædicantes tui. Vitam eripiunt, dum promittunt. Nihil in illis ſtabile; nihil ſolidum; voluptate & vanitate toti diffluunt. Neque ad veritatis ignem liqueſcere poſſunt. Naturâ ſuâ ſunt molles. Ad extremum cùm nunquam verè, ſed aliquando fucatè duntaxat & apparenter aliqua ſibi ab alijs obiecta ſanent, nihil tamen illis eſt grauius: neque ipſi auro cedunt aut aureæ veritati. Cùm nihil reſpondere poſſunt, barbam mulcent, & ſuperciliosiſsimè reſpirant, tandemque dicunt nihil reſponſione dignum contra ſeſe eſſe allatum.

Argenti viui cum Prædicantibus cõparatio.

Iſa. 1. 22.

Exemplum huiuſce rei clariſsimum eſt Apoſtaticus Prædicans, qui cùm ad pauciora; minoremque capitis octaui partem, eo modo, quo declaratum eſt, trepidè, obſcurè, ambiguè, & inconſtanter reſpondiſſet, addit: *Reliqua, quæ Stengelius capite octauo pro ſuis traditionibus aduerſus me garrit, nullam argumenti vim habent, nec reſponſum merentur, niſi quod Paulinam illam ſententiam adducit, Fratres, ſtate, & tenete traditiones, quas didiciſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam noſtram. &c.*

*Aran.pag.*64.

2.*Theſſal.*2.15.

O argentum viuum! quod eas noxas, quas natiuus calor ad

ad externas pellit partes, ſuâ frigiditate cogit ad intimas, & ſuperficie tenus ſanat. Nam vtique, ſi *reliqua* illa mea *nullam argumenti vim habent, nec reſponſum mereri* videntur, ſuperficiem ſanâſti, cor venenâſti. Nam recurrente in intimas Lutheranorum fibras animoſque eo, quod ibi dixi, cogit eos cogitare, te reſpondere non poſſe. Videamus num argumenti vim habeant nécne, quæ argumenta tua ſtirpitùs euertunt, ſeu reſponſa ſeu argumenta mea. Nam & in reſponſis ſæpe argumenti vis ineſt: & quæ ſi vel maximè deeſſet, tamen reſponſa ipſa tam diſsimulanter, tamque tacito pede tranſiri non debuiſſent. Tantò faciliùs euerti poſſunt, ſi vim argumenti non habent. Quòd ſi tacitè prætereantur, ipsâ taciturnitate approbantur.

Diſſert. de Laq. cap. 8. pag. 30. Argumenti primi diſſimulati vis oſtenſa.

1. Itaque nónne *argumenti vim habet* illud, *ſi ſatis fuit te vulgatiſsima quædam in contrarium attuliſſe, vt Catholicorum argumenta à te diſſoluta & contrita dicerentur, etiam mihi ſatis erit hæc tuis viciſſim Laqueis oppoſuiſſe, vt eos diſrupiſſe dicar. Pari enim iure ſumus, nihil mihi iniquum cenſere debes, quod tibi ducis eſſe glorioſum.* Sed mihi hæc ſatis fuiſſe &c. non fateberis, Ergo nec tibi. Vel. Sed ſatis fuit tibi &c. Ergo & mihi. Diſrupi igitur tuas rupturas, vt vndique diruptus ſis, nec quidquam integrum ſit in te ampliùs. Nondum vim argumenti agnoſcis, te tantoperè dirumpentis?

Ibidem. Argumenti alterius vis declarata.

2. Nónne *vim argumenti habet* illud quod in retexendis Laqueis tuis dixi? *Si non ſolùm per ſcripturas, ſed etiam per traditiones à Chriſto Apoſtoliſq; ad nos peruenit verbum Dei, tunc etſi ſapientia, ſine quâ ad cœlum nemo it, ſolo Dei verbo nobis ſit reuelata, malè tamen dicitur per ſolam nobis ſcripturam eſſe reuelata: Atqui non ſolùm per ſcripturas, ſed etiam per traditiones à Chriſto Apoſtoliſq; ad nos peruenit verbum Dei, vt tu ipſe rectè contra Matthiam Hoë non admodùm pridem ſcripſiſti: Ergo, licet ſapientia illa, ſine quâ ad cœlum nemo it, ſolo Dei verbo nobis ſit reuelata, malè tamen dicitur, per ſolam nobis ſcripturam eſſe reuelata.* Nulláne hîc *vis argumenti*, Iacobe? & tamen hæc vis erat? O argentum viuum & mentiens! ô ceruſſata cutis! ô Lutherane popule! hiſne Iacobi tui reſponſis, immò reſponſorum vmbris paſci potes?

Iac. Reihing. contra Hoe art. 1. §. 1.

Si verum excutias, facies, non vxor amatur. — *Iuuenal. ſat. 6.*

3. Non-

3. Nónne *vim argumenti habet* & illud reſponſum meum: Malam conſequentiam facit, qui ex eo, quòd *libri Prophetici Apoſtoliciq́; ſint veri ſapientiæ libri*, concludit, *omne rectum iis doceri, omnemq́; errorem dedoceri, & ſolos eſſe certiſsimam ſacræ veritatis amuſsim.* At Iacobus ſic concludit: Ergo malam facit conſequentiam. Etiam hîc *nulla vis argumenti*, Iacobe? Iterùmne cum Eurydamo dentes tibi excuſſos abſorbes, vt ictum diſsimules? Non eſt hoc vulnus ſanare, ſed velare.

Differt. de Laqueis loc. cit.
Iterum alia vis argumenti patefacta.

4. Nónne *vim argumenti habet* & illud quoque; qui rectè dicit *in quibuſdam, immò in multis ſcripturam eſſe felix errorum antidotum*, non ideò etiam rectè infert, *ſolam* ſcripturam, eamque *in omnibus* eſſe felix antidotum. Sed Iacobus ſic infert: Ergo non rectè infert. Nullane & hîc vis, Iacobe? Immò in meo argumento vis, in tuo reſponſo fraus, quod cùm *ſupinum* animum in graui derelinqueret cæno,

Differt. de Laq. cap. 8. pag. 31.
Denuò vis argumenti ob oculos poſita.

Ferream vt ſoleam tenaci in voragine mula,

Catull. ad Coloniam. XVII.

in aſtu venire debuit. Antiqua hæc reſpondendi formula eſt apud victos. Declinant, quæ formidant. Quare & tu in compendio rurſus tranſiliens dixiſti: *Reliqua, quæ Stengelius capite octauo pro ſuis traditionibus aduerſus me garrit*, NVLLAM ARGVMENTI VIM HABENT, NEC RESPONSVM MERENTVR; ſicut pyrum ſcilicet illud à vulpe deſpretum, *nullam* ſaporis *vim habuit*, ac proinde *nec laborem* decutiendi merebatur. Facile eſt contemnere, quod non facile eſt acquirere.

CAPVT XX.

DE LOCO S. PAVLI PRO TRADITIONIBVS, QVAM SIT FIRMVS, QVAMQVE INFIRMA ET EXOLETA APOSTATAE AD EVM RESPONSIO?

LArgus alioquin Apoſtata eſt in fallendo, circa locum tamen D. Pauli pro Traditione loquentis parciùs fefellit. Nam cùm *reliqua quæ capite octauo pro Traditionibus aduerſus*

Aran. pag. 64.

uerſus eum dixeram, *nullam argumenti vim habere, nec reſponſum mereri* aſſeruiſſet; excepit hanc *Paulinam ſententiam*, & ea quæ ad *quædam Iſaiæ & Pauli teſtimonia contra traditiones prolata reſpondi.* Cùm enim dixiſſet; *Reliqua &c. nullam argumenti vim habent, nec reſponſum merentur*, ſtatim addidit: *NISI quòd Paulinam illam ſententiã adducit; Fratres, ſtate & tenete traditiones, quas didiciſtis ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam noſtram &c.* Rectè excepit hæc Apoſtata, quamuis enim & reliqua non neſciret *vim argumenti habere*, in his tamen eam ineſſe vim expertus eſt, vt non niſi extremæ impudentiæ fore animaduerteret, ſi itidem vt cætera eleuaret. Noluit igitur ita eruditionis famam omnem penitùs prodigere, vt ea *reſponſum non mereri* diceret, quæ doctiſsimi, antiquiſsimi, ſanctiſsimi ſuis argumentis digna cenſuerunt. Mox tamen, quaſi captâ pœnitudine, ad vim etiam huius argumenti negãdam ſe accingit. Sic enim infit.

2. Theſſ. 2. 14.

Aliqua vim argumenti habere concedit & negat Apoſtata.

Aran. pag. 65.

Locus Pauli ad Theſſalonicenſes nos ne tangit quidem, ne dum ferit: etſi in eo præcipuum omninò præſidium ſuarum traditionum collocant Papiſtæ. Cùm Paulus ad Theſſalonicenſes litteras daret, non ſanè totam Euangelicam doctrinam illis tradidit: nec verò tum aliæ Paulinæ epiſtolæ, aut libri noui Teſtamenti conſcripti vlli extabant, præter Matthæi Euangelium, quod ipſum tamen Irenæi calculo etiam poſterius fuit. Nos verò non negamus, ante cœptum, aut abſolutum ſcripturæ canonem, aliquod verbum Dei non ſcriptum, ſeu viuâ tantùm voce traditum fuiſſe: illud ſolùm contendimus, toto ſcripturæ canone perfectè conſtituto, nulla ſupereſſe dogmata, ad ſalutem neceſſaria, ſolâ voce ab Apoſtolis tradita, & ſacris litteris non commiſſa. Non igitur validum telum iacit, ſed inanem telam texit Stengelius, cùm ita colligit; Paulus cùm litteras Theſſalonicenſibus mitteret, præter illa, quæ litteris conſignauerat, ea quoque quæ vnicâ voce prædicauerat, nec ſcripſerat, iis commendauit; ergo ſcripturâ teſtamenti noui tot alijs litteris & libris auctâ, etiamnum multa ſunt à Chriſto & Apoſtolis neceſſaria ſaluti, dicta tantùm, & non ſcripta. Vana collectio. Antecedens Pauli: conſequens nullius, niſi mali Dialectici eſt. Eodem Pauli loco pro Traditionibus Papiſticis abutitur Simon, & ſimile Stengeliano argumentum ex illo nectit Forer, qui proinde Stengelij confutatione contenti erunt.

Immò

Digitized by Google

Immò mi Apoſtata, contenti non erunt, ſicut nec Stengelius. Das nobis verba, & contentos nos eſſe vis? promis mendacia, & credi tibi cupis? vendis furta, & emi petis? producis refutata, exoletaq́;, & pro recentibus agnoſci optas? Denique eos tantùm tua reſponſa lecturos exiſtimas, qui aliud nihil legerunt, quàm tua; eos, inquam, per quos *ſint omnia protinus alba*; cùm ipſi ſint albi. *Perſ. Sat. 1.*

Sed vide, quàm nigra ſit tua reſponſio, quotq́; plagis expoſita. 1. *Si locus Pauli ad Theſſalonicenſes vos ne tangit quidem, ne dũ ferit*; ſiq́; *non validum telum iacit, ſed inanem telam texit*, qui ex eo loco traditiones firmat ſtabilitq́ue, ergo tu quoque malus fuiſti iaculator *ne tangens quidem, nedum feriens, nec validum telum iecisti, ſed inanem telam texuiſti*, quando ipſe eum antehac locum vſurpare non dubitâſti, & quaſi Achillem in principio libri tui contra Hoë poſuiſti. Nempe omnia hæc nunc huc redeunt denique, iam primùm ſapere atque ſcire, quid rem tangat, cœpiſti. Antè puer eras, nec ſciebas, quid loquereris, cùm hoc conſequens inferres: quod cùm, te teſte, nullius, niſi mali Dialectici ſit, oportet te malum Dialecticum fuiſſe. Gratulamini vobis, Lutherani, malum Dialecticum ad vos profugum ſuſcepiſtis; extemplò ſine Ariſtotele bonum Dialecticum feciſtis: qui vel argumenta ſua mutabit; vel vitam ſuam, ſicut argumenta ſua, eſt concluſurus.

Reſponſio Apoſtatæ I. Eſt contra ipſum Apoſtatam olim Catholicum.

Iac Reihing. in Enchirid. art. 1. § 1. & rurſus §. 2.

II. Demus te iam ad ſapientiam perueniſſe, etiam vtemur tuâ ſapientiâ contra tuam ſtultitiam. Recordaris quid ſuprà in Araneis tuis ſcripſeris, cuius te meritò pœniteat, quamdiu immeritò à Catholicis Sanctiſque Patribus diſſentis? verba tua ſunt: *Certè ſi interpretatio illa adeò contra clariſſima verba ſcripturæ peccaret, credátne aliquis Origenem & Hieronymum ſcripturarum peritiſſimos illâ vſuros fuiſſe? Nouellus iſte ſcripturæ interpres in eâ tantò illis, oculatior ſit? Non credo.* Hæc tua verba, Iacobe, tibimet occine. Nam *certè ſi interpretatio*, & *locus Pauli ad Theſſalonicenſes*, pro traditionibus nihil conficeret, vel ſi poſt *abſolutum ſcripturæ canonem* nulla ampliùs traditio neceſſaria eſſet, *credátne aliquis* Chryſoſtomum, Damaſcenum, Baſilium, immò Origenem etiam &

2. Eſt contra Apoſtatam iam Lutheranum.

Aran. cap 6. pag. 45.

Digitized by Google

Hieronymum, aliosſque Patres *ſcripturarum peritiſſimos* vel traditionibus, vel illâ pro traditionibus interpretatione locóue *vſuros fuiſſe? Nouellus iſte* Iacobellus, *ſcripturæ interpres in eâ tantis illis oculatior ſit? Non credo.* Ecce cæce, vt tuo baculo percuteris?

Aran. cap. 6. pag. 44.

3. Eſt contra Chryſoſtomum.

III. Ac ne fide tuâ tecum agam, qui S. Irenæum hîc, Origenem & alios alibi ita teſtes nominas, vt nō ipſis, ſed tibi credi velis; quia vbi illi ea ſcripſerint, non indicas, magno vel pigritiæ, vel perfidiæ ſubſidio; ecce tibi *conſequens*, quod *nullius niſi mali Dialectici eſſe* proiectè affirmas, etiam à S. Chryſoſtomo factum. Qui in eum ipſum D. Pauli locum diſertiſsimè ait:

S. Chryſoſt. in 2. Theſſ. 2. 14.

HINC PATET, *quòd non omnia per epiſtolam tradiderit, ſed multa etiam ſine litteris. Eâdem verò fide digna ſunt, tam illa, quàm iſta.* Ex quibus verbis intelligitur & eandem conſequentiam S. Chryſoſtomum extruere, ait enim. *Hinc patet:* & Chryſoſtomi tempore, vtique poſt *abſolutum* iam *ſcripturæ canonem* tales traditiones, & *eâdem* quidem *fide dignas fuiſſe* habitas, quâ ſcripturæ ſacræ habebantur.

4. Eſt contra Damaſcenū. *S. Damaſc. lib. 4. de fide cap. 17.*

IV. Aſſonat his Damaſcenus, *Quòd plurima*, inquiens, *Apoſtoli tradiderint ſine ſcripto, ſcribit Paulus: Ergo, fratres, ſtate, & tenete traditiones, quas edocti eſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam.* Heus, Iacobe, proſili cum mucidâ tuâ Hunnianâ diſtinctione, & dic: Apoſtolum loqui de traditione, *ante cœptum aut abſolutum ſcripturæ canonem*; occurret tibi Damaſcenus dicens, *Quòd plurima Apoſtoli tradiderint ſine ſcripto ſcribit Paulus.* Quid hîc valet mucida illa & iam putiſcens diſtinctio? An ſcribit Paulus, *quòd plurima Apoſtoli tradiderint ſine ſcripto* ante ſcriptum? Quæ hæc nugatio foret?

5 Eſt contra Origenem. *Orig. hom. 5. in Num.*

V. Eaſdem etiam, *poſt abſolutum ſcripturæ canonem*, traditiones agnouit & Origenes; qui ait: *Omnia hæc operta & velata portamus ſuper humeros noſtros, cùm ita implemus ea, & exequimur, vt à magno Pontifice atque eius filijs tradita, & commendata ſuſcepimus.* Idem etiam alibi ſcribit *ſecundùm Eccleſiæ obſeruantiam etiam paruulis baptiſmum dari.*

Idem in Leuit. cap. 8.

6. Eſt contra Hieronymū. *S. Hieron. in Epiſt. 28.*

VI. Subſcribit Origeni Hieronymus, qui non modò Lucinium admonet, *traditiones Eccleſiaſticas ita obſeruandas, vt à*

maio-

Digitized by Google

maioribus tradita ſunt, ſed etiam ex perſonâ Luciferiani, quæ æque ab orthodoxo probentur, *An neſcis,* inquit, *etiam Eccleſiarum eſſe hunc morem, vt baptizatis poſteà manus imponantur, & ita inuocetur Spiritus ſanctus? Exigis vbi ſcriptum ſit? In actibus Apoſtolorum:* ETIAMSI SCRIPTVRAE AVCTORITAS NON SVBESSET, *totius orbis in hanc partem conſenſus inſtar præcepti obtineret: nam & multa, quæ per traditionem in Eccleſijs obſeruantur, auctoritatem ſibi ſcriptæ legis vſurpauerunt.* Quod Procridis telum certiùs ferit hæreticos, quàm iſtæ tam lucidæ verborum iaculationes?

VII. Adſtipulatur ijſdem S.Baſilius, qui itidem poſt *abſolutum ſcripturæ canonem* in hæc verba ſcripſit. *Apoſtolicum arbitror eſſe, etiam in non ſcriptis traditionibus perſeuerare. Laudo, inquit, vos, quòd omnia mea meminiſtis, & quemadmodum tradidi vobis, traditiones continetis.* Et, *tenete traditiones quas accepiſtis ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam. Dogmata, quæ in Eccleſiâ ſeruantur & prædicantur, partim ex conſcriptâ doctrinâ habemus, partim ex Apoſtolorum* TRADITIONE *in myſterio ad nos delata recipimus. Quæ vtraque eandem ad pietatem vim habent, &* NEMO *his contradicit, qui vel mediocrem ſaltem Eccleſiaſticorum Iurium experientiam habet.* Vnde perſpicuum eſt, hæreticos noſtros non ſolùm *malos* eſſe *Dialecticos,* verùm etiam nec *mediocrem ſaltem Eccleſiaſticorum iurium experientiam habere,* atque planè ſeſe *nouellos Origeni & Hieronymo ſcripturarum peritiſſimus*, immò & Chryſoſtomo, & Baſilio, & quàm plurimis alijs ſanctiſsimis eruditiſsimiſque Patribus à Baronio, à Bellarmino, Lindano Epiſcopo Ruremundenſi, &c. longâ ſerie laudatis *oculatiores* arbitrari. Cæterùm *oculatiores* eſſe nemo credit, niſi parùm oculatus, & multùm auritus.

7. Eſt contra Baſilium.
S.Baſil. in lib. de Spiritu ſanct. c. 29. & cap. 27.
Baron. Anno Chriſti 53. Bellar. lib. 4. cap. 7.

VIII. Vt pariter & alium non *malum Dialecticum*, cuius hoc conſequens eſt, & diſtinctionis tuæ fontem, immò paludem Hunnium, ſimulque vanitatem oſtendam, verba tibi Cornelij de Lapide in hunc locum ſcripta exhibeo. *Nota hic locum,* ait, *pro traditionibus Apoſtolicis, ſcilicet, tam ea eſſe ſeruanda, quæ verbo & viuâ voce tradiderunt Apoſtoli, quàm quæ ſcripta in ſacris litteris reliquerunt. Vt enim concedamus Bezæ (quod tamen gratis ab eo dicitur) Apoſtolum loqui de traditionibus dogmatum, non rituum, hinc certè ſequitur non omnia,*

8. Eſt ex Hunnio ſumpta, à Cornelio diſſoluta.
Cornel. de Lap. in 2. Theſſ. 2. 14.

mnia, quæ credenda ſunt, eſſe ſcripta, ſed quædam viuâ voce eſſe tradita. Secundò, ſi dogmatibus traditis, ergò à pari & ritibus traditis eſt inſiſtendum; vti expreſsè docet Paulus epiſtolâ primâ ad Corinth. cap. 11. verſ. 23. de ritibus Euchariſtiæ. Nec ſatisfacit effugium Hunnij dicentis, cùm hæc ſcriberet Paulus, necdum conſcriptas fuiſſe alias epiſtolas, ac conſequenter verbum Dei plenè nondum fuiſſe conſcriptum, ſed voce quædam fuiſſe tradita, eáque tunc fuiſſe ſeruanda: iam verò cùm omnes epiſtolæ ſint ſcriptæ, habeamúſque plenum verbum Dei ſcriptum, quod nos plenè de omnibus erudit & informat, traditionibus non eſſe opus. Inprimis enim quæram ego ab Hunnio, vbi ſcriptum eſt nos habere plenum verbum Dei, quod ita plenè de omnibus credendis & agendis nos erudiat, vt traditionibus non ſit opus? certè hoc nuſquam ſcriptum eſt; ergò traditum Hunnio; ergo hanc ſaltem ſuam traditionem admittet Hunnius, ac conſequenter fatebitur non omnia eſſe ſcripta. Secundò, Apoſtolus, imò Spiritus ſanctus non ſolis Theſſalonicenſibus, ſed omnibus gentibus & ſæculis hæc loquitur & ſcribit, vt ſcilicet abſolutè ſinguli fideles teneant traditiones, quas didicerunt ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam. Nihil, *inquit Tertullian. 5. contra Marcion.* de titulis (*epiſtolarum*) intereſt; cùm ad omnes Paulus ſcripſerit, dum ad quoſdam. *Sicut enim ius ciuile & patrium non tantùm conſtat ſcriptis legibus, ſed etiam conſuetudinibus traditis: ita & ius diuinum, ſiue lex diuina & Chriſtiana conſtat verbo Dei, tam traditione quàm ſcripturâ accepto. Nam ſi Regis iuſſui parendum eſt, ſiue is conſtet ſcripto, ſiue præconis edicto, alióue nuncio; cur non & Chriſti Dei ac Domini noſtri? Rurſum nunquid non, poſtquam ſcriptæ fuerunt omnes epiſtolæ, Theſſalonicenſes adhuc parere tenebantur huic ſententiæ Apoſtoli:* Tenete traditiones quas didiciſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam noſtram? *nunquid non ſeruare tenebantur, quidquid Paulus & Apoſtoli tam verbo quàm ſcripto tradiderunt? Si patris & matris, cur non & Pauli Apoſtolorúmq; verbo credendum & obſecundandum eſt? Tertiò, quòd verbum Dei non plenè de omnibus particularibus credendis & agendis nos informet, patet ex definitionibus primorum quatuor Conciliorum & Pontificum primis quadringentis annis, quas admittunt ipſi Nouantes; hæc enim multa definiunt, quæ in ſacrâ ſcripturâ non ſunt definita; ad noua enim dubia ſuborientia definienda per doctrinam à Patribus traditam, coacta ſunt hæc Concilia. Quartò, ita docent omnes*

Hunnius à Cornelio contuſus.

Verbum Dei reſpuunt, qui reſpuunt traditiones.

Patres. Traditio (*inquit Chryſoſtomus, & ex eo Theophylact.*) eſt, nihil quæras amplius, *cæteros vide apud Bellarminum. Ita Lacedæmones, Athenienſes, Romani, Perſæ, Chaldæi, omnéſque Gentes ad rectam Reipublicæ adminiſtrationem vſi ſunt iure partim ſcripto, partim non ſcripto, id eſt, legibus partim ſcriptis, partim traditione acceptis, quas Plato lib. 6. de legibus vocat ἄγραφα νόμιμα, quæ parem, imò eandem cum ſcriptis habent dignitatem & auctoritatem. Immò Eccleſia Dei ipſos bis mille annos, puta ab Adamo ad Moſem, ſtetit, directáque fuit verbo Dei non ſcripto, ſed à Patribus per manus poſteris tradito, vt meritò dicat Tertullianus lib. de teſtimonio animæ:* Certè prior eſt anima quàm littera, & prior ſermo quàm liber, & prior ſenſus quam ſtylus.

IX. His adde, ipſum Hunnium diſtinctionem ſuam, & te quoque, Iacobe, apud Bellarminum potuiſſe reperire ſolutam. Vſque adeò nihil noui adſertis, ſed quiſquilias veteres in recentem triumphum erigitis, & rurſus diſsimulatis ſolutionibus argumenta effæta corraditis. Sic Bellarminus loquitur. *Reſpondent Apoſtolum hîc loqui de ſermone, quem ore pronunciauerat, & quem ipſe non ſcripſerat, ſed qui tum ſcriptus erat, vel fuit poſteà ab Euangeliſtis. Apoſtolus enim, vt ipſi dicunt, nihil prorſus docuit, quod non ſit alicubi ſcriptum in nouo teſtamento. Cui ſolutioni ſubſcribit etiam Brentius in Prolegomenis. At contrà. Nam primò in hoc ipſo capite Apoſtolus dicit, ſe illis prædicâſſe de Antichriſto, & præter alia docuiſſe, quando eſſet venturus:* Et nunc, *inquit*, quid detineat ſcitis. *Et,* Num retinetis, quia cùm eſſem vobiſcum, hæc dicebam vobis? *Hoc autem nuſquam ſcriptum eſt, quando ſcilicet ſit Antichriſtus venturus. Quare B. AVGVSTINVS lib. 20. cap. 10. ciuit. Dei, dicit illos ſciuiſſe, quod Apoſtolus docuerat viuâ voce, nos autem non poſſe id ſcire, qui Apoſtolum non audiuimus; ergo non omnia ſcripta ſunt, quæ Apoſtolus dixit. Prætereà ſiue ſcripta poſtea fuerint, ſiue non, quæ Apoſtolus docuerat, non multùm refert, quantum ad argumentum, quod ex hoc loco colligimus. Nam Apoſtolus non promittit ſe, vel alium ea ſcripturũ, quæ ore tradiderat, ſed ſimpliciter præcipit, vt non minùs obſeruent, quæ acceperant ſine ſcripto, quàm quæ per epiſtolam. Et hoc modo hunc locum veteres intellexerunt.*

> 9. Et dudùm à Bellarmino.
>
> *Bellar. lib. 4. de Verb. Dei non ſcripto, cap. 5.*

X. Accedit quòd & aliæ ſcripturæ indicent non omnia eſſe ſcripta. *Multa*, inquit Seruator, *habeo vobis dicere, ſed non poteſtis*

> 10. Multa etiamnùm non eſſe ſcripta. *Ioan. 16.*

ſtis portare modò; Et is quem diligebat Seruator, *ſunt autem & alia*, inquit, *multa, quæ fecit* IESVS, *quæ ſi ſcribantur ſingula, nec ipſum arbitror mundum capere poſſe eos, qui ſcribendi ſunt libros.* At hos libros, qui etiamnùm extant, vna manus capere poteſt, ergo etiamnùm non omnia ſcripta ſunt.

11. Etiam neceſſaria quædam non eſſe ſcripta.

Aran. pag. 65.

XI. Nec per illam rimam elabendi Hunnio, vel ſimiæ Hunnij eſt poteſtas, quòd dicat, *Illud ſolùm contendimus, toto ſcripturæ canone perfectè conſtituto, nulla ſupereſſe dogmata, ad ſalutem* NECESSARIA, *ſolâ voce ab Apoſtolis tradita & ſacris litteris non commiſſa.* Quòd *illud ſolùm contendatis*, negat Colloquium Ratiſponenſe, in quo ſuprà citata Theſis ita habet: *In verbo illo diuino omnia, quæ nobis ad veram* DEI *& voluntatis diuinæ agnitionem, adeoq; ad ſalutis æternæ conſecutionem,* NEC NON CVLTVS *Deo placentes neceſſaria ſunt, ſufficienter contineri minimè dubitamus.* Et infrà. *Vnicam hanc eamq; certam, perfectam, perſpicuamq; normam fidei & cultuum, parati ſumus per Dei gratiam, ex ſcripturâ ſacrâ palàm tueri.* Non ergò *ſolùm contenditis dogmata*, ſed etiam *cultus* aliaq; *ad ſalutem neceſſaria nulla ſupereſſe, quæ litteris ſacris non* ſint *commiſſa.* At talia ſupereſſe euidenter antè à me demonſtratũ eſt, & inſuper præter citatos Patres etiam Epiphanius teſtatur, dum ait: *Oportet autem & Traditione vti. Non enim omnia à diuinâ ſcripturâ poſſunt accipi. Quapropter aliqua in ſcriptis, aliqua in Traditione ſancti Apoſtoli tradiderunt, quemadmodum dicit S. Apoſtolus; ſicut tradidi vobis.* Ac profectò eo ipſo loco, quem attingit hîc Epiphanius, S. Paulus non ſolùm illam quæſtionem, quæ eſt de modo orandi in Eccleſiâ, à traditione incipit, inquiens, *Laudo vos, quòd per omnia mei memores eſtis, & ſicut* TRADIDI *vobis, præcepta mea tenetis*: ſed & alteram illam de modo ſumendæ Euchariſtiæ quæſtionem rurſus à traditione orditur dicens: *Ego enim accepi à Domino, quod &* TRADIDI *vobis*, additq;: *cetera, cùm venero, diſponam.* At hæc præcepta de modo orandi ſumendæq; Euchariſtiæ, ſicut *quid diſpoſuerit*, in nullo ſcripturæ loco, etiam *ſcripturâ teſtamenti noui tot alijs litteris & libris auctâ* reperitur. Cùm autem iure credatur D. Paulus non modò diſpoſuiſſe, quæ ad ritus cærimoniasq; ſpectabant, ſed etiam *de ordinatione miniſtrorum, de ſacrificio altaris, de aliorum*

Theſ. 4. Colloq. Ratiſp. Seſſ. 1.

Ibid. theſ. 6.

Epiphan. hæreſi. 61.

1. Cor. 11.

Ibid.

Bellar. loc. cit.

Sacra-

Sacramentorum formâ & materiâ &c. nec ab hæreticis vllo modo contrarium oſtendatur; concluditur meritò, etiam ea quæ ad Religionem cultusq; neceſſaria ſunt, nondum omnia in diuinis litteris contineri. Et vtique illa, quæ ſe Chriſtus promiſit dicturum, ac Lucâ teſte, poſt reſurrectionem ſuam, *per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei* dixit, non friuola fuerunt, ſed *ad regnum Dei* adipiſcendum neceſſaria, vt de inſtitutione Sacramentorum &c. Quæ tamen talia quia ab Euangeliſtis ſcripta non ſunt, haud veroſimile eſt Apoſtolos Eccleſiæ non tradidiſſe: ſicut & perpetuam Dei matris virginitatem, & Loco Sabbathi diem Dominicum colendum, & Infantes baptizandos, & adeò ipſum etiam ſymbolum Apoſtolicum tradiderunt.

Act. 1.

Vide VVilhelm. Lindan. lib. 1. Panoplia Euang. c. 6. & ſeqq.

XII. Vt nihil dicam, quanto examine indigeat illud Apoſtatæ, quod tamen ob commemoratas cauſſas, etiamſi verum eſſet, ad rem nihil faceret, cùm ſcribit: *Cùm Paulus ad Theſſalonicenſes litteras daret &c: nec verò tum aliæ Paulinæ Epiſtolæ, aut libri noui Teſtamenti conſcripti vlli extabant, præter Matthæi Euangelium &c.* Apoſtata, primùm contra Hunnium tuum loqueris, qui teſte & refutatore Tannero ſuprà citato, ait, *hanc (illius decreti Apoſtolici) omnium primam fuiſſe ſcripturam in toto nouo teſtamento.* Ergo luculentè Hunnio contradicis, quando dicis: *Cùm Paulus ad Theſſalonicenſes litteras daret, nec verò tum aliæ Paulinæ Epiſtolæ, aut libri noui Teſtamenti conſcripti vlli exſtabant &c.* nam extabat *iam illius decreti Apoſtolici omnium prima ſcriptura*, vt vult Hunnius (quãuis contra communem omnium ſententiam, quæ docet Euangelium Matthæi fuiſſe ſcriptum antè, quàm Apoſtoli in diuerſas orbis partes diuiderentur) quod decretum, cùm per epiſtolæ formam fuerit comprehenſum, illiusq; inter ceteros Apoſtolos & Paulus quoque auctor extiterit, vix euadis, cùm ſcribis, Paulo litteras ad Theſſalonicenſes dante, nihil adhuc noui Teſtamenti præter Euangelium Matthæi extitiſſe. Sed quoniam ſerpens es, & lubricus, dices fortaſſè, epiſtolam illã decreti Apoſtolorum, non Apoſtoli fuiſſe. Accipio. Id tamẽ colligitur, præter Euangelium Matthæi aliquid aliud iam extitiſ-

12. Errores hiſtorici in quos Apoſtata incidit.

Aran pag. 65.

Tanner in Apolog. pro compendiariâ relatione de colloquio Ratiſp. cap. 8.

titiſſe ante epiſtolas ad Theſſalonicenſes. Et facilè paterer te Hunnio aduerſari, ſi non & SS. Patribus aduerſareris, qui, vt eſt apud Baronium, expreſsè teſtati ſunt, primam D. Petri Epiſtolam Anno Chriſti 45. Româ eſſe datam, cùm tamen ſecunda hæc epiſtola, vt idem Baronius docet, Anno 53. fuerit exarata. Quid aio te SS. Patribus aduerſari? cùm aduerſeris ipſi D. Paulo. Nam ſi dictum tuum de traditionibus ante ceteras omnes noui teſtamenti ſcripturas prętep Matthæi Euangelium, extantibus eſt capiendum; & verò ſi ais, cùm hoc ipſum de Traditionibus Paulus ſcriberet, *necdum vllas alias Paulinas extitiſſe*, iterum apertè D. Paulo aduerſaris, cuius non ſolùm Baronio, ſed etiam ſeipſo teſte epiſtola prima iam extabat, cùm hanc ſecundam mitteret. Quid enim aliud indicat his ipſis verbis, *ſtate & tenete Traditiones, quas didiciſtis ſiue per ſermonem, ſiue per EPISTOLAM NOSTRAM?* Quamnam epiſtolam illam? nonne primam? ſed cautè mentitus es, vt maiorem Hunnianæ diſtinctioni colorem adiiceres, non dixiſti abſolutè, *Cùm Paulus ad Theſſalonicenſes HAS SECVNDAS* (in quibus Traditiones ſuas commendat) ſed, *cũ Paulus ad Theſſalonicenſes litteras daret*; item cautè addidiſti, non *Nullas alias epiſtolas Apoſtolorum*, ſed *nullas Paulinas epiſtolas aut libros noui Teſtamenti extitiſſe, præter Matthæi Euangelium &c.* Quâ tamen omni cautelâ tuâ, & nihil, vt dixi, effeciſti, & necdum ſatis cautus fuiſti; quippe cùm ipſe epiſtolas Apoſtolorum in Laqueis tuis LIBROS appellâris. *Libri iſti*, inquiebas, *Prophetici, inquam, & Apoſtolici, veri ſunt ſapientiæ libri, quibus omne rectum docetur* &c. Si ergo Epiſtola illa S. Petri, itemq; Apoſtolorum decretum epiſtolæ incluſum iam ante epiſtolas ad Theſſalonicenſes extitit, & epiſtolæ quoque *Apoſtolici libri*, te auctore, appellantur; quo pacto verum eſſe poteſt illud, *Cùm Paulus ad Theſſalonicenſes litteras daret*, &c. *nec verò tum aliæ Paulinæ epiſtolæ, aut libri noui Teſtamenti conſcripti vLLI extabant?* &c. Vides vt aſtutia nuſquam ſatis cauet, etiam dum cauet?

Baron. Anno Chriſti 45. & Anno 53.

Apoſt. Laq. Pontif. pag. 5.

13. An probabile ſit omnia poſteà ſcripta

XIII. Demus verum eſſe, quocunq; tandem ſenſu ſcripſeris, *Paulo ad Theſſalonicenſes litteras dante &c. nec alias Paulinas epiſtolas*,

ſtolas, aut libros noui teſtamenti conſcriptos vllos extitiſſe, præter Matthæi Euangelium, immò nec *Matthæi quidem* tum adhuc Euangelium extitiſſe, quid inde nectis? Ergo poſtea Matthæus, aliaq; Euangeliſtarum & Apoſtolorum volumina omnia omninò comprehenderunt, quæ Paulus viuâ voce dixit? Minimè gentium rectè nectis, Iacobe. Si enim non omnia, quæ Chriſtus fecit, ab Euangeliſtis Apoſtolisq; ſcripta eſſe, aut ſcribi potuiſſe, teſtatur S. Ioannes, quis credat, omnia ab illis ſcripta eſſe, quæ Paulus dixit? Denique quis credat Paulum ceterosq; *Apoſtolos perfectè conſtituto ſcripturæ canone*, nihil ampliùs ad ſalutem noſtram pertinens aliud locutos eſſe, quàm ſcripturis erat conſignatum? — *eſſe quæ Apoſtoli viuâ voce tradiderunt.* — *Ioan. vlt.*

XIV. Vt tuis te fabis flagellem. Cur, miſer, concedis, *ante cœptum aut abſolutum ſcripturæ canonem, aliquod verbum Dei non ſcriptum, ſeu viuâ tantùm voce traditum fuiſſe*: & negas, *toto ſcripturæ canone perfectè conſtituto*; vlla *ſupereſſe dogmata ad ſalutem neceſſaria, ſolâ voce ab Apoſtolis tradita, & ſacris litteris non commiſſa?* Quid enim *vt totus ſcripturæ canon perfectè conſtitueretur* addendum fuit ad Prophetas & Moſen? an ea quæ Paulus viuâ voce tradiderat? At hoc ſecundùm te addi non potuit, quia cùm Paulus *ex Moſe & Prophetis diſputauit*, & *ex illis Euangelicam doctrinam concluſit, nihil extra Moſen & Prophetas dixit*, vt tu ſuprà docere conatus es. Si ergo iam ea in *Moſe & Prophetis* ſcripta fuêre, quæ Paulus dixit, ſiq; *nihil extra Moſen & Prophetas dixit*, qualenam fuit illud *verbum Dei non ſcriptum, ſeu viuâ tantùm voce traditum* à Paulo? An *viuâ tantùm voce traditum*, hoc eſt, vt tu ipſe interpretaris, *Verbum Dei non ſcriptum*, & ſcriptum apud te ſunt idem? Si ſunt idem, malè hîc diſtinguis: ſi non ſunt idem, malè ſuperiùs intuliſti *Paulum nihil extra Moſen & Prophetas dixiſſe, etſi non ſemper meriſſima Moſis & Prophetarum verba locutus ſit.* — *14. Apoſtata ſibi ipſi repugnat.* — *Aran. cit. pag. 65.* — *Aran. pag. 62.*

XV. Quia ingenium tuum, Iacobe, hederâ myrtoque non lauro cinctum eſt, adeò vt veros rationum nexus non ampliùs dignoſcas, & mali Dialectici conſequentiam eſſe dicas, quam tot ſancti doctiq; viri concinnauerunt, ecce tibi vel ex ipsâ diſtinctione tuâ, & D. Pauli loco, non pro Traditionibus — *15. Conſequentia ex Paulo oſtenditur eſſe bona.*

Digitized by Google

nibus tantùm ante perfectum ſcripturæ canonem, ſed etiam pro ijs, quæ poſteà perdurarunt, conſequentiam. Ea dogmata, eoſq; cultus, qui adhuc hodie in ſacrâ ſcripturâ nuſquam expreſsè reperiuntur, tanquã traditiones, adhuc hodie æquè tenere iubemur ab Apoſtolo, ac ſi per epiſtolam illius accepiſſemus. At multa ſunt eiuſmodi dogmata, multiq; cultus, qui in ſacrâ ſcripturâ adhuc hodie nuſquam expreſsè reperiũtur, vt perpetua DEI parentis MARIAE virginitas, & alia ſuprà commemorata: Ergo multa dogmata, multoſq; cultus adhuc hodie tanquam traditiones æquè tenere, ac in ijs ſtare iubemur ab Apoſtolo, ac ſi per epiſtolam illius accepiſſemus. Maior, Iacobe, eſt tua, minor eſt probata, & confirmatur per omnes illos articulos, qui in ſcripturâ clarè non exprimuntur. Concluſio oſtendit, conſequentiæ auctorem non malum Dialecticum, ſed irriſorem illius bonum momum eſſe.

CAPVT XXI.

QVAM INSCITE APOSTATA EX ISAIA ET PAVLO TRADITIONES DIVINAS OPPVGNET?

Plin. lib. 33. c. 6. Ioſeph. Acoſta lib. 4. hiſt. Ind. c. 10.

Viui argenti pondus, & in alia metalla effectus.

INTER cætera argenti viui miranda eſt, quòd *omnia ei innatent, præter aurum, id vnum ad ſe trahit, ideò & optimè purgat,* auctore Plinio; adeò, vt Ioſephus Acoſta teſtetur, vidiſſe ſe oculis ſuis in quadam certâ argenti viui quantitate duas ferri libras iniectas, inſtar ligni atque ſuberis innatare. Sicut autem ſolum aurum in argento viuo non natat, ita ferè ſolum eius veneno occurrit, quæ cauſa eſt, vt epoto auro ſe foſſores aduerſus argenti viui populationem muniant. Immò ferè ſolum etiam aurum ab argento viuo purius exit; nam quanquam argentum quoque verum ab argento viuo purgari ſolet, difficiliùs tamen id quàm in auro contingit. Præter aurum atque

Digitized by Google

atque argentum, cætera metalla, ac ſi hoſtis eſſet, ita inimicè Mercurius iſte aggreditur, rodit, exeſt, conſumit, *permanans tabe dirâ.* Hinc non immeritò Hieronymus Cardanus in ſubtilitatibus, vt aurum regem metallorum, ita argentum viuum, tyrannum appellauit.

Tale argentum viuum, taleſque Mercurij ſunt hæreticorum, vt dixi, Prædicantes. Plumbeas mentes, ferreas ceruices grauitate Prædicanticâ facilè ſuſtinent, rodunt, exedunt, conſumunt dirâ tabe permanantes. Candoris veri argentum, veritatis diuinæ aurum, etiam de illorum ſcoriâ purius exit. *Supra c. 19.*

Factum eſt hoc perſpicuè in D. Pauli pro diuinis Traditionibus ſententiâ, quæ Hunnianis, Iacobeanis, aliorumque hæreticorum obiectionibus & arroſionibus velut expolita, longè nunc clariùs eniteſcit; ingenuoſque veritatis amatores, velut nouus quidam Sol, ſuperatâ nocte, lætiùs luce ſuâ aſpergit.

Idem in aliâ eiuſdem D. Pauli, aliaque Iſaiæ Prophetæ ſententiâ contigit. Nam cùm eas Apoſtata contra Traditiones diuinas, vel ſeipſo iudice, ineptiſsimè produxiſſet, tantò magis traditiones noſtras confirmauit, quantò vanius fuit id, quo eas oppugnauit; & nunc rurſus nouâ maioreq; vanitate expugnatas eſſe perſeuerat. *In Enchir. art. 1. §. 3.* Scripturæ contra traditiones productæ.

Nónne quaſi intento in traditionum laqueos digito, inquiebat, *ſcriptura ſacra illos caueri imperat, cùm tertiùm ſeriam illam Dei querelam repetit?* Fruſtrà me colunt, docentes doctrinas & mandata hominum. *Et Paulus Apoſtolus, quàm exertè iſtam fallacium laqueorum cautelam Coloſſenſium animis infigit?* Videte, inquit, ne quis vos decipiat per Philoſophiam, & inanem fallaciam ſecundùm traditionem hominum, &c. *Quid poteſt ad demonſtrandas & cauendas occultiſſimas traditionum technas dici clarius, ac validius?* *Apoſt. in Laqueis Pontif. laq. 1. pag. 9.* *Iſa. 29.13. Matth. 15. 9. Marc. 7. 6. Coloſſ. 2. 8.*

Ad hęc Apoſtatę, qui, vt ſe ęquum eſt, ne flocci quidem fecerat fidem, ſic reſpondi. *Recordaris*, Iacobe, *te aliquando Matthiam Hoë perfidè agere, oſtendiſſe, cùm traditiones diuinas & humanas confunderet? Tu idem hîc luculentè facis.* Deinde varia traditionum genera recenſui, tandemque & *inutiles hominum prauorum traditiones, quales Phariſæorum fuére*: Et adieci: *Has meritò Chriſtus & D.* *Diſſert. de Laqu. c. 8.* Nil contra noſtras traditiones loquũtur ſcripturæ.

Paulus inſectantur. Quæ ergo iſta fraus, quis laqueus eſt, vnâ liturâ omnes tollere traditiones? Non ſecus ac ſi ita ratiocinareris: Fures patibulo digni ſunt; Ergo omnes homines. Quædam ſuperſtitioſa humanæ & Phariſaicæ traditiones reprehenduntur: Ergo vnâ omnes traditiones, &c. Quas autem traditiones Iſaias caſtiget, Chriſtus ipſe expoſuit, & tu olim nō ignorâſti, &c. nempe humanas illas vltimi generis, & quidem illas ſolas; quia Politicas obſeruari, ſi honeſtæ ſint, etiam ipſe ſanctus Paulus iubet, cùm ſeruos iubet parere dominis ſuis. Quæ ergò illæ Phariſaicæ, aut aliàs vituperio dignæ traditiones ſunt? Longus eſſe nolo, quia à te ipſo enumerantur; ſed & à tui ſimilibus indicatæ fuerunt, cùm dicerent; Quare diſcipuli tranſgrediuntur traditionem Seniorum? non enim lauant manus ſuas cùm panem manducant, &c. Sanctus Paulus autem ad Coloſſ. nequaquam loquitur contra diuinas, Eccleſiaſticas, aut honeſtas Politicas traditiones, ſed illas impugnat, quibus Moſaicarum ceremoniarum iugum Euangelio iam ſublatum nouis Chriſtianis denuò imponebatur, aut quibus pro Chriſto, ac ſupra Chriſtum Angeli tanquam veri hominum mediatores nouâ planè & inauditâ religione aut ſacrilegio colendi proponebantur. Pluribus declarat etiam Suarez, locum Pauli nihil contra nos efficere; ſed mea illa ſufficiunt.

Matth. 15. 3. ſeqq.

Epheſ. 6. 5.

Loc. cit. contra Hoë.

Matth. 15. 2.

Soar. lib. 2. contra Regem Angl. c. 9.

Quæ verbatim huc reponenda cenſui; quia vel ſola, Apoſtatæ reſponſioni lumbos frangunt.

Plaut. Rud.

Qui oratione hîc nos occupatos occupat.

Noua Apoſtatæ, immò nou-antiqua reſponſio.

Quippe cuius verba, cum ad medullam vſque excuſſeris, inaniora inuenies, quàm tunicam tineæ ante decem años emortuæ. Accipe verba haud precioſiora, quàm ſi ea Araneus dixiſſet; imò ignobiliora. Quia mirius eſſet, Araneum loqui, quàm Prædicantem mentiri.

Aran. pag. 65. 66. 67.

Ad Iſaiæ, inquit, *Prophetæ, & Pauli ad Coloſſenſes teſtimonia contra traditiones Pontificias à me adducta, quod attinet, non ſolùm Stengelius, ſed reliqui duo quoque ſocij* (ita omnia mea meis adſcribere Apoſtatæ placet, Tros Rutulúſue, verum an falſum fuat, id nihil penſi habet) *malè adducta eſſe queruntur. Querela hæc eſt, me diuinas cum humanis confundere* (Domine Iacobe, non Forer, ſed tu ipſe olim contra Hoë, & ego contra te hanc querelam habui) *diuinas oppugnandas ſuſcipere, humanas impugnare; & verò teſtimonia*

Duo malè Forero tribuit cum pag. 45. citat.

præ-

producere, quæ humanas, non omnes, ſed diuinæ legi contrarias, aut per ſe friuolas & inutiles impugnant.

Iacobe, ad hæc omnia, duo verba cum Chriſto tibi reddo: *Tu dixiſti*; immò feciſti. Abi & ſile, ne laudem tuam deſtruas. Sed fruſtrà iubeo cicadam ſilere. Pergis, & rurſus, quod deſperati ſolent, vbi non habes, quod reſpondeas, habes quod exclames. *O inaniſſimam*, inquis, *querelam*. Audio clamantem, non audio reſpondentem. At at, ſilentium, vt reſpondentem quoque audiamus, Iam labra moueri barbæ motus indicat. En vt per genas currens muſtax præfeſtinat proloqui? Quid loquitur? oraculum, oraculum. *Quo modo*, inquit, *traditiones diuinas, quæ nullæ ſunt, nec eſſe à nobis creduntur, cum humanis confundo, aut impugnare inſtituo?* *Matth. 26. 25.* *Aran. pag. 66.* *Ibid.*

Vis ſcire, quomodo id facias, Iacobe? Dicam iterum duobus verbis. Impiè, & imperitè. Aliud eſt enim Phariſæorum, aliud Apoſtolorum; aliud ſuperſtitioſas, aliud diuinas traditiones perſequi. *At traditiones diuinæ nullæ ſunt, nec à vobis creduntur?* Nullas eſſe Catholici negant, Lutherani credunt. Melior eſt noſtra negatio, quàm veſtra fides. Nullas eſſe traditiones diuinas tu ex Iſaiâ & Paulo inſtituebas probare, cur nunc ais tantùm, & non etiam probas? Et quid obſecro ad marginem ſibi volunt illa verba? *Aduerſarij confundunt diſtinguenda?* cùm nihil in textu prorſus oſtendas, quod confundamus; immò cùm de facto ipſe diuinas traditiones cum humanis confundas? Imò cùm neceſsitate adactus noſtrâ diſtinctione vti, & Penelopen imitari cogaris, atque telam tuam retexere. Cùm enim Iſaiæ Paulique ſententias quaſi vniuerſim de traditionibus querentes antè protuliſſes, nunc clarè fateris, ſententias illas non vniuerſim procedere de quibuſcunque traditionibus. Quod Apoſtata deberet probare, ait ſe non credere.

Sic enim loqueris: *Nec ſanè impugno hîc Eccleſiaſticas traditiones, de ritibus ad decorum aut ordinem Eccleſiæ bonum pertinentibus, quas hoc etiam nomine ſæpiùs Confeſſio Auguſtana admittit & probat. Multò minùs aduerſus Politicas Magiſtratûs, aut dominorum leges quicquã tento. Quare inſignis & effrons Stengelij calumnia eſt, me per fraudem*, vnâ liturâ omnes tollere traditiones. *Contra illas tantùm pugno, quæ ab homini-* *Loc. cit. Arã.* Quas traditiones [illegible], quas reiiciat Apoſtata.

minibus excogitata, tanquã à Deo profecta, ſub aliquâ diuini cultûs ſpecie venditantur & obtruduntur. Quales apertè illis Iſaiæ & Pauli ſententijs perſtringuntur & in Papatu reperiũtur. De talibus quippe mandatis hominum Iſaias, & Chriſtus ex ipſo iteratò loquitur, quibus fruſtrà ſeu vanè Deus colitur.

Mendacium Apoſtatæ.

Matth. 15. 2.

Domine Iacobe, tales in Papatu non reperiri, oſtendit mea prima reſponſio ſuprà exſcripta. Quando enim Catholici ad Lutherum dixerunt: *Quare diſcipuli tui tranſgrediuntur traditiones ſeniorum? non enim lauant manus ſuas, cùm panem manducant.* Item quando Catholici *Iudaicas ceremonias antiquatas, Chriſtianis tamen ſub diuinæ legis auctoritate obtruſerunt?* aut quando pro Chriſto, ac ſupra Chriſtum Angelos tanquam veros hominum mediatores colendos propoſuerunt? Has traditiones ſimileſque *apertè illis Iſaiæ & Pauli ſententijs perſtringi* concedis, quàm mendaciter ergo in *Papatu* reperiri dicis?

Aran. pag. 66. Fuſius Forer in patrocinio Votorum à pag. 29. oſtendit locum S. Pauli ad Coloſſ. nil noſtris traditionibus officere.

An fortaſsè ad alias quaſdam noſtras traditiones vobis exoſas alludis? cùm certis diebus à carne abſtinemus? cùm feſta quædam agitamus? &c. At harum traditionum aliæ diuinæ ſunt, vt de Paſchate die Dominico celebrando, aliæ Eccleſiaſticæ. Diuinas, traditiones diuinas non eſſe nondum mihi ex ſcripturâ oſtendiſti, & dudùm expecto, vt promiſſo tuo ſatis facias. Eccleſiaſticas traditiones *te non impugnare*, ais, ſed cum *Auguſtanâ Confeſſione admittere & probare.* Quaſnam autem illas? Nempe quæ palato tuo ſapiunt; non quæ præcipiuntur. Quaſi verò veſtris Principibus fas ſit Iubilæum aliquod præcipere, & Eccleſiæ ſit nefas.

Malè Lutherani quaſdam tantùm & non omnes Eccleſiaſticas traditiones admittunt.

Deinde ſi *Eccleſiaſticas traditiones, de ritibus ad decorum aut ordinem Eccleſiæ bonum pertinentibus non impugnas, ſed admittis & probas;* cur tantum inter has ipſas diſcrimen facis? cur non omnes admittis, quas Eccleſia admittit? immò quas antiquiſsimus iam Tertullianus admiſit? Accipe Tertullianum in vtroque traditionum genere te confodientem. *Quo modo,* inquit, *vſurpari quid poteſt, ſi traditum priùs non eſt? Etiam in traditionis obtentu exigenda eſt, inquis, auctoritas ſcripta. Ergo quæramus an & traditio non ſcripta non debeat recipi? Planè negabimus recipiendam, ſi nulla exempla præiudicent alia-*

Tertull. lib. de cor. militis.

Variæ traditiones ex Tertulliano.

aliarum obſeruationum, quas ſine vllius ſcripturæ inſtrumento, ſolius traditionis titulo, exinde conſuetudinis patrocinio vindicamus. Denique vt à baptiſmate ingrediar, Aquam adituri, ibidem, ſed & aliquanto priùs in Eccleſiâ ſub Antiſtitis manu conteſtamur nos renunciare diabolo, & pompæ, & Angelis eius. Dehinc ter mergitamur, ampliùs aliquid reſpondentes, quã Dominus in Euangelio determinauit. Inde ſuſcepti, lactis & mellis concordiam prægustamus. Exque eâ die, lauacro quotidiano per totam hebdomadam abſtinemus. Eucharistiæ Sacramentum, & in tempore victûs, & omnibus mandatum à Domino, etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu quàm præſidentium ſumimus. Oblationes pro defunctis, pro natalitijs, annuâ die facimus. Die Dominico ieiunium nefas ducimus, vel de geniculis adorare. Eâdem immunitate à die Paſchæ in Pentecoſtem vſque gaudemus. Calicis aut panis etiam noſtri, aliquid decuti in terram anxiè patimur. Ad omnem progreſſum, atque promotum, ad omnem aditum, & exitum, ad veſtitum, & calceatum, ad lauacra, ad menſas, ad lumina, ad cubilia, ad ſedilia, quacunque nos conuerſatio exercet, frontem crucis ſignaculo terimus. Harum & aliarum eiuſmodi diſciplinarum, ſi legem expoſtules ſcripturarum, nullam inuenies: traditio tibi prætendetur auctrix, conſuetudo confirmatrix, & fides obſeruatrix. Rationem traditioni, conſuetudini, fidei, patrocinaturam aut ipſe perſpicies, aut ab aliquo qui perſpexerit diſces. Interim nonnullam eſſe credes, cui debeatur obſequium.

Cur tibi *oblationes pro defunctis*, cur *ieiunia*, cur *de geniculis adorare*, cur *ad omnem progreſſum, atque promotum, ad omnem aditum, & exitum, ad veſtitum, & calceatum, ad lauacra, ad menſas, ad lumina, ad cubilia, ad ſedilia, &c. frontem crucis ſignaculo terere* diſplicet? Nempe neque cum Tertulliano, neque cum Eccleſiâ ſentis. *Politicas* conſuetudines traditioneſque probas. Eccleſiæ conſuetudines traditioneſque improbas. Tertulliani tempora nimis antiqua ſunt, quibus ſignaculum crucis in vſu fuit; noua tua religio non cupit concordare cum antiquitate. Si qui *Magiſtratus*, ſi qui Domini traditiones aliquas in Rempublicam, aut familiam ſuam introduxerunt, nihil ais eos contra Iſaiæ aut Pauli querelas perpetrauiſſe; cùm ad diuinas, cùm ad Eccleſiaſticas traditiones venitur, hîc ſine diſcretione diſcernis; ibi quaſi œſtro percuſſus, aut Mænadis inſtar penitùs inſanis. Putáſne

Lutheranis Tertullianus pugnum impingit.

miſer Iſaiam & Paulum Politicas, Eccleſiaſticaſque traditiones admittere, & diuinas repudiare?

Si in reliquâ gubernatione ſe humano mori quàm maximè accomodat Deus, cur non & in traditione? à quâ religio noſtra cœpit, etiam propagari non poſsit? *Certè*, inquit Tertullianus, *prior anima, quàm littera, & prior ſermo, quàm liber, & prior ſenſus, quàm ſtylus.* Ante Euangelium Matthæi non aliâ ratione ab Apoſtolis infundebatur in corda mortalium fides, quàm traditione prædicationeque. Quin adhuc hodie primum illud fidei ſymbolum Apoſtolicum, non inuenitur ſcriptis mãdatum ab Apoſtolis, ſed ore tenus traditum. Si ergo nihil, niſi quod Apoſtolicâ, aut Propheticâ manu ſcriptum eſt, credendum recipiunt Lutherani, cur non ſymbolum Apoſtolicum abijciunt, & teſſeram, quod dicitur, penitùs confringunt Chriſtianitatis? Quando aliàs humana diuinis, politica Eccleſiaſticis tam proteruè anteponunt. Siquidem humanas traditiones admittunt, diuinas reſpuunt, Politicaſq; magis probant, quàm Eccleſiaſticas, quas improbare non audent.

Tertull. lib. de teſt. animæ cap. 5.

Nam ecce nouum Politicum Iacobum, cùm dixiſſet: *Nec ſanè impugno hic Eccleſiaſticas traditiones, de ritibus ad decorum aut ordinem Eccleſiæ bonum pertinentibus.* &c. mox adiecit: *Multò* MINVS *aduerſus Politicas Magiſtratûs, aut Dominorum leges, quicquam tento.* Itáne verò, Iacobe, eò tibi res redijt; vt non ſolùm MINVS, ſed *multò minùs* Politicas leges, quàm Eccleſiaſticas, quas tamen cum *Auguſtanâ confeſſione admittis & probas,* impugnes, faciliùs aliquid contra Eccleſiaſticas, quàm contra Politicas traditiones tentaturus? Nempe quia à Politicis offam habes, plus tibi in Eccleſiam licere arbitraris; lucro æſtimare res doctus, non dignitate.

Aran. pag 66.
Apoſtata pluris facit Politicas, quàm Eccleſiaſticas traditiones.

Ceterùm, ſi non *omnes vnâ liturâ tollis traditiones*, quorſum illud Iſaiæ producis? *Fruſtrà me colunt docentes doctrinas & mandata hominum?* Nempe *contra illas* traditiones, *quæ ab hominibus excogitatæ, tanquàm à Deo profectæ, ſub aliquâ diuini cultûs ſpecie venditantur & obtruduntur. Quales apertè illis Iſaiæ, & Pauli ſententiis perſtringuntur, & in Papatu reperiuntur.* Primùm videamus de Iſaiæ ſententiâ, poſtea Pauli quoque ſententiam examinabimus.

Iſa. 29. 13.
Aran. cit. loc.

Sic

Sic igitur argumentor. Si collectio tua ex Iſaiâ, non eſſet filio tuo ſimilis, hoc eſt, ſi ſpuria non eſſet, tum Iſaias *apertè* deberet *perſtringere* illas traditiones, quæ teipſo fatente, in Papatu ſunt, & *tanquam à Deo profecta, ſub aliquâ diuini cultûs ſpecie venditantur & obtruduntur*: ſed illas non *apertè*, ſed nec occultè aut obliquè *quidem perſtringit Iſaias*. Ergo ſpuriam ex Iſaiâ collectionem feciſti.

Maior eſt tua, profitentis te ex Iſaiâ noſtras traditiones impugnare. Minorem oſtendo. Traditiones in Papatu, te fatente, ſunt, & *tanquam à Deo profecta* meritò commendantur hæ. *1. Quòd hi & non alij libri ſint Canonici. 2. Quòd paruuli baptizandi. 3. Quòd præceptum Apoſtolicum de non comedendo ſanguine, & ſuffocato non ampliùs obliget. 4. Quòd hæc potiùs ſit legitima Baptiſmi forma, Ego te Baptizo, quàm illa, Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine, &c. 5. Quòd feſtum Paſchatis tali die peragendum 6. Quòd dies Dominica pro Sabbatho celebranda. 7. Quòd baptiſmus ab eo, qui ſemel baptizatus ad Turcas vel Iudæos defecit, ac rurſus ab ijs receſſit, non ſit iterandus. 8. Quòd ſymbolum fidei ſit verè Canonicum & Apoſtolicum, &c.* Quibus adde: *Quòd auguſtiſſima* MARIA DEI *mater, etiam poſt partum Virgo illibata permanſerit. Quòd innocentes ab Herode interfecti per mortem ſanctificati fuerint, & nunc cum Chriſto regnent, quòd ſcripturæ auctoritate probari non poteſt, cùm tamen nihilominùs auctoritate Eccleſiæ ſine vllo periculo illos colamus: & ſimilia.*

Quàm malè Iſaiam contra nos, imò contra ſeipſum producat Apoſtata. *Aran. pag. 55.*

De innocentibus ita docet ex Aug. lib. 3. de lib. arbit. c. 23. & lib. 2. de ſymbolo ad Catechum. c. 5. & lib. 3. c 4 ac in ſermonibus 8. & 9 de ſanctis, qui ſunt de innocentibus.

Has tales traditiones dicimus & demonſtramus haberi meritò tanquam diuinas, & tamen è ſcripturâ non haberi, adeoque verè traditiones eſſe. Sed has Iſaias nec apertè, nec occultè, nec directè, nec obliquè perſtringit. Si enim eas perſtringeret, malè vos ipſi Lutherani contra Spiritum ſanctum per os Iſaiæ loquentem 1. hos & non alios libros pro Canonicis agnoſceretis, à nullâ ſcripturâ eâ de re edocti, ſed à ſolâ traditione. 2. malè paruulos baptizaretis. 3. malè non abſtineretis à ſanguine & ſuffocatis. 4. malè ea forma baptiſmi vteremini, quâ vtimini. 5. malè feſtum Paſchatis. 6. malè diem Dominicum pro Sabbatho celebraretis. 7. malè eos non baptizaretis, qui ad Iudæos confugerunt, ſicut nuper illa virgo

Lutherani proprio ſuo argumento percutiuntur, Iſaiam contra ſe ipſos citantes.

Norinbergenſis, de quâ infrà. 8. malè Symbolum Apoſtolicum pro Apoſtolico 9. malè beatiſsimam Virginem pro perpetuâ Virgine haberetis, idque fide, vt dicitis, diuinâ. Malè, inquam, hæc omnia factitaretis, nam Iſaias apertè vos perſtringeret dicens, *Fruſtrà me colunt* Lutherani, *docentes doctrinas & mandata hominum.* At hæc talia non fatemini vos malè factitare. Reſorbe ergo, Iacobe, quod Politicis offis & Circeis poculis ebrius euomuiſti; *Traditiones noſtras apertè illâ Iſaiæ ſententiâ perſtringi.* Noſtræ traditiones iſtæ de quibus inter nos & vos litigatur, *tanquam à Deo profectæ* prædicantur, ab *hominibus* tamen *excogitatæ*, & *ſub aliquâ diuini cultûs ſpecie venditari & obtrudi* à nemine dicuntur, niſi quem *peruerſæ cogitationes* Σκολιοὶ λογισμοὶ, diſcurſus tortuoſi, perplexi, obliqui, verſuti, *à* DEO *ſeparauerunt.*

Sap. 13.

Conſequentia digna Apoſtatis. Ex Iſaiâ.

Talis prorſus etiam ex Iſaiâ eſt diſcurſus tuus. Nam eſto Iſaias apertè perſtringat *illas* traditiones, *quæ ab hominibus excogitatæ, tanquam à Deo profectæ ſub aliquâ diuini cultûs ſpecie venditantur, & obtruduntur.* Quid ergo ſequitur? Ideóne illæ noſtræ traditiones *apertè perſtringuntur?* toto cœlo aberras, Iacobe, cum tuâ collectione Nam ſi *apertè perſtringi* noſtras traditiones ab Iſaiâ volebas oſtendere, in hoc ſyllogiſmo (*contra illas* ego & Iſaias, traditiones *pugno*, & quidem meritò, *quæ ab hominibus excogitatæ, tanquam à Deo profectæ, ſub aliquâ diuini cultûs ſpecie venditantur & obtruduntur*: ſed *tales apertè in Papatu reperiuntur*) Minorem debebas probare; cuius contrarium cùm faciliùs probare potuiſſes, ſilentio velut mantelo fraudem tuam inuoluiſti. Bonum eſt ſilere, cùm loqui non poſſumus.

Certè ſi Iſaias vniuerſim ſuâ ſententiâ omnes traditiones, quæ diuinæ dicerentur, perſtrinxit, nónne Theſſalonicenſes, immò omnes Iudæi Apoſtolis ante Euangelium ſcriptum, prædicantibus & dicentibus. *Fratres, ſtate & tenete traditiones, quas didiciſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam noſtram*, reſpondere potuerunt; Non licet nobis tenere traditiones, quas didicimus, quia Iſaias prohibuit? Quid ſic reſpondentibus S. Paulus cæterique Apoſtoli reſpondiſſent? idem ab Eccleſiâ nunc

2. Theſ. 2. 14.

ex-

exiſtima tibi reſponderi. Vel ergo S. Paulum & Apoſtolos reliquos cum Eccleſiâ damna: vel Eccleſiam cum S. Paulo & Apoſtolis abſolue.

CAPVT. XXII.

AN CERTVM SIT, CVLTVM, QVEM ANGELIS SANCTISQVE EXHIBEMVS, A S. PAVLO PERSTRINGI, TANQVAM MALAM TRADITIONEM.

EGo verò te ab extremâ impudentiâ abſoluere non poſſum, qui ſcribere non vereris, S. Paulum *voluntarios cultus Angelorum, cœleſtis reuelationis colore fucatos, carpere & damnare, quales Papatus iactet.* Nequaquam enim Papatus iactat ſibi *pro Chriſto, ac ſupra Chriſtum (immò, excluſo Chriſto,* vt S. Paulus indicat, dicens illos *non tenere caput) Angelos, tanquam veros hominum ſeruatores & mediatores colendos*; longè abeſt ab errore ſuperſtitioneque illorum Philoſophorum, quos Paulus inſectatur; Eccleſia Angelos Sanctoſque cultu ſupremo ac diuino, qui ſoli ſummæ Maieſtati infinitæque dignitati debetur, non honorat: ſed tanquam inſignes Dei amicos excellentibus ipſius donis, gratiâ, ſanctitate, gloriâ claros, cultu & honore tantò inferiore veneramur, quantò ipſi Deo inferiores ſunt.

Aran. pag. 66. Coloſſ. 2. 18.

An in Papatu, quæ Paulus reprehendit?

Varias explicationes eius cultus refert Cornelius de lapide in cit. loc. ad Coloſſ.

Extra oleas igitur, immò extra veritatem & verecundiam te eijcis, Iacobe, quando indicatâ tantùm, non etiam refutatâ meâ aliorumque illius loci interpretatione ais: *verùm talem, qualem hodie Papiſtæ in more habent, Angelorum & Sanctorum inuocationem perſtringi ab Apoſtolo, certá ſententia eſt, cui etiam, Cornelio Ieſuitâ fatente, fauet Theodoretus.*

Aran. pag. 67.

Iacobe, naſturcium ede, vel eò curre, vbi porci væneunt ſacres, ibi iube te piari. I. Omnis ſententia certa, vel de fide diuinâ,

Plaut. Menæchm.

An certa ſententia, quam Apoſtata certam pronunciat.

uinâ, vel de ſenſu, vel de ſcientiâ certa eſt: at *talem qualem hodie Papiſtæ in more habent, Angelorum & Sanctorum inuocationem perſtringi ab Apoſtolo* non *eſt certa ſententia*. Ad maiorem nihil addes, quod pro te militet: niſi fortè illud, quòd certa ſententia ſit, quam vos certam eſſe dicitis, & nemo credit, niſi qui mendacibus credit. Minor itidem clara eſt. Si enim de *fide diuinâ* certa eſt ſententia illa, oſtende mihi eam clarè in ſcripturâ; quando apud vos nihil fide diuinâ certum eſt, niſi quod in vel è ſcripturâ clarè oſtenditur. Sed nec de ſenſu certa eſt ſententia illa. Quo enim ſenſu certior factus es de illius ſententiæ certitudine? An oculis vidiſti id quod colorem non habet? vel per aures tuas ſibilum immiſit ſerpens aliquis? Aut fortaſsè manibus palpâſti ſententiam illam? vel, vt cùm Plauto tuo dicam, naſum habes tam ſagax, vt odoreris, quàm certa ſit aliqua ſententia? Aut denique inter Scyphos in vino guſtâſti dulcem illam certitudinem? Denique ſi de ſcientiâ & demonſtratione aliquâ certa eſt illa ſententia, age prome demonſtrationem illam? Cur iterum tantùm dicis, & non facis? cur clamas, & non probas? credíſne te è ſtramine Herculanum nodum nectere?

Cultus ab Apoſtolo reprehenſi iam ceſſârunt.

Gabr. Prateolus in Catalogo hæreſum.

S. Aug. hæreſ. 39.

II. *Angelici*, inquit in Catalogo hæreſum Gabriel Prateolus, *hæretici dicti ſunt, ex eo quòd Angelos adorarent.* Et ſanctus Auguſtinus hæreſi 39. *Angelici in Angelorum cultum inclinati, quos Epiphanius iam omninò defeciſſe teſtatur.* At ij, qui ad noſtrum modum Angelos cultu duliæ adorabant, Auguſtini tempore non defecerunt; non ergo noſter cultus, & illorum error idem eſt. Porrò quòd noſter cultus Angelorum, tempore Auguſtini non defecerit, ex ipſo Auguſtino diſce, qui de Angelo, ſe adorari prohibente ſic loquitur: *Si talis apparuerat Angelus, vt pro Deo poſſet adorari, corrigendus fuit adorator, non propter errorem* ADORATIONIS, *ſed perſonæ.* Probè igitur poterat adorari etiam teſte S. Gregorio, Angelus ab Apoſtolo, nec per illum cultum incurriſſet in alterius Apoſtoli reprehenſionem, ſicut & tempore S. Auguſtini probè poterat adorari.

Apocal. 19. *S. Aug. q. 61. in Gen.* *S. Greg. 27. Moral.* 11. & *Homil. 8. in Euang.*

III. Quàm caſſa tua confirmatio eſt, cùm ais, illi *certæ ſen-*

ten-

Digitized by Google

tentiæ ſeu certo mendacio pòtiùs, etiam *Cornelio Ieſuitâ fatente fauere Theodoretum*: cur non etiam illud ex Cornelio addidiſti, *Caluinus & Beza propriè putant hic damnari inuocationem Sanctorum & Angelorum?* nam quod addit Cornelius *fauere Theodoretum*, ipſe inibi explicat, & ex ipſo Theodoreto oſtẽdit, reipsâ Theodoretum Caluino & Bezæ, adeoque *certæ* illi veſtræ *ſententiæ* nõ *fauere*, quod etiam Baronius, Bellarminus, Turrianus, Vaſquez, & alij quàm plurimi docuerunt; quæ tu artificioſiſsimè diſsimulas, more eorum agyrtarum, qui pueri caput diſco aut tapetibus incluſum, toto reliquo corpore occultato, ſolum oſtendunt, ſpectatoreſque inducunt, vt caput auulſum à corpore ſe ſe cernere arbitrentur. Quæ tua tam luculenta fraus vt in apricum prodeat, reducto velo, ecce primùm Theodoreti, tum etiam Cornelij verba, quæ limpidiſsimè declarant, funem tuum nihil attraxiſſe. *Cornel. loc. cit. in ep. ad Coloſſ. c. 2. v. 18. n. 67.* Theodoreti ſententia an contra nos?

Qui legem, inquit Theodoretus, *defendebant* (Iudaizantes nimirum, quales Catholici non ſunt) *eos etiam ad Angelos colendos inducebant, dicentes fuiſſe legem per eos datam. Manſit autem hoc vitium in Phrygiâ & Piſidiâ. Quocirca Synodus quoque, quæ conuenit Laodiceæ, quæ eſt Phrygiæ metropolis, lege prohibuit, ne precarentur Angelos. Et in hodiernum vſq; diem licet videre apud illos, & eorum finitimos oratoria S. Michaëlis. Illi ergo hoc conſulebant, vtique humilitate vtentes, dicentes vniuerſorum Deum nec cerni, nec comprehendi, nec ad eum poſſe perueniri: & oportere per Angelos diuinam ſibi beneuolentiam conciliare. Hoc autem dixit, In humilitate & cultu Angelorum.* Verba Theodoreti contra ſuperſtitioſum Angelorum cultum, quæ Apoſtata contra nos perfidâ explicatione citat.

Hæc Theodoretus, quibus reipſâ nihil faueri Bezæ & à lilijs florentiſsimo Caluino mox docet Cornelius ſequentibus verbis, quæ diſsimulauit Apoſtata.

Verùm dico, inquit Cornelius. *tantùm hîc damnari fictam humilitatem, ac ſuperſtitioſum, idololatricúmque Angelorum cultum. Ita omnes Patres, & paſsim interpretes Catholici, Baronius, Bellarminus, Turrianus, Vaſquez, inferiùs citandi, ipſe etiam Theodor. nam ipſe ſe refert ad Concil. Laodicenum, quod canon. 35. expreſsè tantùm damnat idololatriam Angelorum:* Non oportet, *ait*, Chriſtianos derelictâ Eccleſiâ abire, & ad Angelos (*Bartholomæus tamen Carranza in ſuâ ſummâ Conciliorum*, *Idem ibidem n. 68.* Apoſtata Cornelio iniuriam facit.

rum,

rum, non Angelos, *legit, ſed* angulos, *cuius lectionis Surius quoque in ſuâ editione Conciliorum meminit, notans eam ad marginem: videtur enim Concilium occultam idololatriam vetare, quæ fiebat in angulis, vbi erant idola repoſita, Dei Eccleſiâ derelictâ; nec enim Angeli propriè ſunt idola, Theodor. tamen, & alij plures non angulos, ſed Angelos in hoc Concilij canone legunt, itáque habet ipſe Conciliorum textus; poſſunt enim generatim Angeli dici idola, eo modo, quo cultus Solis, Lunæ & cuiuſuis rei, quæ non eſt Deus, vocatur idololatria ſiue idolorum cultus)* non oportet, *inquam*, relictâ Eccleſiâ ad Angelos abominandæ idololatriæ congregationes facere. Quicunque autem inuentus fuerit occultæ huic idololatriæ vacans, anathema ſit; quoniam relinquens Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium Dei, acceſsit ad idola *Vides ergo non quemuis cultum, ſed tantùm adorationem & idololatriam Angelorum à Concilio Laodiceno, ac conſequenter à Theodor. æquè ac Paulo hîc damnari. Idem deducitur ex præcedenti Canone 34. & canon. 51. eiuſdem Concilij Laodiceni, vbi recipit & decernit cultum verorum martyrum damnatq; cultum falſorum martyrum hæreticorum; ſi enim licet colere homines martyres idq; decernit hoc Concilium, multò magis licebit colere Angelos, qui naturæ nobilitate & conditione longè homines ſuperant. Cùm ergo canon. 35. damnat cultum Angelorum, non cultum duliæ, ſed latriæ damnat. Vnde Paulus hic verſu vltimo religionem hanc Angelorum vocat ſuperſtitionem. Idem patet ex toto capite, & præſertim ex verſu ſequenti, vbi ait:* Non tenens caput, *ſcilicet Chriſtum. Damnat ergo Paulus talem tantùm Angelorum cultum, qui Chriſtum, Chriſtique cultum excludat, quiq; homines à Chriſto ad homines abducat; & pro Chriſto Angelos ſubſtituat, vti expreſſè docet Concilium Laodicenum, Chryſoſt. Theophyl. & Oecumen. paſſim toto cap. Denique Theodoret. hoc Nouantium errore & ſocietate planè ſe liberat in cap. 4. Danielis, & diuin. decret lib. 5. de Angelis, vbi conſtanter affirmat Angelos eſſe venerandos quaſi æternæ ſalutis adminiſtros, qui apud Deum pro nobis intercedant, noſtramq; cauſam agant.*

Ex his iudicet Lector, an Cornelius fateatur Theodoretũ reipsâ fauere ſententiæ Aduerſariorum; etſi enim prius dixerit, *fauetque Theodoretus*, ex aduerſariorum & ipſius Caluini ac Bezæ mente locutus eſt, qui Theodoretum non totum lectum,

nec

nec ſatis intellectum pro ſe torquere potuiſſent, niſi alij plus in eo verſati eſſent, & inter Caricam Muſam atque Camœnam diſtinguerent.

Quin ipſe Theodoretus prodeat, & quantum iſtis Diuorum hoſtibus faueat, teſtetur. Is enim libris, quos de curatione Affectionum Græcanicarum inſcripſit, & morem inuocandi Sanctos apud omnes Chriſti Eccleſias receptiſsimum ſuâ fuiſſe ætate docuit, & honorationis Martyrum Chriſtianorum inſignem Apologiam ſcripſit. Itaque depingens, quidnam Chriſtiani apud buſta Martyrum diebus potiſsimùm feſtis agerent, *Qui proſperâ ſunt valetudine,* inquit, *conſeruari eam ſibi à martyribus petunt, qui verò ægritudinem aliquam patiuntur, ſanitatem expoſcunt. Inſuper & ſteriles viri & mulieres dari ſibi filios petunt, qui verò parentes ſunt, integra ſibi & proſpera cuſtodiri, quæ conſecuti ſunt dona. Qui peregrè aliquò proficiſcuntur, petunt Martyres ſibi eſſe comites in viâ, vel potiùs itineris duces: qui verò iam ſoſpites redierunt, gratias agunt, acceptum beneficium confitentes.* Hæc plana Theodoreti doctrina, non ſolùm Theodoretum, ſed etiam Cornelium defendit, oſtenditque tam Theodoretum, quàm Cornelium ab Apoſtatâ intellectum non eſſe. *Theodoret. lib. 8.*

IV. Nec iuuat aduerſarios, quòd Theodoretus ſcribat: *Et in hodierum vſq; diem licet videre apud illos & eorum finitimos oratoria S. Michaëlis.* Nam etſi apud Catholicos quoque oratoria & templa S. Michaëlis liceat videre, tamen id nō niſi apud Bœotos & ſtupidos argumentum eſt, talem nos Angelis cultum exhibere, qualem illi, qui à S. Paulo perſtringuntur: cùm Theodoretus nihil exprimat, de oratoriiſne hæreticorum, an de oratorijs iam in bonum vſum Catholicorū tranſlatis loquatur. Longè hunc viperinum dentem Cornelius proſpexit ita ſcribens: *Denique aduerte, hîc Coloſſis ſuperſtitionem hanc poſteà in ſinceriſsimum Angelorum cultum fuiſſe verſam. Patet ex celebri illo S. Michaëlis templo, quod erat Chonis (ita poſteà dictæ ſunt Coloſſæ, vt patet ex Theoph. & Oecumenio hîc, atque ex Nicetâ Choniatâ l. 6. annalium, initio) cuius feſtum ex celebri miraculo eiuſdem Archangeli conſignant Græca menologia 6. Septembris. Vide notationes Baronij ad Romanum Martyrologium,*

An & quæ oratoria perſtringat Theodoretus?

Idem Cornel. num. 75.

 die

Digitized by Google

die 8. Maij. Oratoria verò S. Michaëlis, quæ tempore Theodoreti (vt ipſe narrat) Coloſsis viſebantur, incertum eſt qualia fuerint, & quorum, an hæreticorum, quos ſugillat hîc Paulus; an Catholicorum ſuperſtitionem hæreticorum reformantium?

V. Quòd ſi verò prorſus ſuperſtitioſum eſt, & D. Paulo aduerſum, Oratoria templaque nomine D. Michaëlis aut aliorum Sanctorum habere, quid vos Lutherani cum templis illis facitis aut feciſtis, quorum Auguſtæ vnum ſanctæ Annæ, aliud S. Vdalrici, tertium S. Georgij, quartum S. Iacobi: Norinbergæ B. Virginis, & aliud S. Sebaldi; Ambergæ S. Martini; itemque B. Virginis, vbi incipientes, ſeu inſipientes Prædicanticuli tam Lutherani, quàm Caluiniſtæ primum de roſtro clamandi experimentum fecerunt, paucis è Senatu præſentibus, cæterum Auditorum numerum geminâ ſerie ingentium doliorum implente, & deuotionem excitante: Perlini aliud S. Georgij, aliud S. Nicolai, aliud S. Gertrudis, aliud S. Petri, aliud B. Virginis? Ratiſponæ aliud B. Virginis venuſtæ, aliud S. Oſvvaldi nominatur, vt nihil dicam de cathedrâ apud DD. Dominicanos, quam vnà cum templi vſu obtinuiſtis tertiâ quadam feriâ Pentecoſtes, quâ duo cùm aliter non poſſent, per feneſtram conſcendentes templum illud vobis reſerârunt; eo ſcilicet ipſo die, quo Euangelium legebatur: *Amen, amen dico vobis, qui non intrat per oſtium in ouile ouium, ſed aſcendit aliundè, ille fur eſt & latro.* Denique ne longiùs excurram, & vos ipſi Tubingæ templum S. Georgij frequentatis: quanquam illud alterum in colle ſitum dolia ac neſcio quæ aliæ quiſquiliæ frequentare dicuntur, vt Bacchus ibi pro Numine eſſe videatur, aut ſi Diogenes domum emere vellet, magnam in eo templo doliorum optionem reperturus eſſet. Ita vos templa Superis exædificata, in ſpeluncas conuertitis: immò vel ipſis Diuorum nominibus, quæ templa veſtra, vobis inuitis, ſeruant, cauſam noſtram defenditis. Nec mihi obijcias, à vobis hæc talia templa horum Sanctorum nomine non eſſe ædificata. Nimis prô dolor! id ſcimus & ingemiſcimus. Sed hoc cauſam veſtram tantò deteriorem facit. Nam tantò magis ab his templis abhorrere

Lutherani quod alijs impingunt, ipſi faciunt.

Ioan. 10. 1.

P. Bertius, Comment. rer. Germ. lib. in Tubingâ per errorem dicit ibi eſſe templum B. Gregorij.

rere debuiſſetis, quia Sanctorum nomen habuerunt. Quòd ſi dicas in bonum à vobis vſum eſſe conuerſa, quanquam id non credamus, reſpondebimus tamen & illa Oratoria D. Michaëlis, quorum apud Theodoretum ſit mentio, de abuſu, in vſum eſſe emendata.

VI. Si *talem, qualem hodie Papiſtæ in more habent, Angelorum & Sanctorum cultum perſtringi ab Apoſtolo certa ſententia eſt:* Ergo certa ſententia eſt, *ab Apoſtolo perſtringi* etiam Abrahamum, Lothũ, & Ioſiam, quos eodem modo Angelis venerationem cultumq́ue exhibuiſſe Scriptura commemorat. Atque vt tuis verbis argumentiſq́ue te pudefaciam; Nónne tu ipſe contra Fabricij tubam olim ſic recinuiſti? *Ioſue cùm viri contra ſtantis, & euaginatum gladium tenentis vocem illam inaudiſſet:* Sum Princeps exercitûs Domini, cecidit pronus in terram, & ADORANS ait, Quid Dominus meus loquitur ad ſeruum ſuum? *Nimirum Angelum Dei legatum debitè veneratus, Dominíque ſui ex eo mandatum ſciſcitatus eſt. Nemo certè Caluiniſta* (nemo Lutheranus) *idololatriæ metu hunc Angelo honorem cum Ioſue dediſſet. Ad illam Angeli iuſſionem:* Solue calceamentum tuum de pedibus tuis, locus enim in quo ſtas, ſanctus eſt, fecit Ioſue, vt ſibi fuerat imperatum. *Et hîc Caluiniſta* (ac Lutheranus) *naſum criſpâſſet, loci ſanctitatem & calcei abiectionem de ſuperſtitione ſuſpectam habuiſſet, minimè cum obſequenti Ioſue paruiſſet;* Iacobus autem ſi hodie idem Ioſuam facere videret, diceret, *certa ſententia eſt, talem Angelorum & Sanctorum cultum ab Apoſtolo perſtringi:* Neque ſi Dauidem audiret dicentem, *Angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis,* Angelos inuocare dignaretur in auxilium; vel enim nihil eos auxiliari poſſe diceret, vel auxilium ſpontè laturos abſq; inuocatione.

Iac. Reib. in Præfat. Excubiar.

Ioſue. 5. v. 14. 15.

Angelorum cultor Ioſue, quem Catholici non item hæretici imitantur.

Pſal. 90.

VII. Immò quid impudentiæ reſtat ampliùs, niſi vt omnia in carpendi occaſionem trahens, etiam ipſum Paulum à ſeipſo perſtringi dicat, cur enim idem Paulus aliâ epiſtolâ mulieres obnubere & velare caput, vt ſe maritorum poteſtati ſubeſſe ſignificent, iubet *propter Angelos?* nónne ob cultum & reuerentiam Angelòrum, quos Chryſoſtomo, Theophylacto, Anſelmo, Theodoreto ipſo interprete, teſtes habent honeſti

1. Cor. 11. 10.

Cultus Angelorum nec Paulo diſplicuit.

Digitized by Google

pudoris aut obedientiæ? idque præſertim in templo, in quo Angeli peculiari modo habitum, geſtus, & vota mortalium obſeruant. Quale exemplum S. Nilus S. Chryſoſtomi diſcipulus de ipſo Chryſoſtomo refert, dum ait: *Ioannes Sacerdos admirandus Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ & totius orbis ſplendor, vir animi perſpicacis, omni ferè tempore videbat domum Domini refertam Angelorum cœtu, & tunc inprimis, cùm diuinũ & incruentum Sacrificium offerebatur, quo quidem tempore ſtupore & lætitiâ plenus, rem præcipuis amicis enarrauit: cùm cœpiſſet*, inquit, *Sacerdos S. Sacrificium, plurimæ ſtatim ex illis virtutibus deſcendentes, ſtolis indutæ ſplendidiſſimis, nudis pedibus, intentis oculis, pronæ Altari magno cum ſilentio & reuerentiâ, quoad reuerendum illud myſterium expletum fuit, circumſteterunt. Deinde huc illuc ſingulæ diffuſæ, per totam domum Epiſcopis, Presbyteris, & Diaconibus diſtributionem corporis, & pretioſi ſanguinis miniſtrantibus adhæſerunt, ſatagentes & ſedulò adiuuantes.* Aequè igitur Apoſtata illum qualẽ qualem cultum ac reuerentiam Angelis ab Apoſtolo haberi iuſſam, ſuperſtitionis poterit inſimulare, ſi dicere tantùm licet, quod libet, & ſi affirmare idem eſt, quod probare.

S. Nilus epiſt. ad Anaſtaſiũ.

VIII. Benè furorem cæcum pinxerunt Poëtæ; non enim videt, quem feriat, quiſquis furit.

Virgil. 12. Aeneid.

Ac veluti montis ſaxum de vertice præceps
Cùm ruit auulſum vento: ſeu turbidus imber
Proluit, aut annis ſoluit ſublapſa vetuſtas;
Fertur in abruptum magno mons improbus actu,
Exultatq; ſolo, ſyluas, armenta, viroſq;
Inuoluens ſecum:

Sic Iacobus eodem impetu & in ſanctos, & in ſanctorum tam veteris quàm noui teſtamenti cultores, immò propè & in ipſum Chriſtum, & denique, ne ſolos ſanctos lædat, etiam in ſeipſum irruit. Nam ſi S. Paulus eum cultum venerationemq; perſtringit, quâ Eccleſia Catholica Angelos ſanctoſque honorat, perſtringet etiam Iacobum Patriarcham ita precantem; *Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris iſtis, & inuocetur ſuper eos nomen meum, nomina quoq; patrum meorum.* Perſtringet item S. Auguſtinum dicentem: *Oremus igitur, D. Laurentium fratres,*

Iacobus Angelorum cultor.

Gen. 48. 16.
S. Aug. homil. 1. in D. Laurentium.

fratres, qui dum fide ſuâ perſecutoris flammas vicit &c. Et alibi; *Beatus Cyprianus, ſerenius iam perſpicit veritatem, quam meruit adipiſci per charitatem. Adiuuet itaq; nos orationibus ſuis in iſtius carnis mortalitate, tanquam in caliginosâ valle laborantes, vt donante Domino, quantum poſſumus, bona eius imitemur.* Perſtringet etiam S: Ambroſium, qui ait, *Obſecrandi ſunt Angeli pro nobis, qui nobis ad præſidium dati ſunt, martyres obſecrandi, quorum videmur nobis quoddam corporis pignore patrocinium vindicare.* Immò ſi volet Apoſtata, perſtringet etiam ipſum Chriſtum, vel ipsâ reuerentiâ Angelorum pueris cauentem, vel cautelâ puerorum Angelis reuerentiam concedentem, dum ait: *Videte ne contemnatis vnum ex his puſillis, dico enim vobis, quia Angeli eorum in cælis ſemper vident faciem Patris mei, qui in cælis eſt.* Ex quibus ſanctorum & ipſius Chriſti ſententijs intelligitur, non ſtatim aliquam reuerentiam cultumque Angelorum, ſed ſuperſtitioſum, qualis apud nos non eſt, à Paulo perſtringi. Et verò eum cultum inuocationemque eorum, qui apud nos eſt, perſtringi nec Apoſtata probat. Plura qui volet, Lindanum & Suarez adeat, qui fusè oſtendunt, ſanctos non ſolùm rectè cultu religioſo, ſed etiã inuocatione honorari. Et niſi rumor fallit, ſcripſiſti, Iacobe, hoc loco non ſolùm contra tuam conſcientiam, ſed etiam contra ſententiam, contraque ſermones tuos familiares, quibus diceris inuocationem ſanctorum & acriter defendere contra Tubingenſes, & verò ſubinde etiam apud Catholicos non obſcurè profiteri, præſertim B. Virginis Mariae. Nec ego mihi perſuadeo, te cum Proteſtantibus hac in parte ſentire, qui Copronymum imitãtur, de quo Suidas: *Mortalium*, inquit, *omnium impuriſſimus præcipere auſus eſt, ne quis* Mariae *interceſſionem imploraret.*

Idem lib. 7. c. 3. de Bapt. contra Donatiſtas.

S. Ambr. lib. 1. de Viduis.

Matth. 18. 10.

VVilhelmi Lindan. lib. 3. Panoplia Euangel. c. 24. & ſeqq. Frãc. Soar. lib. 2. Defenſ. Fidei Cathol. c. 8. & 9.

Vide Baron. tom. 9. Anno Chriſti 767.

Ad extremum, *Mutemus Clypeos, Danaûmq; inſignia nobis Aptemus. Arma dabunt ipſi.* Ita enim laudabiliter Choroebum imitans Soarez facit, cuius hæc ſunt. *Deniq; conſideranda ſunt verba dicentis,* Nemo vos ſeducat volens in humilitate, *vtiq; fictâ,* & religione Angelorum, *vtiq; malorum,* quæ non vidit ambulans, fruſtrà inflatus ſenſu carnis ſuæ, & non tenens caput, ex quo totum corpus per nexus, & coniunctiones ſubminiſtratum, &

Virg. 2. Aeneid.

Soarez. lib. 2. Defenſ. Fidei cap. 2. n. 18.

conſtructum creſcit in augmentum Dei. *Hæc enim verba non poſſunt in Eccleſiam Catholicam conuenire, quatenus ſanctos colit, & inuocat. Quia neq; hoc facit inflata ſenſu carnis ſuæ, ſed exemplis ac doctrinis ſanctorum Patrum in diuinâ ſcripturâ fundatis inſtructa. Neque per illum cultum recedit à capite, quod eſt Chriſtus, ſed ad illum potiùs refert omnem ſanctorum cultum, per illum enim ſanctos omnes impetrare, & ad illum etiam pro nobis intercedere profitetur. Et ita neq; fictam humilitatem, neq; falſam religionem introducit, neq; impedit corporis Chriſti augmentum per influxum gratiæ ab ipſo manantis, ſed potiùs per hanc coniunctionem, & communicationem omnium membrorum huius corporis, totius corporis vnitas, & ſanctificatio meliùs perficitur.*

S. Paulus ipſos hæreticos perſtringit.

Quapropter maiori quidem ratione poſſunt talia verba in Proteſtantes conuerti, illiſq; poſſumus ſereniſſimum Regem alloqui, Nemo vos ſeducat, &c. *Nam Proteſtantes reuerà Regem ſeducunt*, inflati ſenſu carnis ſuæ, *quia neq; ab Eccleſia, neq; à Patribus doceri volunt*, ſed dulci nomine ſcientiæ, *(vt Auguſtinus ſuprà loquitur) Regem* ſeducunt, & auertunt à luce veritatis, quæ eſt Chriſtus Iesvs. *Vnde licet ore Chriſtum confiteantur, reipsâ caput non tenent, ex quo totum corpus creſcit in Domino, quia non poſſunt tenere idem caput, qui nolunt eſſe in eius corpore, nec poſſunt in illo creſcere per nexus & coniunctiones, qui ſanctorum vnionem, & communicationem recuſant. Deniq; licet iſti apertè non fingant religionem Angelorum, quos colant, fingunt tamen illorum religionem Angelorum, à quibus decipiuntur, & per quos alios ſeducunt. Dicta igitur verba Pauli, ſi ſecundùm proprium ſenſum conſiderentur, reprehenſionem gentilium continent, non Catholicæ Eccleſiæ. Si vero ſecundum generalem doctrinam, quam includunt, ſpectentur, hæreticos omnes, & præcipuè Proteſtantes redarguunt, & conuincunt.*

Iterum. S. Pauli ſententia ipſos hæreticos perſtringit. *Aran. pag. 69.*

Quinvt Chorœbum Soarez, ita & ego Soarezium imitari meritò poſſum. Arma dat ipſe mihi in manum Iacobus ex Cornelio & cum Cornelio ita loquens. *Ἐθελοθρησκεία non veram religionem, ſed falſam & ſuperſtitioſam ſignificat. Componitur enim ex θέλω, id eſt, volo, & θρησκεία, id eſt, religio, quaſi dicas, voluntaria & ex cerebro conficta religio.* At talis eſt religio Lutheranorum & Caluiniſtarum, qui contemtâ auctoritate veteris Eccleſiæ & SS. Patrum antiquitate, *voluntariam ex cerebro* ſibi *confingunt religionem.*

Digitized by Google

nem. Ergo S.Paulus Lutheranorum & Caluiniſtarum religionem ſeu Camerinam potiùs reprehendit.

CAPVT XXIII.

PROPONITVR APOSTATÆ ET RECENTIVM LVTHERANORVM FRIGIDVM DE CLARITATE SCRIPTVRARVM RESPONSVM.

His de ſcripturâ Traditioneque diſputatis, tria bono ordine, ſed malo iure ſubiungis, Iacobe; nempe apud Catholicos *ſcripturæ obſcuritatem, imperfectionem, neglectum* increpas incuſaſque, apud Lutheranos eiuſdem ſcripturæ *claritatem, plenitudinem, ſtudium* venditas, & iactas. *Neſcis autem* (verba ſunt Luciani) *quòd imperitiſſimi medici idem faciunt, qui eburneis virgulis & vaſculis, quibus ſanguinem eliciunt, argenteis, ſcalpelliſq́ auro inſignibus ſuperbiunt: cùm verò horũ iam vſus eſt, ne in manus quidem rectè capere ſciunt: alius autem quiſpiam prolato phlebotomo, rubigine quidem ambeſo, ſed benè acuto, ægrum morbo leuat. Sed vt tuarum rerum magis iocoſam faciam comparationem, ad hos mihi tonſores aſpice, & inuenies eos, qui artifices optimi ſint, nouaculam tantùm & forficem, & mediocre ſpeculum habere. Sed ignaros artis, etiamſi infinita ſpecula & forfices proponunt, non tamen latere, artis quòd nihil calleant tonſoriæ.* Tales medici taleſque tonſores ſunt hæretici, qui cùm *obſcuritatem, imperfectionem*, & *neglectũ ſcripturarum* nobis iniquiſsimè exprobrent, & ipſi de *claritate, plenitudine, ſtudioq́* earundem ſcripturarum velut *de eburneis quibuſdam virgulis, & vaſculis argenteis* inaniſsimè ſuperbiant, lippiunt tamen in ipsâ claritate, & ſcripturæ non intelligendæ, ſed corrumpendæ ſtudent; cumque earum vſus eſt, eas *ne in manum quidem rectè capere ſciunt*; Catholicis de ipsâ ſcripturarum obſcuritate illuminatis.

Aran. cap. 9. pag. 70.

Lucian. aduerſ. Ind.

Vana hæreticorum iactãtia ob ſcripturam imperito medico aut tonſori par.

Sed audiamus iactatorem Apoſtatam, & vocem Thraſonicam:

Loc. cit. Aran.

nicam: *ſcriptura*, inquit, *apud ipſos* (Catholicos) *obſcuritas, imperfectio, neglectus: apud nos* (Lutheranos) *claritas, plenitudo, ſtudium*. Ne pro teipſo pronuncia, cæce; vidi ſæpe pauperrimos, qui
Apoc. 3. 17. pro opulentis haberi cupiebant, tu igitur quoque *dicis: Quia diues ſum, & locupletatus, & nullius egeo*: (in ſcripturis intelligendis) *& neſcis quia tu es miſer, & miſerabilis, & pauper, & cæcus & nudus*. Ex-
Iſa. 5. 20. cæcate Prædicans, qui ponis *tenebras lucem, & lucē tenebras*, in omnibus tribus contrarium rectiùs affirmauiſſes.

Ac de obſcuritate quidem priùs agamus, quam nos quidem in ſcripturis diuinis ineſſe affirmamus, ſed admotâ Eccleſiæ, ſanctorumque Patrum interpretatione, quaſi ſolem aliquem nobis eluceſcentem: hæretici autem negant ſcripturas obſcurè loqui, & in ipsâ ſuâ claritate verâ interpretatione veroque ſenſu deſtituti, quaſi cæci ſub ipſo ſole in tenebris ambulant, atque ſibi de ipsâ veritate mendacium ædificant & errorem.

Lucian. ibid. & in Dial. de mercede ſeruientibus. Cic. lib. 4. ad Attic.

Ego verò, inquit idem Lucianus, *etiam Dionyſium quondam ſcripſiſſe Tragœdiam accipio, ſed quâ nihil fuerit vnquam minùs elegans, aut magis ridiculum: quam cùm dediſſet legendam Philoxeno, nec ille adulari poſſet, ſed ſalibus inceſſeret ſcriptorem, ſæpenumerò in lapidicinas coniectus eſt. Cùm autem Dionyſius contemni ſeſe, & vulgo fabulam eſſe comperiſſet, nulli operæ ac impenſæ pepercit, vt Aeſchyli pugillaribus, quibus ſua poëmata deſcribere fuerat ſolitus, potiretur: quibus acquiſitis, iam ſe plenum ex Aeſchyli ceris numine, & planè attonitum putabat, & tamen in his longè abſurdiora ſcribebat*. Ad eundem modum hæretici de Fidei capitibus fabulas fingunt riſu & contemtu dignas. Ac ne ipſi quoque fabula fiant, nulli operæ ac impenſæ parcunt, vt libros ſacros adipiſcantur, quibus acquiſitis, iam ſe numine plenos, ex libris ſpiritu diuino plenis arbitrantur. Et tamen in his ipſis longè abſurdiora Religionis portenta procudunt, omnia clara putantes, quæ ipſi in denſiſsimâ nocte ſomniauerunt. Cumque retuſi ſunt maximè, mentiuntur maximè, alioſque, qui illis de clariſsimâ luce non adulantur, in latomias, & ad ſaxa relegant, quò ipſi digniùs mitterentur. Quod
Aran. pag. 71. Apoſtatæ re- & Apoſtata nobis facit, dum contra nos ſcribit: *De ſcripturæ cla-*

claritate, multa quidem, ſed nihil, aut parùm ad rem dicunt. Stengelius iterum in principio, medio ac fine, quædam mea, quæ olim in muris ciuitatis de nimiâ Eccleſiæ Romanæ in ſcripturas licentiâ errore Papiſtico effudi, obijcit. ſponſio contra ipſum eſt Apoſtatam.

Iacobe, putáſne tantum Mandragoræ noſtris & Lutheranorum oculis offuſum, vt non perſpiciamus quantus ſis Myrmillo, quantus in hac arenâ Retiarius? Cur enim exiſtimas, nos hac reſponſione tuâ fore contentos? Fumo non paſcimur, pone aprum. Reſponde, inquam, ad illa, quæ ex te, quæ ex Auguſtino, quæ ex Tertulliano obieci, vt appareat, nos *nihil aut parùm ad rem dicere*: alioqui tu meritò cenſeberis non ſolùm *parùm aut nihil*, ſed minùs quàm parùm aut nihil ad rem reſpondere. Nam nihil prorſus reſpondes, iterumque tuâ illâ gladiatoriâ arte fallaci ſaltu ictum declinas. Deinde quàm rurſus teipſum pudefacis? quidquid enim contra me expuis, tibi ipſi in barbâ hæret, fœdo aſpectu. Si enim *nihil aut parùm ad rem dico, dum in principio, medio ac fine* tua affero; ergo fatearis oportet (quod ſuperbiæ tuæ ſatis inſuaue erit) te eum olim fuiſſe, qui non ſolùm, vt tu ipſe nunc de argumento hoc teſtaris, *nihil aut parùm ad rem dixeris*, ſed etiam *ſtatum quæſtionis inuerteris*, & *fraudem circa quæſtionem de ſcripturæ claritate* commiſeris. Taliſne apud Catholicos fuiſti, Iacobe? nempe tam imperitus & fraudulentus impoſtor? Neſciebamus nos te talem fuiſſe; alioqui minùs diſceſſum fugamque ad Prædicantes adornatam miraturi. Nemo enim miratur, lupum ad lupos, vulpem ad vulpes currere. Et ſi omninò talis fuiſti, quid vetat te nunc quoque ciconiam Lutheranis pinſere? quando decipi illos iuuat. Id verò luculentè te facere, ſi ex hucuſque dictis nondum ſatis conſtat, vel ex iam dicendis liquidò conſtabit. Eâdem enim operâ, qua te reum accuſabimus, purgabimus nos ab impoſtura.

Ex Iac. Reih. in Muris Hier. Fund. 1. Ex S. Aug. epiſt. 221. ad Conſent. Tertull. l. de Praſcript. c. 5.

Aran. pag. 71. ad marginē. Qualis Iacobus ex ſuis verbis fuiſſe conuincatur.

Sic ſcribis. *Scripturam litterâ obſcuram, ſenſu lucidam eſſe fatetur* Stengelius. *Denique pro Scripturæ obſcuritate Dauidem, vt legem intelligere poſſit, orantem; Chriſtum Scripturas diſcipulis interpretantem; Eunuchum ſacras ſibi litteras explicari poſcentem; Petrum quoque de diſficul-*

Ibid. Pſal. 118. *Luc.* 24. 27. *Act.* 8. 30. 2. *Pet.* 3. 16.

ficultate Paulinarum Epiſtolarum ſcribentem, producit. Facio hæc omnia, Iacobe, & vt dixi, paulò etiam plura produco, quæ tu callidus diſsimulator dexterè omittis: quid verò inde colligis? immò quid inde à me non colligi, contendis? *Quò iſta?* ais. *Quis noſtrum dixit, ſcripturam verbi ita claram eſſe vſquequaq; vt nulla in illis ambiguitas, obſcuritas, aut difficultas ſit? Quis ita claram ac facilem, vt nec precibus, nec interpretationi ad ſenſum illius verum aſſequendum locus vllus ſit? aut cuiuis in legendâ ſcripturâ, tironi perinde, atq; diu exercitato omnia peruia, intellectuq; facilia ſint?*

Ibid. in Aran. Reſponſio Apoſtatica ad loca ſcripturæ.

Iacobe, de verbíſne contendimus an de rebus? cùm tu ipſe nunc profitearis controuerſiæ ſtatum eſſe: *An ſcriptura ita in neceſſariis clara ſit &c.* Neceſſaria illa, réſne ſunt potiùs an vocabula? Non ergo de vocabulorum tantùm, ſed & de ipſarum rerum claritate litem vobis intendimus. Res quoque quas nos obſcuras vocamus, vos claras dicitis. Hæc arena, iſta nobis palæſtra eſt. Sic ad rem reſpondendum eſt. Nî ſic quæris, impoſtor es: ſic autem ſi quæris, *Quis noſtrûm dixit?* Reſpondeo. Iacobe, Lutherus ita dixit. Iacobe, Lutherani tui initiò ita dixerunt. Iacobe, tu & Lutherani adhuc hodie, quod ad rem attinet, ita dicere cogimini, licet verbo tenus, ne toties deprehenſi denuò tam apertè deprehendamini, negetis. Iacobe, ſi vel maximè vobis daretur, vos loqui tantùm de myſterijs Fidei, tamen adhuc conuinceremini, non omnia ad Fidem neceſſaria in ſolis ſcripturis clarè haberi. Quæ ſi demonſtrauero, nónne totus mundus tuam tuorumque Prædicantium ferream frontem, & plumbeam mentem intuebitur? cadetque in caput tuum illud, quod contra nos pariter, & teipſum (qui eodem argumenti genere antehac vſus es) effutiuiſti: *Solenne eſt Aduerſariis ſtatum quæſtionis in multis peruertere, & talem ſibi noſtram ſententiam effingere, qualem impugnare optant & expugnare confidunt. Hoc in hac ipsâ controuerſiâ inſigniter fecit Bellarminus, & ex illo tirunculi iſti: ſed fraudem fucumq; Bellarmini præclarè monſtrauit Hunnius in Examine lib. 3. Bellarminiani de ſcripto Dei verbo c. 1. quò ne longior hîc ſim remiſſos hos Bellarmini nepotulos volo. Verus huius controuerſiæ ſtatus iſte eſt; An ſcriptura ita in neceſſariis clara ſit, vt à populo*

Eod. loc. Ar. 1. Apoſtatæ mendax & calumnioſa reſponſio.

pulo cum fructu legi, & ex illâ ſolâ Fidei controuerſiæ omnes dirimi poſſint? Affirmamus: Papiſtæ negant, & ad traditiones ſuas, ſupremumq́ Pontificis iudicium, etiam non ex ſcripturâ depromptum prouocant, ac veræ ſcripturarum claritati detrahunt. Nihil igitur ad hunc ſtatum, nihil ad ſcopum Stengelius.

Non nobis, Iacobe, *ſtatum quæſtionis peruertere*, ſed vobis ſollenne eſt tanquam victis è veſtrâ doctrina pedem referre, arma abijcere, & ſtationem deſerere. Vbi ictum ſentitis, inde fugitis. Quod dixiſtis, quod dicitis, dum dicitis, vos dicere negatis, ex albo nigrum, ex nigro album facere docti, ita pro vertigine veſtra in gyros vertimini, & omni vento doctrinæ circumferimini, nuſquam ſtabiles, vbique lubrici, tantoque pluribus plagis obnoxij, quantò plura effugia quæritis. Id quanquam ab alijs iam hoc ipſo in argumento ſæpe eſt oſtenſum, repetere tamen hîc placet, vt nemo neſciat, me & *ſtatum* & *ſcopum quæſtionis* attigiſſe; te autem ſicut à Religionis, ita & à veritatis ſtatu excidiſſe, & fraudulentiſsimè non ſolùm reſponſi tui ſolutiones ſuppreſsiſſe, vt Lutheranis os ſublineres, ſed etiam vaferrimè, quanquam velut pro clypeo boletum, admiſcuiſſe illud, *Quis noſtrûm dixit ſcripturam* VERBIS *ita claram eſſe &c.* Non enim de ſolis verbis, ſed de rebus quoque ipſis agitur, & quidem præcipuè; nam has non clarè omnes è ſcripturâ haberi dicimus, quod vos negatis, niſi ſtatum quæſtionis de induſtriâ inuertitis. De his argumenta noſtra procedunt; quæ cùm tu firma videres, ad verba declinauiſti, ad res & argumenta à mè retrahendus: quanquam hoc ipſo herbam porrigas. Si enim in ſacris paginis verba non intelligitis, quo modo ſenſum capitis?

Vide Iacob. Gretſer. in defenſ. Bellarm. lib. 3. c. 1. de Verbo Dei. Serar. in Proleg. Biblic. c. 22. quæſt. 4. & reliquis. & alios.

CAPVT XXIV.

EX LVTHERI ALIORVMQVE QVORVNDAM PRAEDICANTIVM MENTE TOTAM SCRIPTVRAM ESSE CLARISSIMAM; QVOD TAMEN HVNNIVS ET IACOBVS negant, poſtquam apertè conuictos eſſe priores animaduerterunt.

Pag. 71. Aran. Lutheri de claritate ſcripturæ ſententia.

Luther. tom. 3. Ien. edit. 1557. de ſeruo arb. F. 168. a. ſic citat Apoſtata.

QVando igitur ais, *Quis noſtrûm dixit, ſcripturam verbis ita claram eſſe vſquequaque, vt nulla in illis ambiguitas, obſcuritas, aut difficultas ſit?* Reſpondeo Lutherum dixiſſe, & quidem etiam eo ipſo loco, quem tu detenebrare & purgare conaris. *Eſſe in ſcripturâ*, inquit Lutherus, *quædam abſtruſa, & non omnia expoſita, inuulgatum eſt quidem per impios Sophiſtas, quorum ore & tu loqueris hîc, Eraſme, ſed nunquam vnum articulum produxerunt, nec producere poſſunt, quo ſuam hanc inſaniam probarent.* Quæ quamuis ad *articulos* fidei detorqueas, immò quamuis ipſe Lutherus ad articulos etiam fidei ſpeciales accommodârit, de totâ tamen ſcripturâ dicta eſſe, vel Lutheri verba oſtendunt, *Catholicos impios Sophiſtas* vocantis, quòd *inuulgârint eſſe in ſcripturâ quædam abſtruſa & non omnia expoſita*: quæ Catholicorum *inuulgatio* cùm intelligi poſsit ac debeat etiam de ijs, quæ non peculiares fidei articulos tractant, debet vtique etiam in eodem ſenſu à Luthero impia vocari: alioqui ſi ipſe Lutherus inibi fatetur, *eſſe in ſcripturâ quædam abſtruſa, & non omnia expoſita*, cur idipſum Eraſmum, alioſque dicentes *impios Sophiſtas* vocat, ſi ipſus id dicit? An quia & ipſus cupit inter impios ſeſe annumerare? Nec refert, quòd dicat, *nunquam nos vnum articulum produxiſſe, aut producere poſſe*, quo id probemus. Nam non dicit, nos non producere poſſe *articulum fidei*, ſed abſolutè *articulum*, id eſt, locum. Omnis enim locus ſcripturæ eſt articulus ſcripturæ. Certè qui in ſcripturâ nihil *abſtruſum*; *ſed omnia expoſita* ait eſſe,

Digitized by Google

eſſe, malè de ſolis ijs, quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt, id intelligi cupit. Bellarminus idem clariùs citatis duobus alijs Lutheri locis oſtendit, dum ſcribit Lutherum *in præfatione aſſertionis articulorum ſuorũ aſſeruiſſe, ſcripturam per ſe apertiſſimã & clariſſimã eſſe*. Quod etiã Serarius copiosè docet. Nota, Iacobe ſcripturam abſolutè, non tantùm articulos fidei, qui non ſunt tã ſcriptura, quàm aliquid ſcripturæ *clariſſimam* dici. Ac prorſus cùm ſint fidei articuli ſingulis ſcitu neceſſarij paucisſimi, etiamſi omnes in ſcripturâ eſſent clarisſimi (quod prorſus non eſſe tum ex ſuprà dictis, tùm ex infrà dicendis manifeſtum fiet) malè tamen totum Codicem ſacrum, in quo maior pars obſcura eſt, *apertiſſimum & clariſſimum* nominaretis. Eſto enim hiſtorias omnes, quæ in Geneſi, Exodo, Numeris, Deuteronomio, Ioſue, libro Iudicum, Regum, Paralipomenon, Eſdræ, Iudith, Tobiæ, Eſther, Iob, Machabæorum, itemque in Euangelio & Actibus Apoſtolorum memorantur, omnibus lippis & tonſoribus apud vos clarisſimas eſſe, & ſine vllâ difficultate, inoffenſo pede percurri poſſe, ſimplici alicui perſuadeatis, (quod docto nunquam perſuadebitis, ſæpe enim in hiſtorijs non ſeruatur ordo rerum geſtarum, ſæpe ſupputatio annorum non apparet liquida, &c.) ánne etiam vaticinia, ſeu prophetias, quæ in Pſalmis, in maioribus minoribuſq; Prophetis, & in Apocalypſi inuolutisſimè continentur, apertisſimas clarisſimaſque eſſe dicetis? vt de locutionibus figuratis, de tropis, metaphoris, allegorijs, parabolis, quas ipſi Apoſtoli ſæpe non intellexerunt, nihil addam. An tot obſcura, & commentarijs, ac interpretatione indigentia in Biblijs eſſe fatemini? & iactatis adhuc abſolutè, Biblia eſſe & apertisſima & clarisſima?

Bellar. lib. 3. de Verb. Dei cap. 2.

Serar. proleg. Bibliac. c. 22. quæſtiunc. 4.

Malè Lutherani & Caluiniſtæ dicunt abſolutè ſcripturas eſſe clariſſimas.

Sed alter, quem Bellarminus ex Luthero indicat locus, longè eſt luculentior. Nam Lutherus in eodem ſuprà citato *libro de ſeruo arbitrio iactauit*, ait Bellarminus, *nihil difficultatis eſſe in ſacris literis. &* NVLLVM *ſibi locum adferri poſſe, quem ipſe non facilè interpretetur*. Quamuis Bellarmino ac Serario teſte, alijs in locis haud obſcurè ſibi Lutherus contradixerit; tamẽ, contra mendacis regulam, immemor ſui, iactauit, *nihil difficultatis eſſe in ſa-*

Bellarm. loc. cit.

Serar cit. c. quæſtiunc. 5.

Digitized by Google

cris litteris, (non in ijs tantùm, quæ ſcire ad ſalutem pertinet) & NVLLVM *ſibi locum adferri poſſe, quem ipſe non facilè interpretetur.*

Gretſer. ad lib. 3. cap 1. Bellarmini.

Plura Gretſerus pro Bellarmino ex Lutheri eodem libro affert, quæ Apoſtata diſsimulat, vt illa: *Res in ſcripturis contentæ* OMNES *ſunt proditæ, licet quædam loca adhuc verbis incognitis obſcura ſint.* Item. *Stultum & impium eſt ſcire, res ſcripturæ eſſe omnes in luce poſitas clariſſimâ, & propter pauca verba obſcura, res obſcuras dictitare.* Item. *Contra te* (Eraſme) *de totâ ſcripturâ dico, nullam eius partem volo obſcuram dici, &c. Non ſic illuminauit nos Chriſtus, vt aliquam partem obſcuram voluerit relictam nobis in ſuo verbo, dum nos ad illud iubet attendere. Fruſtrà enim attendere iubet, ſi non lucet.* Nónne hîc Lutherus docet totam *vſquequaq;* ſcripturam, nullâ prorſus eius parte exceptâ, eſſe claram & lucidam?

Aran. pag. 73. Luther. tom. 3. Ien edit. 1357. lib. de ſeruo arbitrio F. 168. a. Vt quidem citat Apoſtata, cupiens Lutherũ ſeniorem videri, quàm eſt; & ſcripſiſſe antè, quàm vixiſſe.

Et quamuis ex eodem Luthero illa ſubijcias: *Multa loca in ſcripturis obſcura, & abſtruſa, nõ ob maieſtatẽ rerum, ſed ob ignorantiam vocabulorum & Grãmaticæ, ſed quæ nihil impediant ſcientiam omnium rerum in ſcripturis:* Et illa: *Nónne hæc etiam in biuijs ſunt nota, & cantata? Tolle Chriſtum è ſcripturis, quid ampliùs in illis inuenies?* Ac illa: *Igitur tu* (Eraſme) *& omnes Sophiſtæ, agite & producite vnum aliquod myſterium quod ſit in ſcripturis adhuc abſtruſum:* Quamuis, inquam, hæc omnia in ſubſidium aduoces, nihil tamen facis, niſi quòd oleum flammæ addas; & verba aggeras, vt videaris Lutherum Luthero, hoc eſt, cænum luto lauare.

Nam præterquam, quòd ſecundus & tertius locus ſuâpte vanitate ſe refutet, & contra me nihil probet, etiam primo loco, cùm dicit Lutherus, *multa loca in ſcripturis obſcura & abſtruſa eſſe ob ignorantiam vocabulorum & Grãmaticæ*, malè negat, *obſcura & abſtruſa* eſſe *ob maieſtatem rerũ.* Si enim myſteria fidei, præſertim de Trinitate, Incarnatione, Prædeſtinatione, fide Iuſtificante, de præſentiâ Chriſti in Euchariſtiâ & ſimilibus rebus conſideremus, ſumma quoad rem eſt obſcuritas ſcripturarum, cùm myſteria illa prorſus ſuperent & excedant captum humanum; neque percipiantur à nobis niſi in ænigmate, teſte Paulo dicente, *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem;* Et S. Auguſtinus quaſi contra Lutherum ex profeſſo ſcripſiſſet:

1. Cor. 13. 12. S. Aug. epiſt. 3. ad Voluſianũ.

ſiſſet; *Non ſolùm in verbis,* inquit, *quibus iſta* (in ſacris litteris dicta ſunt) *verùm etiam in rebus, quæ intelligendæ ſunt, latet altitudo ſapientiæ.* Itaque falſum eſt, rerum eſſe in ſcripturis perſpicuitatem potiùs, quàm verborum. Quis enim Hebræus Hebræa non intelligit vocabula? Græcus Græca, Latinus Latina, Germanus Germanica?

Ille verò ipſe primus ex Luthero locus, non ſolùm non eſt pro te, Iacobe, ſed velut è diametro tibi repugnat, vt eum meritò videaris produxiſſe, cauſſam Lutheranorum ſpontè proditurus. Quàm clarè enim Lutherus fatetur, non ſolùm *maieſtatem rerum*, ſed etiam ipſa illa multa *loca ob ignorantiam vocabulorum & Grammaticæ obſcura & abſtruſa, nihil impedire ſcientiã* OMNIVM RERVM IN SCRIPTVRIS? vbi hîc eſt Hunnius tuus cum ſuâ & tuâ diſtinctione? Si illa ipſa *multa loca in ſcripturis obſcura & abſtruſa, nihil impediant ſcientiam omnium rerum in ſcripturis*; Ergo ex mente Lutheri tota *vſquequaque* ſcriptura quoad legitimum ſenſum facilis ac perſpicua eſt, & ab omnibus intelligi poteſt; cui cùm contrarium demonſtremus ex ipsâ ſcripturâ, vtique aliquid ad *ſcopum & ſtatum quæſtionis dicimus.* Neque Dauid, vt legem intelligere poſſet orans, orauit, opinor, pro ſcientiâ duntaxat vocabulorum & Grammaticæ, ſed vel maximè pro ipsâ clarâ rerum cognitione. Neque Philippus Eunucho vocabula tantummodò, vt exiſtimo, aut Grammaticam explicauit, ſed res ipſas vocabulis ſignificatas. Neque ipſe Eunuchus ſibi Grammaticam aut vocabula voluit explicari, ſed ipſas prophetias de Chriſto. Neque Auguſtinus optimæ Grammaticæ ipſe auctor, de ſolis vocabulis & Grammaticâ locutus eſt, cùm dixit: *Tanta eſt enim Chriſtianarum profunditas litterarum, vt in eis quotidie proficerem, ſi eas ſolas ab ineunte pueritiâ, vſque ad decrepitam ſenectutem maximo otio, ſummo ſtudio, meliore ingenio conarer addiſcere.* Neque S. Ambroſius de vocabulis eſt locutus, cùm ſcripturam dixit eſſe *mare, in quo ſenſuum ſit profunditas.* Neque antiqua illa Eccleſia vocabula tantùm & Grammaticam, ſed etiam præcipuéq; genuinum ſcripturæ ſenſum traditione accepit. Alij hodie apud Lutheranos ſunt mores.

Lutherus Hũnio & Iacobò aduerſus inã nuper excogitatã diſtinctione.

S. Aug. loc. cit.

S. Ambroſ. ep. 44. ad Conſtãtium.

Nam

Digitized by Google

Plaut. in Bacchid.

Nam olim pôpli priùs honorem capiebat ſuffragio,
Quàm Magiſtri deſinebat eſſe dicto obediens.
At nunc priuſquam ſeptuennis eſt, ſi attingas eum manu,
Extemplò puer pædagogo tabulâ dirumpit caput.

Iac. Gretſ. Defenſ. Bellar. l. 3. c. 1.

Porrò quàm ineptè poſt Lutherum Apoſtatam, Iacobus Apoſtata obſcuritatem rerum ab obſcuritate vocabulorum in ſcripturâ diſcriminet, dudùm à Iacobo Gretſero didicimus. Cuius hæc ſunt. *Eſt autem obſeruatione perquàm dignum, VVitackerum & Sibrandum, VVitackeri ſimium & expilatorem valdè commendare diſtinctionem illam Lutheri in* obſcuritatem verborum *ſeu* Grammaticam; & rerum, *quarum hanc à ſcripturis remouet, illam ſcripturis attribuit; vt vidimus; cùm diſtinctio hæc ſit longè ſtolidiſſima & inſipientiſſima. Nam primò, quænam ſunt illa verba, eaq́, vt Lutherus ipſe fatetur, non adeò multa, quæ rebus clariſſimis & ſolis inſtar lucentibus tenebras offundunt? Cur non deſignauit Lutherus? Cur nō Sauubrandus aut VVitackerus? Súntne Græca? Súntne Hebraica? Súntne Latina? Certè nullum arbitror in Latinis Biblijs reperiri vocabulum, quod Latinè benè gnaro non ſit perſpectum. Nónne hanc verborum pauculorum obſcuritatem potuit Lutherus tollere in ſuis Biblijs Germanicis? Quæro num in his Lutheri vernaculis Biblijs diſtinctio Lutheri etiam locum habeat? Si habet, obſecro, nominatim aliquis Prædicans exprimat, & ſeparatim nobis enotet illa Germanica vocabula; vel phraſes & modos loquendi, qui res, alioqui per ſe clariſſimas, obfuſcant & inobſcurant. Et mirum ſanè eſt tot doctiſſimos viros, in verbis & Grammaticâ verſatiſſimos; non potuiſſe ſuperare hanc Grammaticam difficultatem & obſcuritatem; quod nominatim mirari licet de Origene & D. Hieronymo, qui ſummam Grammaticæ cognitionem habuére; & tamen ſcripturas etiam ſibi admodùm obſcuras eſſe conqueruntur.*

Reſpondet Sauubrandus, fuiſſe illos bonos Grammaticos, ſed non optimos; erràſſe enim ſæpe in ſenſu Grammatico; hinc non mirum eſſe, ſi & ipſa dogmata interdum non intellexerint. *Huic Caluiniſtæ oppono Caluiniſtam alium VVitackerum; qui ambos Origenem & Hieronymum ait fuiſſe* Grammatices peritiſsimos; *ergò* optimos Grammaticos: *ergo propter obſcuritatem ſenſûs Grammatici à vero non aberrârunt, quippe in hoc ſenſu exercitatiſſimi; tanquam Grammatices peritiſſimi; vt taceam, ſecundùm Lutherum, id, quod vno*

loco verbis obſcuris enunciatur, in alio clariſſimis efferri. Quapropter facile fuit tantis illis viris obſcuritati vnius loci ex claritate alterius lumen accendere. Adhæc quanta ſtultitia eſt; dicere; rem ſcripturæ, quæ myſteria reconditiſſima, & ab omni humano ſenſu remota conplectitur, eſſe clariſſimam & apertiſſimam, verba autem quædam eſſe obſcura? Quæſo quid eſt obſcurius, in hac oratione: Hoc eſt corpus meum: hic eſt ſanguis meus: *res an verba? Præterea claritas ſcripturæ, quà talis, non poteſt exſiſtere niſi ex verbis. Nam res ſcripturæ non aliter nobis obijciuntur & proponuntur, niſi per verba. Si ergo verba obſcura ſunt; quomodo res ſignificata, vt per illa verba nobis repræſentatur, poteſt eſſe clara? Et ſi res eſt clariſſima, quomodo verba poſſunt eſſe obſcura? Mentitur Sibrandus cùm ait, quaſi ex ſententiâ Lutheri,* dogmata, quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt, *hoc eſt, quæ ab omnibus explicitè ſciri & credi debent*, & quorum ſumma Apoſtolico ſymbolo comprehenſa eſt, eſſe in ſacris litteris perſpicua. *Nam Lutherus expreſſè toti ſcripturæ, & cuicunque eius parti clariſſimam perſpicuitatem tribuit; vt anteà vidimus, productis ipſius Lutheri verbis, quæ nulla vnquam hæretica cauillatio eludet.* Apparet ergo Lutherum pariter & malè docuiſſe & non benè diſtinxiſſe; adeoque in ipsâ obſcuritate obſcurum fuiſſe; ſed ante omnia Iacobo contradixiſſe.

Subſcribunt Luthero & alij Prædicantes. Hinc Brentius, *Nugantur*, inquit, *ſcripturam eſſe obſcuram, ideoq; interpretatione indigere.* Audi, Iacobe, & Tubingâ profuge, ac in Saxoniâ, immò in montibus Lunæ te abſconde, ne nimiùm quantùm erubeſcere cogaris, qui ſcripſiſti: *Quis noſtrûm dixit, ſcripturam eſſe ita claram ac facilem, vt nec precibus, nec* INTERPRETATIONI *ad ſenſum illius verum aſſequendum locus vllus ſit?* Vis ſcire quis dixerit? Brentius dixit; dixit & Philippus Melanchton, illis verbis. *Cenſeo non aliter atq; peſtem fugiendos hominum commentarios in rebus ſacris, quòd doctrina Spiritûs purè niſi è ſcripturis hauriri non poſſit.* Dixit & Rollotus.

Brent. in Prolegom. contra Petrum à Soto.

Aran. 71.

Melanch. in locis An. 1523. Argentorati excuſis ſub finem.

Dixerunt & alij. Ita enim de illis doctiſsimus Gordonus. *Aduerſarij in principio docebant, ſcripturam* IN VNIVERSVM *eſſe facilem, non obſcuram. Verùm cùm Catholici obijcerent plurima loca obſcura, immò integra capita ex Canticis Canticorum, Ezechiele, & aliis Prophetis,*

Rollot. lib. de Vocat cap. 9. & 10.

Iac. Gordon. Huntl. controuerſ. 1. c. 21.

 muta-

Digitized by Google

mutatâ ſententiâ nunc fatentur, non pauca loca eſſe obſcura in ſacris litteris, ſed dicunt, omnia neceſſaria ad ſalutem extare in locis apertis. Nempe eadem eſt hæretici cuiuſque vox, quæ fuit Acheloi quondam cum Hercule congreſsi, eundemque varias ſe ſe in formas tranſmutando eludere conantis. Ita enim Achelous, aut lubricus hæreticus loquitur.

Ouid. 8. Metam.

Inferior virtute, meas conuertor ad artes:
Elaborq; viro, longum formatus in anguem.

CAPVT XXV.

QVAM INEPTE NVNC PRÆDICANTES SALTEM FIDEI DOGMATA AB OBSCVRITATE SCRIPTVRARVM EXIMANT?

Hæreticorum in ſententijs ſuis defendendis inconſtantia.

QVI Acheloum hominem, idem etiam Acheloum anguem, & Acheloum taurum ſuperauit. Nihil proficitis Lutherani; vt homines, contra Eccleſiam ac veritatem diuinam inualidi eſtis: vt ſerpentes, quamuis in mille flexos orbes ſinuati, & Lerneæ Echidnæ inſtar vulneribus veſtris fœcundi, à forti tamen clauâ domamini; à victrici pede calcamini. Ad talem enim Draconem etiam de Eccleſiâ dictum eſt. *Ipſa conteret caput tuum*; Et, *Portæ inferi non præualebunt aduerſus eam*: denique vt tauri quoque ferocientes cornua perditis, omneque robur à truncâ vobis fronte reuellitur. Sic mactandi, donec vel cum Acheloo *agreſtes vultus*

Gen. 3. 15. Matth. 16. 18.

Et lacerum cornu medijs caput abditis vndis.

immò donec vel *Stygiis caput abditis vmbris*, vel depoſitâ ſuperbiâ, quâ ſanctorum Patrum, totiuſque Eccleſiæ Catholicæ ſenſum & conſenſum ſuperciliosiſsimè aſpernamini, ad veritatem Eccleſiamque reditis; in quâ ſolâ eſt vera fides, vera ſubmiſsio, verus ſcripturæ ſenſus, verus Spiritus ſanctus, ſine quibus ſacræ

Digitized by Google

cræ litteræ nunquam vobis claræ, nunquam lucidæ erunt; Nam *Teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans paruulis,* hoc eſt, non magnis illis & ſuperbis, qui ſibi digito videntur cœlum attingere, & ſoli ſapere. *Abſcondiſti hæc,* ait Dominus, *à ſapientibus & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis;* Eccleſiæ ſeſe ſubmittentibus. *Pſal.* 18. 8. *Matth.* 11. 25.

Quæ Eccleſia ſcripturam ſacram non ſolùm quoad verba modumque proponendi ac ſignificandi, ſed etiam quoad res ipſas difficilem & obſcuram eſſe agnoſcit; atque adeo non ſolam citra vllius cuiuſq; interpretationem poſſe Religionis lites omnes dirimere ſentit. Ex quo ipſo Lutherani Caluinianique Protei ad nouas artes conuerſi, nouis plagis verberantur. Scriptura nō ſolùm quoad verba, ſed etiam quoad res multas obſcura.

Nam, licet breuiſsimè Apoſtatam Iacobum, ſicut ille nos ad Hunium ſuum relegauit, ita ego eum ad Iacobum Gretſerum, Hunniani fuci & fraudis refutatorem, Bellarminianæque veritatis & ſinceritatis inuictum defenſorem, relegare poſſem; tamen vt vel ſæpiùs appareat, quantas nugas hæretici agant, quamque cramben eandem ſæpe apponant iſti coci, oſtẽdam, nec dum eos euadere, quantumcunq; ſtatum quæſtionis pro libitu ſuo forment atque reforment.

Ait itaque Apoſtata. *Verus huius controuerſiæ ſtatus iſte eſt; An ſcriptura ita in neceſſariјs clara ſit, vt à populo cum fructu legi, & ex illâ ſolâ fidei controuerſiæ omnes dirimi poſſint?* vt Lutherani & Caluiniſtæ altercantur. *Aran. pag.* 71.

Similia deſpumat Hunnius his verbis: *Sunt quidem aliqua in ſcripturis obſcura, & intellectu difficilia; at quod attinet ad dogmata fidei, ea maximè, quæ inter nos & Papiſtas controuertuntur, ſunt illa tam clarè propoſita in ſacris litteris, vt ſi ſolis radio ſcripta forent, vix clariora eſſe queant.* Contra hæc *Hunn. de Colloquio cum Pontificiis ineundo Theſ.* 273. *& in Exam. lib.* 3. *c.* 1. *Bell.*

I. Rectè ſolideque reſpondet Gretſerus. *Ergo ſi pauciſſima capita excipias, quæ omnibus ſcitu neceſſaria cenſentur, cætera non erunt dogmata fidei. Licebit igitur ſine fidei diſcrimine potiſſimam ſacræ ſcripturæ partem negare. Cur enim negare non liceat ſine hæreſeos crimine, quod non eſt dogma fidei? Vidimus nuper Hunnium in hoc luto miſerabiliter hærentem,* *Gretſer. Defenſ. Bell. lib.* 3. *cap.* 1.

tem, & luctantem, nec tamen quâ ratione eluctaretur, ſatis diſpicientem. Etſi enim pleraque quæ ſacræ litteræ tradunt, explicitè cognoſcere non ſit neceſſarium ad ſalutem: neceſſarium tamen eſt, vt aſſenſu contrario in ea non impingam, ſi mihi proponantur; quod certè facillimum erit, ſi quis ſine duce, & indice lumen præferente, res tam tenebricoſas euoluere, & perſcrutari velit, ingenij ſui non tam bonitate, quàm temeritate fretus, vt hæretici faciunt; qui non tantùm articulos fidei Chriſtiano ſcitu neceſſarios, ſed & tota Biblia modici ſui ingenij anguſtijs ſe ſe comprehendere poſſe, vaniſſimè credunt.

Hæc pluraque tu, Iacobe Prædicans, Hunnio reſponſa eſſe ſciuiſti, & iterum per fallaciam, veteratorio tuo more diſsimulâſti, immò auſus es adhuc etiam iactanter ſcribere, *fraudem fucumq; Bellarmini præclarè monſtrauit Hunnius*; cùm ſcires fraudem fucumque Hunnij præclarè monſtrâſſe Gretſerum, de quo tu ipſe alibi ad Meiſnerum ſcripſiſti, *Vide, ſi lubet, quæ Iacobus Gretſerus veſtro infelicis memoriæ Hunniò, &c. repoſuit.* Sed nempe hic mos eſt veſter, victi triumphatis, & canum inſtar, quod vomere coacti eſtis, iterum auidè deuoratis. Præclarum epulum; pro præclaris ventribus!

Iac. Reibing. in Excub. cap. 1. §. 2.

II. Ex dictis ita colligo. Scriptura in ijs, quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem, clara eſt, vt tu dicis, tuique nunc Prædicantes: at quidquid in totâ ſcripturâ cõtinetur, neceſſariũ eſt ad ſalutem, cùm ſimpliciter ad ſaluté neceſſarium ſit, vt nihil eorum negem, quæ in totâ ſcripturâ continentur: Ergo tota ſcriptura clara eſt, adeoque futilis eſt diſtinctio veſtra. Neque mihi dicas, non omnia quæ in ſcripturâ ſunt ad ſalutem neceſſaria eſſe. Eſto enim non ſint neceſſaria, vt omnia ſciam, ſunt tamen neceſſaria, vt nihil negem. Quid ſi ergo proprij cerebri Prædicans illa vt intricatiora & obſcuriora non intelligens in dubium vocet? ſi neget? non pro hæretico eum habebis? Neceſſarium ergo aliquid, immò multa neceſſaria ſunt in ſcripturis obſcura. Vel potiùs tota *vndequaque* ſcriptura eſt clara, quod tu negas.

III. Si concedis, Iacobe, ſcripturam *verbis* non *ita claram eſſe vſquequaque, vt nulla in illis ambiguitas, obſcuritas, aut difficultas;*

item

item non *ita claram ac facilem vt nec precibus, nec interpretationi ad ſenſum illius verum aſſequendum locus vllus ſit*; quæro in quo libro ſcripturæ legeris, ſcripturam *ambiguitatem, obſcuritatem, ac difficultatem* tantùm habere in illis locis, vbi non proponuntur articuli, qui ab omnibus explicitè ſunt credendi? Quòd ſi etiam in his ipſis locis reperiri ſubinde *ambiguitatem obſcuritatem, aut difficultatem* fateris, adeoque *interpretationi ad ſenſum illius verum aſſequendum locum* concedis; iterum quæro, quis idoneus ſit interpres? An Grammatici? At illis tantùm cum vocabulis eſt negotium. An tu? An alius priuatus homuncio? At ſic tot erunt diuerſi Iudices, diuerſæque tot ſententiæ, quot diuerſa capita: quare hoc pacto lis componi, obſcuritaſque depelli non poterit; augeri potiùs poterit. Quiſque enim dicet, ſe benè ſentire, & alium malè. Nónne igitur tandem ad Traditiones & infallibilem Eccleſiæ auctoritatem te recipies?

IV. Quæro, cur fatearis, *interpretationi ad verũ* ſcripturæ *ſenſum aſſequendum locum eſſe?* Añe præter verborum obſcuritatẽ, etiam aliquã obſcuritatẽ ſenſûs in ſcripturis agnoſcis? At ſic partim teipſum impugnas, quid ſi enim in illo ipſo obſcuro ſenſu aliquis fidei articulus latitaret? partim Luthero tua palã cõtradicis, ex quo ſuprà audiuiſti: *Res in ſcripturis contenta* OMNES *ſunt prodita, licet quadã loca adhuc verbis incognitis obſcura ſint.* Et adeò attonitus es, vt vel ipſe Lutheri verba contra te citaueris. Ille ob ſolã ignorantiam vocabulorum, tu etiam ob ſenſum latentem, obſcuritatem ſcripturis ineſſe concedis. Ait enim vel apud te Lutherus: *Multa loca in ſcripturis obſcura & abſtruſa non ob maieſtatem rerum, ſed ob ignorantiam vocabulorum & Grammatica, ſed qua nihil impediant ſcientiam omnium rerum in ſcripturis.* Ita paucis pagellis immemor es, vt contradictorium in contradictorij auxilium aſſumas. Lutherus ſolùm obſcuritatem in vocabulis, nullam *in ſcientiã omnium rerum*, nullamque in ſenſu agnoſcit, tu ad *verum ſenſum aſſequendum*, interpretationi & precibus locum concedis. Neque euades, ſi dicas, ſcripturam per ſcripturam explicari, adeóque ſuijpſius interpretem eſſe. Vel enim ſermo eſt de ſcripturâ *in neceſſarijs*, & ibi interpretatione ex veſtrâ ſenten-

IV. Quartum Argumentum.

Aran. pag. 73.

Digitized by Google

tiâ non eget, *ſunt* enim *illa*, teſte Hunnio, *tam clarè propoſita in ſacris litteris, vt ſi ſolis radio ſcripta forent, vix clariora eſſe queant*: & ſanè non in vno tantùm, ſed & in altero teſtimonio omnia loca ita clara eſſe, vel Lutherus ſuprà citatus teſtatur, dicens: *Non ſic illuminauit nos Chriſtus, vt* ALIQVAM *partem obſcuram voluerit relictam nobis in ſuo verbo*; ſi ergo omnis pars ſcripturæ clara eſt, quomodo vna per aliam debet explicari tanquam obſcura, per claram? Quis ſoli lumen accendat? vel loqueris de illis, quæ non ſunt ſingulis ſcitu neceſſaria, & iam infinita penè loca inuenies, quæ ab alijs locis non declarantur; vt fit in multis hiſtorijs ſcripturæ, in quibus non ſeruatur ordo rerum geſtarum, & ſæpe ſupputatio annorum nequaquam liquida eſt; citanturque non rarò libri, qui quia non extant, ambiguum ſuſpenſumque relinquunt lectorem: vt liber bellorum Domini, liber iuſtorum: liber verborum dierum Salomonis: liber ſermonum dierum Regum Iuda, & Regum Iſraël, &c.

Num. 21.14. *Ioſue* 10.13. 3.*Reg.* 11.41. 3.*Reg.* 14.

V. Argumentum.

V. Quæro, cur obſcuritates aliquas Deus in nõ neceſſarijs ſcripturæ relinquere voluerit, in neceſſarijs autem non voluerit relinquere? ſi enim eadem cauſſa vtrobique, malè excipitis. Nam obſcuritates eſſe aliquas & tu concedis, Iacobe, & varijs modis Patres monſtrauerunt. Quam ipſam ob rem ſcripſit Origenes Biblia eſſe librum ſignatum: Chryſoſtomus, eſſe in ijs abyſſum quæſtionum; itemque eſſe agrum, in quo defoſſus & abſconditus ſit ſapientiæ theſaurus (qui autem alius ſapientiæ melior, quàm Fidei theſaurus? & tamẽ hic ipſe eſt in ſacris litteris abſconditus, hoc eſt, non apertus, multoque minùs apertiſsimus & clariſsimus) ideoque neceſſarium eſſe, vt profundè in eo fodiatur: S. Ephrem, Eſſe conchylium, in quo lateat margarita: S. Auguſtinus, Eſſe arcum, è quo boni, & mali ſagittas poſsint iaculari: itemque eſſe nubem, è quâ iuſto pluuia ſit vbertatis, peccatori pluuia laqueorum. Sancti autem iſti Patres non ſolùm conantur oſtendere, vnde illa ſcripturarum obſcuritas; ſcilicet ex phraſeon & proprij ſermonis ratione, ex ſenſuum varietate, vt D. Hieronymus & D. Auguſtinus monent; ex rerum ſublimitate & maieſtate (quod benè nota con-

Orig. hom. 12. *in Exod.* *Chryſ hom.* 19. & 29. *in Acta Apoſtol.* & *hom.* 40. *in Io.*

S. Ephrem lib. de Virtutibus cap. 8.

S. Aug. in Pſa. 7. & *in Pſ.* 10. *Vide apud Serar. Proleg. Bib. c.* 22 *q.* 2. *S. Hier. epiſt.* 142. *ad Damaſum D. Aug. in Pſ.* 21.

Digitized by Google

contra Lutherum) ex ijs, quæ inter ſe conſentire non videntur, &c. ſed etiam quærunt, cur diuinas litteras S. Spiritus Apoſtolique & Prophetæ obſcuras reliquerint, vt videre eſt apud Rupertum, & ipſum Auguſtinum, Origenem, Clementem Alexandrinum, D. Gregorium & alios.

Rupert. in Apocal. lib. 6. Aug. lib. 2. de doctr. Chriſt. c. 6. & in Pſal. 140. Orig. lib. 4. de Princip. Clemens lib. 6. contra Iulian. Greg. hom. 6. in Ezech.

Si ergo cauſſas huius obſcuritatis ac difficultatis non indiligenter indagemus, videbimus eas æquè, & verò nonnullas multò magis locum habere *in neceſſarijs*, quàm in non neceſſarijs. Quod argumentum hîc in genere propoſitum, ſequenti capite in ſpecie lubet, & paulò impenſius explicare, vt Hunnij, Iacobi, aliorumque heri natorum Prædicantium nihili diſtinctio pueris poſthac adhuc à ferulâ rubentibus, & à materno lacte candidis reſeruetur. Viros enim non decipiet, qui ſub quo lapide ſcorpius dormiat, ſuſpicari didicerunt.

CAPVT XXVI.

CAVSÆ OB QVAS SCRIPTVRÆ DIVINAE OBSCVRITATE INVOLVVNTVR, AN NON ETIAM NECESSARIIS COMPETANT?

ITAQVE VI. ſi cauſſas ipſas, ſeu ex parte ſcripturæ, ſeu ex parte Dei, ex quibus quoad verum legitimumque ſenſum oritur ſcripturæ obſcuritas, ſpeciatim in trutinam conijciamus, 1. Nónne quoad rem æquè, immò magis myſteria fidei, quàm myſteria hiſtoriarum, vaticiniorum, præceptorum ceremonialium, ceterorumque quæ in ſcripturis exhibentur, difficilia ſunt intellectu? cùm non niſi in ænigmate in hac quidem vitâ à nobis videantur? Quò non incommodè referri poteſt illud Seruatoris: *Si terrena dixi vobis, & non creditis: quomodo ſi dixero vobis cæleſtia, credetis?* Si, inquam, ô hæretici, humana quæ in ſcripturis recenſentur, vt ſunt hiſtoriæ quædam, non

VI. Argumentum.

1. Cauſſa obſcuritatis ex ſcripturæ parte.

1. Cor. 13. 12. Ioan. 3. 12.

Digitized by Google

non *vſquequaq;* vobis ſunt limpida, cur vos diuina lynceis intueri oculis iactitatis?

1. Cauſſa obſcuritatis.

2. Si modum tractandi examinemus, nónne *in neceſſarijs* æquè occurrunt locutionum figuræ? tropi? ſchemata? hyperbolæ? metaphoræ? allegoriæ? parabolæ? quibus tanquam inuolucris multæ veritates abſconditæ, velut poſt ſiparium latent? Immò aliquando idem vocabulum in eâdem ſententiâ nunc propriè, nunc per tropum vſurpatur, vt in illâ ſententiâ: *Eum qui non nouerat peccatum* (quo tanquam culpa macularetur, adeoque *verum peccatum*) *pro nobis peccatum fecit*, hoc eſt, hoſtiam, quæ pro peccato offerretur. Ex neceſſarijs enim vtique vnum eſt; credere & Deum *peccatum* propriè *facere* non poſſe, & Chriſtum impropriè *peccatum*, (hoc eſt, hoſtiam pro peccato totius humani generis) factum eſſe.

2. Cor. 5, 21.

Conſule S. Aug. lib. 2. de conſenſu Euangeliſtarum c. 30.

3. Cauſſa obſcuritatis.

3. Nónne *in neceſſarijs* quoque offerunt ſeſe præter ſermonis vocumque figuras etiam in ipſis rebus quædam figuræ? cùm ſæpe vna res alterius ſit figura. Cur enim Apoſtata, vt figuram Melchiſedechi ſacrificium noſtrum incruentum ſub panis & vini ſpecie ſignificantem, cur vt figuram Agni Paſchalis nobis eripiat, omnem rudentem mouet, quouis nautâ naufragium metuente magis ſolicitus? Nunquid quia de quodam fidei dogmate in hiſce talibus figuris agitur? Atqui eo ipſo, quòd vna res in diuinis litteris alterius ſit typus, & figura, obſcuritas ſæpe exiſtit; quando ſcilicet vel non ſatis apparet, quæ res cuiuſnam rei ſit figura; vel quando vna eademque res aut eſt figura alterius rei in vno, non autem in altero; aut etiam prorſus diuerſa, immò & clarè repugnantia, in typo ſuo ſignificat; ſicut, teſte Auguſtino, diluuium tam baptiſmum fidelium, quàm ſupplicium infidelium ſignificauit; Quid hîc faciet popellus Lutheranus, an illi baptiſmus fidelium idem erit, quod infidelium ſupplicium, cùm ab eâdem figurâ ſignificetur?

Aran. cap. 24. pag. 222.

Aran. cap. 25. pag. 248.

S. Auguſt. ep. 99. ad Euod.

4. Cauſſa obſcuritatis.

4. Nónne *etiam in neceſſarijs*, lectori ſcriptura obijcit apparentes contradictiones & antilogias, quas inter ſe conciliare labor & difficultas eſt? Quid faciet ſimplex populus, cùm legerit

gerit apud Ioannem: *Si ego teſtimonium perhibeo de meipſo, teſtimonium meum non eſt verum*: & apud eundem legerit: *Si ego teſtimonium perhibeo de meipſo, verum eſt teſtimonium meum?* An dicet Spiritum ſanctum in alterutro loco falſum dixiſſe? Quid aget, ſi legerit? *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam*: Et iterum legerit: *Spiritus eſt, qui viuificat, caro non prodeſt quidquam*; An ideò à cœnâ ſuâ abſtinebit, vel Chriſtum in altero loco ſui oblitum eſſe dicet? Quid incipiet, ſi legerit, *ſi circumcidamini, Chriſtus vobis nihil proderit*: & in eodem Apoſtolo legerit: *Circumciſio quidem prodeſt, ſi legem obſerues.* An tum ad acutum ſilicem, & cultrum ſaxeum anhelabit? an inter ſacrum, quod dicitur, & ſaxum anceps hærebit? Quid ſi legerit, *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus*; & ſi in eâdem rurſus epiſtolâ legerit: *Omnis qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit?* arbitrabitúrne ſe ex Deo, an ex Diabolo natum? Vbi ergo erit fiducia illius? vbi ſpecialis fides? vbi plerophoria certaque & euidens de ſalute certitudo? An aliquos ad cœleſtem hæreditatem admittet, qui non ſunt filij Dei? Nónne in his atque alijs talibus ſexcentis trepidabit, & ea quæ neceſſariò credere deberet, in dubium reuocabit, aut ſuis ventis nauigans, ad nouos portentoſoſque interpretationum ſcopulos allidetur? Nam ſi eruditiſsimi nominis viris hæc talia negotium ſæpe faceſſunt, quid Menalcas aliquis, cui durius, quàm pſittaco caput eſt, patietur? Si aquilis vix cernuntur iſta, à talpis quo modo perſpicientur?

Ioan. 5. 31. — *Ioan.* 8. 14. — *Ioan.* 6. 55. — *Gal.* 5. 2. — *Rom.* 1 25. — 1. *Ioan.* 1. 8. — 1. *Ioan.* 3. 9. — *Vide S. Aug. in libris de conſenſu Euangeliſtarũ, quantùm laboret, vt omnia in concordiam redigat.*

5. Nónne *in neceſſariis* quoque ſcriptura ſæpenumerò ambiguum efficit ſenſum? vt cùm de Deo, de Chriſto, de Aduentu Chriſti, de Eccleſiâ loquitur, nullâ adhibitâ diſtinctione vel perſonarum in Deo, vel naturarum in Chriſto, vel primi aut ſecundi Aduentûs Chriſti, vel Eccleſiæ militantis aut triumphantis. An enim Lutheranus aliquis v. g. legens: *Aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum*; colliget, vel Deum Patrem (perſonaliter acceptum) per æternam generationem ſuum quoque, ſicut Chriſti eſſe Patrem? vel Chriſti Patrem non aliter eſſe, quàm ipſe Chriſtus & Spiritus ſanctus noſter per creatio-

5. Cauſſa obſcuritatis. — *Ioan.* 20. 17.

tionem, gubernationem,& adoptionem eſt Pater? Hinc Scylla, inde Charybdis.

6. Cauſſa obſcuritatis.

6. Nónne & *in neceſſariis* alia occurrere ſolent frequenter, quæ ſcripturas nube quadam & caligine circumſepiunt, vt cùm nihil minùs expectante lectore, repentè de ſenſu litterali ad myſticum, de carnalibus ad ſpiritualia, de temporalibus ad æterna,de regibus Iſraël ad regem Chriſtum fit tranſitus?

7 Cauſſa obſcuritatis.

7. Denique nónne & *in neceſſariis* ſubinde admiſcentur hebraiſmi? connectunturque ea, inter quæ connexio non eſt; vel diſſoluuntur,inter quæ connexio eſt? Quâ conſcientiâ igitur Prædicantium tirunculi *neceſſaria* ab obſcuritate eximunt? Oſtendant, vbi Spiritus ſanctus, aut cur hanc diſcriminis iſtius legem ſibiipſi poſuerit. Ego facilè rationes afferam, ob quas, Deo ita diſponente ac volente, ſcriptura ex parte rerum ac myſteriorum etiam neceſſariorum alioqui obſcura, ex ipſo inſuper tractandi modo obſcurior euaſiſſe videatur.

1. Cauſſa,cur Deus ſcripturas voluerit eſſe obſcuras? *Plutarch. in Iſid. & Oſirid. & Strab. lib. 17.*

Itaque primò, quemadmodum Aegyptij olim in omnium templorum ſuorum liminibus Sphinges collocauerunt, vt ipsâ rerum diuinarum obſcuritate indicatâ, maieſtatem quoque earundem indicarent: quemadmodum & ipſi Aegyptiorum Sacerdotes arcana ſua, hieroglyphicis, hoc eſt, arcanis litteris inuoluerunt: quemadmodum ipſe etiam Ariſtoteles, cùm clariùs potuiſſet, vt ex alijs eius libris apparet, tamen ne ſublimior illa doctrina paſsim prophanaretur, acroamaticis eam libris circumſepſit: ob quam ipſam rationem aliqui *σοφίαν, ſapientiam*, quaſi ζοφίαν à ζόφος, quod eſt caligo & tenebræ, dici iudicant, eſt enim quiddam ſublimius ſapientia, quàm vt omnibus paſsim obuiam ea debeat eſſe: ita Deus, per ſcripturæ obſcuritatem,quaſi de columnâ nubis nobiſcum loqui decreuit, ne ſi ſcriptura eſſet intellectu facilis,& tam ab Ethnicis, quàm à fidelibus, ſine vllo negotio perſpiceretur, maieſtatem auctoritatemque perderet. Faciliùs enim, quæ obuia ſunt, contemnuntur. Quo ſenſu S. Thomas, immò & S.Auguſtinus illud accipit: *Nolite dare ſanctum canibus, neq; mittatis margaritas veſtras ante porcos, ne fortè conculcent eas pedibus ſuis.* Hæc prima

S.Thom. 1.p.q. 1.art.9.ad 2. S. Aug. vel quiſquis ille eſt, hom.7.in Apo.

cauſſa,

cauſſa *neceſſariis* quoque, immò neceſſarijs vel maximè competit, niſi aduerſarij minorem dogmatis ſuis, quàm hiſtorijs ſuis tribui velint auctoritatem.

Altera cauſſa eſt, quòd Dominus Deus quemadmodum vbique amat ſeruari ordinem, ita & in Eccleſiâ; cuius pulcherrimus ordo eſt, vt alij ſint qui doceant, alij qui diſcant: nam *ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Euangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores, ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterij in ædificationem corporis Chriſti,* id eſt, Eccleſiæ; in quâ ſicut in corpore quodam non vnum eſt officium omnium membrorum: Sicut enim in corpore non omnia ſunt oculi, neque omnia vident; ita in Eccleſiâ, *nunquid omnes Apoſtoli? nunquid omnes Prophetæ? nunquid omnes Doctores? nunquid omnes interpretantur?* At ſi ſcriptura tam eſſet perſpicua, ſaltem in omnibus *neceſſarijs*, vt ab omnibus clariſsimè intelligi poſſet, ſolueretur hic ordo Dei, & in præcipuis rebus Doctore, aut interprete non indigeremus. Quod quis credat? Quaſi Deus propter acceſſoria & velut parerga, certè propter non neceſſaria Doctores atque interpretes conſtituat, à quorum ore pendeamus; in *neceſſarijs* nobis ipſis duces & magiſtri eſſe debeamus? Quantæ hinc turbæ? quanta perturbatio naſceretur? Nónne ipſi Prædicantes meritò à cerebroſo aliquo ventis in mare Creticum portandi darentur? Diceret enim talis, Neceſſaria omnia, ſine Doctore, ſine interprete, ſine Prædicante, tanquam clariſsima & ſolis radio ſcripta ex me intelligo; non neceſſaria, ſi non intelligo, non curo: abeant igitur in malam rem Prædicantes. Vt quid enim hoc tam inutile pondus terram grauet?

2. Cauſſa cur Deus ſcripturas voluerit eſſe obſcuras?

Epheſ. 4. 11.

1. *Cor.* 12. 29.

Tertia cauſſa eſt, vt frenum humanæ ſuperbiæ inijciatur, quæ ſe in rebus maximè ad ſalutem neceſſarijs ab Eccleſiæ interpretatione, velut infantem à nutricis vbere & lacte dependere hoc pacto ſentit; nec proprij iudicij libertate poteſt exultare. Quare rectè S. Paulus: *Dico omnibus*, ait, *qui ſunt inter vos, non plus ſapere, quàm oportet ſapere*, qui paulo antè dixerat; *vnicuique ſicut Deus diuiſit menſuram fidei,* ac ſi diceret, ſicut in corpore

3. Cauſſa cur Deus ſcripturas voluerit eſſe obſcuras?

Rom. 12. 3.

Digitized by Google

humano pedes nō vſurpant ſibi munus videndi, audiendi,&c. ita in Eccleſiâ non omnes decet vſurpare munus docendi ac interpretandi. Sed nimirum vt omnibus hæreticis agnatum eſt ſuperbos eſſe, ita omnes in Eccleſiâ, & potiſsimis quidem articulis Eccleſiæ, Doctoris, interpretis, & in ſummâ, capitis vice fungi concupiſcunt, hoc ipſo fungi, quia ſuperbi; ſuperbi autem, quia tanti ſe faciunt, vt plana ac obuia ingenio ſuo exiſtiment eſſe omnia, quæ etiam de altiſsimis myſterijs in ſcripturâ continentur. Cùm planè contrarium accidat. Nam
Rom. 1. 22. *dicentes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt.* Quippe cùm Deus ſuperbis reſiſtat, humilibus autem det gratiam, fit, vt ventis ac humore pleni iudicio proprio nimiùm tribuentes legitimum ſcripturæ ſenſum non aſſequantur.

4. Cauſſa, cur Deus ſcripturas voluerit eſſe obſcuras?

Quarta cauſſa eſt, vt quantò difficiliùs penetrantur altiſſima illa myſteria, tantò ipſo conatu memoriam firmante, altiùs in legentium vel audientium animis inſculpantur. Nam eorum maximè meminiſſe iuuat, facillimeque recordamur, quorum intelligentia & acquiſitio nobis pluris conſtiterunt. Cùm igitur nihil tam nobis infixum eſſe deceat, quàm religionis noſtræ arcana, voluit diuina prouidentia in ijs addiſcendis eſſe laborem, ne in ijs obliuiſcendis pernicioſam experiremur facilitatem.

5. Cauſſa, cur Deus ſcripturas voluerit eſſe obſcuras?

Quinta cauſſa eſt, vt vel in hac ipsâ re Eccleſiæ auctoritas conſeruaretur, tanquam columnæ veritatis, cui Spiritus ſanctus perpetuò aſsiſtit, nec eam errare ſinit. Quoniam ergo verus ſcripturæ ſenſus non poteſt haberi niſi ab auctore ſcripturæ, hoc eſt, à Spiritu ſancto per Eccleſiam loquente (nam
2. Petr. 1. 20. *Prophetia ſcripturæ propriâ interpretatione non fit,* vt tamen Aduerſarij volunt, *non enim,* ait D. Petrus, cauſam addens, *voluntate humanâ allata eſt aliquando Prophetia, ſed Spiritu ſancto inſpirati locuti ſunt ſancti Dei homines*) cur verus eius ſenſus haberi poſſet in ſublimioribus illis, & in minoris momenti rebus ſine Eccleſiâ Spirituque ſancto haberi non poſſet? Si enim illa *Prophetia ſcripturæ propriâ interpretatione non fit*, quæ à *Sanctis Dei hominibus Spiritu ſancto inſpiratis* profecta eſt, quid magis ab eiuſmodi hominibus *Spiritu*

ſancto

Digitized by Google

ſancto inſpiratis profectum eſt, quàm fidei dogmata? Ergo nec illa propriâ interpretatione fiunt: ſed eorum interpretatio à Spiritu ſancto eſt petenda & impetranda.

6. Cauſſa, cur Deus ſcripturas voluerit eſſe obſcuras?

Quæ ſexta cauſſa eſſe poteſt, ob quam Deus ſcripturas ſuas voluerit eſſe non vbique etiam *in neceſſarijs* claras, vt ſcilicet agnitâ noſtrâ imbecillitate ad Deum precandum confugere, & ab eo etiam hunc panem noſtrum quotidianum, hoc eſt, ea neceſſaria, quibus animæ vita & ſalus ſuſtentatur, petere doceremur. Quod ſanè Dauid & alij gnauiter præſtiterunt. Quorum teſtimonia à nobis allata, quàm elumbi reſponſo eludere conetur Apoſtata, inter cætera ſequentis capitis argumenta primo loco patefiet. Itaque progrediamur vlteriùs ad ſpectandam Prædicanticæ diſtinctionis vanitatem, quâ iſti idem præſtant, ac ſi Hylam inclamarent, aut reti ventos venarentur.

Plures cauſſas indicat Serarius Proleg. Bibl. c. 22. quæſtiunc. 2.

CAPVT XXVII.

AN EX SCRIPTVRIS RECTE PROBETVR, SCRIPTVRAS ETIAM IN NECESSARIIS ESSE OBSCVRAS?

VII. Argumentum.

VII. IGITVR Iacobus, & cum eò alij, qui ritu muſcarum lucernæ claritatem ſectantium, & pedes alaſq; tingentium, pereuntiumque, ſcripturas ſaltem *in neceſſarijs ita claras* ſe obtinere arbitrantur, vt *ex illâ ſolâ, fidei controuerſias omnes dirimi poſſe* putent; eleuant, rident, *nihil ad ſtatum, nihil ad ſcopum quæſtionis* afferri clamitant, quando illis producitur Dauid ipſe, *vt legem intelligere poſſit*, ſic orans: *Reuela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tuâ*: Ac iterum: *Da mihi intellectum & ſcrutabor legem tuam*: Iterumque: *Faciem tuam illumina ſuper ſeruum tuum, & doce me iuſtificationes tuas.* Similes cachinnos referes, ſi illis obijcias, *Chriſtum ſcripturas diſcipulis interpretantem*; *Eunuchum ſacras ſibi litteras explicari poſcentem*: vel *Petrum de difficul-*

Pſal. 118 18.
Ibid v. 34.
Luc. 24.27. & 46.

Digitized by Google

tate Paulinarum Epiſtolarum ſcribentem. Vel omnes pariter diſcipulos Chriſtum explicationis gratiâ adeuntes, vel inter ſe collatis capitibus dicentes: *Quid eſt hoc, quod dicit, modicum? neſcimus quid loquitur,*&c. *Ediſſere nobis parabolam,&c. Quò iſta?* dicunt.

Matth. 13. & *cap.* 15. *Luc.* 18. &c.

Parcite cachinnones, audietis denuò, *quò iſta.* Nam etſi à Gretſero alijſque iam crebro crebriùs audiuiſtis; tamen quia cerâ Vlyſſeâ, immò quia pertinaciâ Prædicanticâ animum obdurauiſtis, tanquam aſpides ſurdæ, veritatem nondum admiſiſtis, iterum, iterumq; monendi & percutiendi, ſicut querni trunci, qui vno ictu non cadunt.

Ergo igitur dicitis, *Quis noſtrûm dixit, ſcripturam verbi ita claram eſſe vſquequaque, vt nec precibus, nec interpretationi locus ſit,&c. Nihil igitur ad hunc ſtatum, nihil ad ſcopum Stengelius.* Ad hunc ipſum modũ, & penè ipſis etiam his verbis antehac reſpondit VVitackerus: *Iſta*, inquiens, *cauſam non attingunt. Nemo enim noſtrûm eſt, qui cum Dauide non concedit, Deum aſſiduè orandum eſſe, vt nos doceat legem ſuam, vt illuminet corda noſtra,&c. Ergo hoc Dauidis exemplum fruſtrà nobis obijcitur.*

VVitack. quaſt. 4. *Controuerſ.* 1. *c.* 3.

Nec fruſtrà, nec extra ſcopum obijci monſtrat ipſe Lutherus ab Apoſtatâ citatus dicens: *eſſe multa loca in ſcripturis obſcura & abſtruſa, non ob maieſtatem rerum, ſed ob ignorantiam vocabulorum & Grammaticæ, ſed quæ nihil impediant ſcientiam omnium rerum in ſcripturis.* 1. Si nihil impediunt *ſcientiam omnium rerum in ſcripturis*, cur Dauid dixit, *Bonitatem, & diſciplinam, &* SCIENTIAM *doce me?* 2. Si ignorantia ſola *vocabulorum & Grammaticæ*, obſcuritatem parit in ſcripturis; cur tam anxiè orat Dauid illuminari? an Hebræus inter Hebræos à teneris vnguiculis enutritus vocabula, & Grammaticam Hebraicam ignorauit? & quando dixit, *Reuela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tuâ*, ſenſus fuit, *Explica mihi vocabula Hebraica, & doce me Grammaticam?* Item *mirabilia* illa, quæ ſe *conſideraturum* dicit, poſtquam obſcura eſſe deſierint, quid ſunt? réſne ipſæ, an phraſes & conſtructiones vocabulorum? O *mirabilia* non iam Dei, ſed Lutheri, monſtri ſupra omnem hippocentaurum mirabilis! 3. Si horni Prędicantes, qui aliquam ampliorem in ſcripturis obſcuritatem,

Aran. pag. 73. *Luther. tom.* 3. *Ien. edit.* 1557. *ſcil. lib. ſuprà citato F.* 168. *a. Pſal.* 118.

Eod. Pſal. Cum Lutheraniſne, an cum Catholicis ſentiat de obſcuritate ſcripturæ Dauid?

quàm

quàm vocabulorum, argumentis adacti, fateri cœperunt, tamen ea, quæ omnibus ad credendum neceſſaria ſunt, lucidiſſimè in ſacris litteris perſpiciunt, quid, obſecro, opus fuit Dauidem tam ſolicitè precari? an vt ea, quæ neceſſaria non ſunt, intelligeret? At nihil diſtinguit Propheta, ſed ratione omnium, quæ in lege arcana teguntur, lucem ſibi infundi poſtulat; immò exſertè ait, *doce me iuſtificationes tuas*, quid autem apud Lutheranos ad *iuſtificationes* maximè pertinet? nónne dogmata fidei? nónne ſcitu credituque neceſſaria? cum nullâ re aliâ iuſtificari ſe aſſerant, quàm fide. 4. Si omnia ſcitu neceſſaria Dauidi ita pellucida fuerunt, cur dixit: *Illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte?* vtiq; illud ſcitu Dauidi neceſſarium eſt, quod petit, ne ſine eo *vnquam obdormiat in morte*. Petit ergo illuminari in neceſſarijs etiam doctiſsimus Dauid, ſeu ſcripta illa ſint, ſeu non ſcripta. Et certè ſi ſcripta ſunt, obſcurè ſcripta eſſe oportet: quis enim ſanis vegetiſque oculis præditus illuminari petat, vt Solem aſpicere poſsit in ipſo meridie exſplendeſcentem, & ante conſpectum radios ſuos clariſsimè diſſeminantem? *Pſal. 12. 5.*

Dauidem de obſcuritate ſacrarum literarum cum Catholicis contra Lutheranos ſentire vidimus: videamus, an non idem faciant Chriſtus & Apoſtoli eandem obſcuritatem teſtimonio etiam ſuo approbantes, hæreticorumque fictam claritatem apertiſsimè caſtigantes. Nam quod Ariſtoteles celebrat Heracliti reſponſum, ad eos, qui loqui volentes cum ipſo, detrectabant accedere, quòd in caſâ furnariâ ſedentem viderent, ſic datum; *Ne huic quidem loco Dij deſunt immortales*; etiam Lutheranis Caluiniſtiſque dari poteſt, dum ad diuinam veritatem in abditis obſcuriſque ſacrarum paginarum habitantem accedere nolunt, putantque Chriſtum, qui lux eſt, in tenebris ſcripturarum lucere nō poſſe. Has tenebras ergo etiam ex ipſo *Chriſto ſcripturas diſcipulis interpretante* oſtendimus. Iterum Apoſtata nihil ad rem dici exclamat: & *Quis*, ait, *noſtrûm dixit, ſcripturam, &c. ita claram ac facilem, vt interpretationi non ſit locus?* Iiſdem penè verbis VVitackerus reſpondit, cui reſponſum eſt; *Ariſt. lib. 1. de partib. animal. cap. 5.* *Luc. vlt.* *Gretſer. Defenſ. Bellar. lib. 3. c. 1.*

Lu-

Lutherum dixiſſe, qui ſcripturas luce lucidiores pronunciauit, & Euangelia, etiam pueris *propter claritatem*, nota eſſe poſſe affirmauit.

Quis ergo locus ſit interpretationi in tantâ luce? An ſi Euangelia tam clara ſunt, vt ea etiam pueri intelligant, viri ignorabunt? propter quos ergo interpretatione opus eſt? an propter anſeres Lutheranorum, quibus & ipſis cœlum promiſit Lutherus, nempe ſuum.

Chriſtus ſcripturas interpretans, clarè oſtendit hæreticorum de ſcripturæ claritate ſententiam eſſe falſam.

Adde quod indiſtinctè loquaris, Iacobe. An enim etiam locus eſt interpretationi ſcripturæ *in neceſſarijs?* Si non: ergo ſaltem ratione neceſſariorum & rerum in ſcripturis præcipuarum vos ipſi dicitis locum interpretationi non eſſe; quis enim interpretatione opus eſſe dicat illi rei, quæ ita clara eſt, ac ſi ſolis radio ſcripta eſſet? An enim ſolis radio vlla interpretatio clarior eſſe poteſt? Quid ergo tenebras luci affunderet aliquis, vt luci lucem, interpretationemque clariſsimis ſcripturis afferret? Quòd ſi etiam *in neceſſariis* locus eſt interpretationi, ergo non vſquequaque claræ ſunt *in neceſſariis* ſcripturæ. Quare ad rem eſt, quod attuli, cùm ex Chriſto interpretante Scripturas Scripturarum obſcuritatem demonſtraui. Nec hilum proinde valet Hunniana tua illa de *neceſſariis* diſtinctio. Quis enim tam impudens, quis tam lapidei ingenij ſit, vt affirmare audeat, Chriſtum, cùm ſcripturas de paſsione, deque Reſurrectione ſuâ docentes à Moſe & Prophetis incipiens interpretatus eſt, diſcipulos ſuos de *neceſſariis* non inſtruxiſſe? quaſi non neceſſarium fuerit, Chriſti Paſsionem & Reſurrectionem credere. Vnde & illa reprehenſio eos verberauit, *O ſtulti & tardi corde ad credendum in* OMNIBVS, *quæ locuti ſunt Prophetæ! Nónne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam? Et incipiens à Moyſe &* OMNIBVS *Prophetis, interpretabatur illis in* OMNIBVS *ſcripturis, quæ de ipſo erant.* An non ſcitu credituque neceſſaria erant, ob quæ *tardi corde ad credendum* nominabantur? An non inter OMNIA *quæ locuti ſunt Prophetæ,* OMNES, etiam aliqua ad ſalutem neceſſaria extiterunt? Denique ſi Chriſtus *interpretabatur illis in* OMNIBVS *ſcripturis, quæ de ipſo erant,* ergo *in omnibus ſcripturis*

Luc. 24. 25.

tis, quæ de ipſo erant, aliquid interpretatione dignum inuenit, quod & diſcipuli non intelligerent, & Magiſter explicaret. Quâ explicatione quid opus fuit, ſi, vt Apoſtata affirmat Lutheranoſque affirmare ſcribit, *ſcriptura ita in neceſſariis clara ſit, vt ex illâ ſolâ, fidei controuerſiæ* OMNES *dirimi poſſint?* Cur diſcipuli de Reſurrectione Chriſti ambigui, ſcripturas tam perſpicuas non conſuluerunt? immò cur non intellexerunt antè, quàm Magiſtrum nanciſcerentur, qui eis lucem præferret? *Aran. pag. 71.*

Ac ne cum Luthero ad dolum confugias, Iacobe, quem illis verbis callidè præſtruxiſti, *Quis noſtrûm dixit, ſcripturã* VERBIS *ita claram eſſe vſquequaq;* &c. (quanquam pro inconſtantiâ tuâ, paulò poſt contra diſerta Lutheri verba, etiam ad *ſenſum* ſcripturæ *verum aſſequendum locum interpretationi* concedis, ita nuſquam certum pedem figis, ne deprehendaris, immò vt tantò ſæpiùs deprehendaris) ne, inquam, dicas, *ob ignorantiam vocabulorum & Grammaticæ*, interprete Diſcipulis illis opus fuiſſe, multa obſtant. Primùm, quòd Diſcipuli illi Hebraicæ linguæ nequaquam fuerint obliti; nec Chriſtus dicatur illis Grammaticam Hebræam aut vocabula, ſed ea *quæ de ipſo erant*, interpretatus. Deinde quòd Lutherus ibidem addat, obſcuritatem ſcripturæ ex ignorantiâ vocabulorum & Grammaticæ *nihil impedire ſcientiam omnium rerum in ſcripturis.* Tertiò, quòd idem Chriſtus Seruator noſter congregatis vndecim & ijs, *qui cum illis erant*, apparens, eoſq; in fide Paſsionis ac Reſurrectionis inſtruens, non verba, ſed *ſenſum* ſcripturæ aperuiſſe ibidem memoretur. *Hæc ſunt verba*, inquit, *quæ locutus ſum ad vos, cùm adhuc eſſem vobiſcum, quoniam neceſſe eſt impleri omnia, quæ ſcripta ſunt in lege Moyſi, & Prophetis, & Pſalmis de me. Tunc aperuit illis* SENSVM, *vt intelligerent ſcripturas.* Quas ſcripturas? an de rebus non neceſſariis agentes? Nequaquam, ſed de præcipuis fidei myſteriis tractantes. Nam *dixit eis. Quoniam ſic ſcriptum eſt, & ſic oportebat Chriſtum pati, & reſurgere à mortuis, tertiâ die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remiſſionem peccatorum in omnes gentes, &c.* Nónne hæc, quæ Apoſtoli ipſi non intellexerunt ſine interprete Chriſto, *neceſſaria* fuerunt? *O ſtulti & tardi corde ad credendum* Prædicantes! *Luc. Vlt. v. 45.*

Ad oſtendendam ſcripturæ obſcuritatem attuleram & Eunuchum, qui *venerat adorare in Ieruſalem*: adeóq; admodùm religioſus, *& reuertebatur ſedens ſuper currum ſuum, legensq; Iſaiam Prophetam* in ipsâ viâ, adeóq; admodùm ſcripturæ ſtudioſus fuerat, & tamen interrogatus à Philippo, *Putásne intelligis, quæ legis?* reſpondit: *Et quomodo poſſum, ſi non aliquis oſtenderit mihi?* Hinc ergo collegeram, ſcripturas non eſſe *vſquequaq;* lucidas, ſi interpretatione egerent. Concedit hoc contra Lutherum, & alios natu maiores Lutheranos Prædicantes Apoſtata, cum quibuſdam palinodiam canentibus alijs recentioribus Prædicantibus, qui palpatâ amentiæ abſurditate, ſtultam illam auorum ſuorum ſententiam incudi reddiderunt; & decantatam illam vniuerſalem ſcripturæ claritatem, ad neceſſaria dũtaxat coarctârunt. In hoc nunc cardine res eſt.

Act. 8. 27.

Eunuchus ignorans & Philippus interpretans ſenſum ſcripturæ, hæreticos etiam recens è terrâ natos confutant.

Age igitur, Iacobe, dic ánne ſcitu credituq; neceſſaria fuerint illa, quæ de Chriſto in Iſaiâ legit Eunuchus? *Locus autem ſcripturæ, quam legebat, erat hic: Tanquam ouis ad occiſionem ductus eſt: & ſicut agnus coram tondente ſe, ſine voce, ſic non aperuit os ſuum. In humilitate iudicium eius ſublatum eſt. Generationem eius quis enarrabit? quoniam tolletur de terrâ vita eius.* Certè *aperiens Philippus os ſuum, & incipiens à ſcripturâ iſtâ euangelizauit illi* Iesvm; & quidem ita euangelizauit, vt Eunuchus & *crederet Filium Dei eſſe* Iesvm *Chriſtum*, & baptizari cuperet, tandemq; etiam baptizaretur.

Quid hîc facies, Iacobe? an rurſus à Caluiniſtâ VVitackero effugium emendicabis, diceśq; Eunuchum illum fuiſſe *imperitum & minùs exercitatum in ſcripturis?* nam ita videris innuere, dum ais, *ſcripturam non ita claram ac facilem* eſſe, *vt nec precibus, nec interpretationi, ad ſenſum illius verum aſſequendum, locus vllus ſit; aut cuiuis in legendâ ſcripturâ tironi perinde, atq; diu exercitato, omnia peruia intellectúq; facilia ſint.* Nempe qui apud Caluiniſtas aut Lutheranos ſcripturas non didicerunt, imperiti ſunt? Nempe Eunuchus iſte, qui etiam in ipſo itinere ac viâ, nedum domi & in bibliothecâ diuina volumina aſsiduâ manu verſauit, *in legendâ ſcripturâ tiro?* & vt Sibrandus ait, *laicus* fuit? Atqui hoc nihil illi obſtitit, quò minùs Chriſti generationem, Paſsionem-

Aran cit. pag. 71.

Digitized by Google

nemq; ex Iſaiâ diſceret, cùm, te teſte, *ſcriptura ita in neceſſariis clara ſit, vt à populo* etiam, & quocunque Laico (cur non & tirone?) *cùm fructu legi, & ex illâ ſolâ Fidei controuerſiæ omnes dirimi poſſint.* cur ergo Eunuchus ille ex tam clarâ ſcripturâ ſeipſum in Fide non inſtruxit? præſertim tam diligens lector ſcripturæ? cur Philippo interprete viuo opus habuit? Nempe vobis Lutheranis per ſe clara ſunt, quæ abſque interpretatione id ſunt, quod aër abſq; luce. Ac ſanè ſi certam & infallibilem Eccleſiæ Spiritûſq; ſancti interpretationem ſeiungamus, nequaquã caput illud quinquageſimum tertium Iſaiæ ita clarum eſt, vt à pertinaci non poſsit aliò torqueri, cùm id de facto Iudæi faciant, ne Seruatori noſtro aliquid concedere cogantur. Quare & B. Hieronymus teſtatur, Chriſtum in illâ ſcripturæ litterâ *clauſum latuiſſe*, itaq; interpretationis claui fuit aperiendus. Nec ſine cauſsâ dixit Eunuchus, *obſecro te, de quo Prophetâ dicit hoc? de ſe, an de alio aliquo?* fuit enim illa interrogatio non intelligentis. Igitur ſi prophetia illa obſcura fuit, ſiq; *neceſſaria* cõtinuit, ſequitur etiam Prophetias & Scripturas aliquas, quæ neceſſaria continent, eſſe obſcuras. Vel certè, ſi Prophetia illa clara fuit, ſequitur nihil feciſſe aut profeciſſe Philippum, nec locum illum interpretatione eguiſſe, ſicut nudus non indiget, vt detegatur. Quoniam ergo vtrinq; tibi, Iacobe, mucro obuertitur, libet cum B. Ennodio exclamare: *O miſera mortalium conditio, & cùm denegantur deſideria, & cùm infeliciùs conceduntur!*

S. Hieron. in epiſt. ad Paulinum.

B. Ennod. Declamat. in Aleatorem.

Confirmaueram quoque ſcripturæ obſcuritatem illuſtri teſtimonio ſancti Petri de OMNIBVS D. Pauli *epiſtolis* affirmantis, quòd in eis ſint *quædam δυσνόητα, id eſt, difficilia intellectu, quæ indocti & inſtabiles deprauant, ſicut & CETERAS ſcripturas, ad ſuam ipſorum perditionem.* Iterum hoc nihil ad rem, quia nihil ad ſtomachum Apoſtatæ facit. At inprimis hoc beati Petri teſtimoniũ oppugnat Lutherum, qui ſuprà allatis locis nullam penitùs in ſcripturis difficultatem agnouit, reclamante ſancto Petro, & non ſolùm in OMNIBVS D. Pauli epiſtolis, ſed & in *ceteris ſcripturis* difficultatem intelligendi agnoſcente. Deinde oppugnat

2. Petr. 3. 16.

S. Petrus quoque noſtrorum hæreticorum fraudes & Sophiſticas diſtinctiones damnat.

gnat & Lutheri imitatorem Iacobum, qui *in neceſſarijs* ad credendum, nullam ſcripturæ obſcuritatem agnoſcit. Si enim etiam D. Petrus *in neceſſarijs* ad credendum, nullam in D. Pauli epiſtolis, cæteriſque ſcripturis difficultatem agnouit, quomodo ſcribere potuit illa ipſa *difficilia intellectu ab indoctis & inſtabilibus ad ſuam ipſorum perditionem deprauari?* Quo pacto item ſubiungere auſus eſt: *Vos igitur fratres præſcientes cuſtodite: ne inſipientium errore traducti excidatis à propriâ firmitate?* Quæcunque enim lectores *indocti & inſtabiles ad ſuam ipſorum perditionem poſſunt* deprauare, quæcunque nos *inſipientium errore traducere* & facere poſſunt, vt *excidamus à propriâ firmitate*, ea omninò oportet ad ſalutem eſſe neceſſaria. Talia autem ſunt illa ipſa in Paulinis epiſtolis cæteriſque ſcripturis *difficilia intellectu*. Igitur neceſſaria quoque ad ſalutem, teſte ſancto Petro, ſunt *difficilia intellectu*, adeoque obſcura; & non *indocti* populi, non *inſtabilium* hæreticorum, ſed eruditæ SS. Patrum antiquitatis, ſed conſtantis traditionis, infallibiliſque Eccleſiæ iudicio declaranda. Sic inter veros Chriſtianos, verus concentus & conſenſus ſeruatur; ſic cœleſtis harmoniæ germana exurgit concinnitudo. Hæretici autem, aut rudis popellus ſi ad ſcripturæ interpretãdæ magiſterium aſpirârint, illi cicadæ pares erunt, quam Photius ſcribit, in Eunomij Citharoedi lyrâ olim conſediſſe, & temerario potiùs quàm felici conatu cæterarum fidium commentionem, abſurdiſsimo ſeu vocis, ſeu alarum ſtrepitu æmulatã eſſe. Nimirum, quod in Prouerbio eſt, *nil graculo cum fidibus*, multò etiam magis ad iſtas hæreticorum cicadas accommodari poteſt. Rarò enim rectum iudicium & peruerſa voluntas in eundem hominem confluxerunt.

Ibid. V. 17.

Photius in Epiſt. ad Ioan. Patricium.

Digitized by Google

CAPVT XXVIII.

AB ECCLESIA, VT SCRIPTVRAS, ITA ET SCRIPTVRARVM SENSVM ABSOLVTE SIVE IN NECESSARIIS, SIVE IN NON NECESSARIIS, IMMO EXPRESSE ETIAM IN neceſſarijs eſſe accipiendum, teſtatur ratio & ſancti Patres.

SATIS amentiam Prædicanticam his ſeptem argumentis percuſsi; ſuppetunt tamen & alia, quæ thraſones iſtos, dum ſe in ſcripturis aquilas iactitant, noctuas eſſe demonſtrent.

VIII. Igitur quantæ inſaniæ eſſet, qui medico fideret de pharmaco, diffideret de modo; libenterque & vltrò ſumeret medicinam ab eo porrectam, nequaquam autem eâ ratione haurire vellet, quâ medicus hauriendam dictitaret; ſed eâ ratione, quâ libido appetitûs ſuaderet: tantæ itidem inſaniæ ſunt illi, qui ab Eccleſiâ ſcripturas accipiunt, & ſcripturarum interpretationem in rebus ad ſalutem maximè pertinentibus ab Eccleſia accipere nolunt. O cæci, cur creditis Eccleſiæ dicenti, has eſſe litteras diuinas, & non creditis dicenti, hunc eſſe diuinum ſenſum? in arbitriiſne veſtris eſt optio, an in illius auctoritate? Certè per nouitium aliquem Tubingenſem Prædicantem dicere vos audio ob ſcripturæ *in neceſſariis* claritatem litteras ſacras vel *à populo cum fructu legi, & ex illâ ſolâ fidei controuerſias omnes dirimi poſſe.* Diligenter aduertite, quid loquamini; fugit irreuocabile verbum ex ore veſtro. Nempe vel rudi *populo* conceditis poteſtatem ex Biblijs Fidei controuerſias decidendi, & ibidem id Pontifici ac totius Eccleſiæ traditionibûs denegatis: quaſi doctior ſit fæx, quàm Pontifex! quaſi ſanctior populus, quàm Eccleſia! quaſi infallibilior popinarum, quàm Conciliorum auctoritas! VIII. Argumentum.

Digitized by Google

Aliter Ruffinus: qui lib. 11. hiſt. c. 9. de Baſilio & Gregorio Nazianzeno ſcribens, *Ambo*, inquit, *nobiles, ambo Athenis eruditi, ambo collegæ per annos tredecim, omnium Græcorum ſecularium libris remotis, ſolis diuinæ ſcripturæ voluminib. operam dabant, earumq́; intelligentiam non ex propriâ præſumtione, ſed ex maiorum ſcriptis & auctoritate ſequebantur, quos & ipſos Apoſtolicâ ſucceſſione intelligendi regulam ſuſcepiſſe conſtabat.* O Baſili, ô Gregori, cur ſcripturarũ *intelligentiam ex maiorum ſcriptis & auctoritate ſequimini?* Nónne ſola ſcriptura vobis ſufficit? Nempe *omnium* quidem *Græcorum ſecularium libris remotis ſolis diuinæ ſcripturæ voluminib. operam dediſtis,* ſed ob ſenſûs profunditatem, earum *intelligentiam propriâ præſumtione* ſecuti non eſtis, quia Lutherani, ſectarijq́; non fuiſtis: alioqui *ex ſolâ ſcripturâ* reiectâ traditione & auctoritate maiorum etiam *controuerſias fidei omnes* diremiſſetis; vt quidem Plutonis cauſsidici contendunt, & populum dirimere volunt.

Clem. Alexand. lib. 6. ſtromat.

At aliter non ſolùm Baſilius & Nazianzenus, vt dixi, ſed etiam Clemens Alexandrinus loquitur, qui de ſcripturis rectè vtiliterq́; exponendis diſputans, eos, tinearum ſcilicet inſtar, veram Domini doctrinam tollere atque delere ait, quicunque non pro dignitate Dei & Domini eam ediſſerunt & tradunt. *Depoſitum enim*, inquit, *quod Deo redditur, eſt conuenientius; per eius Apoſtolorum piam Traditionem intelligentia & exercitatio.* Deinde quàm magna ſit diuinæ ſcripturæ difficultas, in hunc modum indicat. *Neque enim Prophetia, neq́; ipſe Seruator adeò craſsè & generaliter elocutus eſt diuina myſteria, vt ea facilè capi poſſent à quibuslibet, ſed diſſeruit in parabolis.* Et tanquam ſi contra Reihingum, noſtrosq́; iſtos Prædicantes telum acuiſſet, paulò infrà ſubiicit. *Ceterùm recta ſunt omnia ſcripturæ, coram iis, qui intelligunt, hoc eſt, iis, qui ab ipſo declaratam ſcripturarum expoſitionem* EX ECCLESIASTICA REGVLA ACCIPIENTES CONSERVANT. Denique addit. *Præterea ne omnibus quidem conueniebat hominibus intelligere ſcripturas, ne læderentur, aliter accipientes, quæ à Spiritu ſancto dicta ſunt ſalutariter.*

Tertullianus præter ea, quæ ſuprà allata ſunt, *Hæc eſt inſtitutio*, inquit in lib. de præſcript. c. 36. & 37. *non dico iam, quæ futuras*

Digitized by Google

turas hæreſes pronunciabat, ſed de quâ hæreſes prodierunt, ſed non fuerunt ex illâ, ex quo factæ ſunt aduerſus illam. Etiam de oliuæ nucleo mitis & opimæ & neceſſariæ aſper oleaſter exoritur, etiam de papauere fici gratiſſimæ & ſuauiſſimæ, ventoſa & vana caprificus exurgit. Ita & hæreſes de noſtro fructificauerunt, non noſtræ: degeneres veritatis grano & mendacio ſilueſtres. Si hæc ita ſe habent, vt veritas nobis adiudicetur, quicunq; in eâ regulâ incedimus, quã Eccleſia ab Apoſtolis, Apoſtoli à Chriſto, Chriſtus à Deo tradidit; conſtat ratio propoſiti noſtri, definientis non eſſe admittendos hæreticos ad ineundam de ſcripturis prouocationem, quos ſine ſcripturis probamus ad ſcripturas non pertinere.

Accedit & S.Hieronymus, quem tu ipſe, Iacobe, peritiâ ſcripturarum non incelebrem agnoſcis. Is cùm dixiſſet, Biblia eſſe librum illum ſeptem ſigillis in Apocalypſi ſignatum, quem ſi dederis homini ſcienti litteras, vt legat, reſpondebit tibi, non poſſum: ſignatus eſt enim, ideoque cum Prophetâ orandum, *Reuela oculos meos* &c. ſubiicit: *Quanti ſeſe hodie putant nôſſe litteras, & tenent ſignatum librum? nec aperire poſſunt, niſi ille reſerauerit, qui habet Clauẽ Dauid, qui aperit, & nemo claudit: Claudit, & nemo aperit.* Et mox: *Hæc à me perſtricta ſunt breuiter*, inquit, *vt intelligeres, te in ſcripturis ſacris ſine præuio & monſtrante ſemitam non poſſe ingredi.* Ac de Dauide loquens, *Si tantus*, inquit, *Propheta tenebras ignorantiæ confitetur, quâ nos putas paruulos & penè lactentes inſcitiæ nocte circumdari?*

S.Hieron. ep. ad Paulin.

Idem in eâd. epiſt.

Ex quibus haud difficilè intelligitur inde, vnde ſcripturas accepimus, ſcripturarum quoque tam in neceſſariis, quàm in non neceſſariis accipiendas eſſe interpretationes, hoc eſt, ab Eccleſiâ. Quas enim interpretationes illas accipere deberemus? An vocabulorum? quid opus eſt Eccleſiâ ad hanc rem? An parergorum tantùm ſcripturæ? at Eccleſia vel maximè ea, quæ in fide ſunt controuerſa, interpretatur ac decîdit: cur ergo ſcripturas ab Eccleſiâ accipimus, in quibus tot fidei articuli ſignantur, & reſignationem interpretationemq; Eccleſiæ repudiamus? Certè laudati illi SS. Patres & generaliter loquuntur, & etiam neceſſaria illa comprehendunt, dum de obſcuris ſcripturæ locis diſſerunt. vt Clemens, de *diuinis myſteriis*,

Digitized by Google

de Prophetiâ, de Chriſti ſermonibus ac doctrinis, quæ omnia ab Eccleſiâ ac Traditione ſint interpretanda; immò & ſpeciatim loquitur de iis videlicet, quæ *ſi aliter acciperent homines, læderentur.* Quo modo *læderentur?* an eo pacto, quo Iacobus vino Neccarico madens obtunſis pedum digitis, aut tibiâ ad ſpondam lecticæ offensâ? nequaquam: ſed *læderentur* in fide, & adeò *in neceſſariis* ad ſalutem. Sentit ergo Clemens litteras diuinas & obſcuras eſſe, & interpretationem earum etiam in neceſſariis ab Eccleſiâ eſſe petendam.

Idem ſentit etiam Origenes hom. 12. in Exod. dum ait. *Dieb. ac noctib. obſecrandum eſt, vt veniat Agnus de tribu Iuda, & ipſe librum ſignatum dignetur aperire.* Quis credat *dieb. ac noctib. obſecrandum*, vt non neceſſaria in ſcripturis aperiat Agnus, & non obſecrandum, vt aperiat neceſſaria? Idem ſentit & Hieronymus, in eodem *ſignato illo* libro, & claue Dauid. Hæretici qui ſine hac claue Dauid, hoc eſt, ſine Traditionibus interpretationeq; Eccleſiæ in ſcripturæ adyta irrumpunt, non patresfamilias, ſed fures ſunt, & expilatores vaſtatoresq; veritatis.

CAPVT XXIX.

QVÆDAM IN SPECIE NECESSARIA, ET TAMEN NIHILOMINVS OBSCVRA IN SCRIPTVRIS ESSE DEMONSTRANTVR.

IX. Argumentum.

IX. MAgis ſuprà dictas rationes roborat, quòd multa in ſpecie neceſſaria, dogmataq; fidei ſint & nominentur, quæ ex ſolâ ſcripturâ nunquam ſatis probantur, ſi Eccleſiæ ab eâ ſegregemus traditionem & interpretationem. Nec enim ſolùm multa eiuſcemodi in ſcriptura penitùs non ſunt comprehenſa, ſed etiam plurima, quæ in illâ continentur, ita reconditè illic deliteſcunt incluſa, immò abſtruſa, vt nequaquam à quouis de plebe ita erui inde poſſint,

Digitized by Google

ſint, vt pertinaces apertè manus dare cogantur. *Exemplum eſt,* inquit Lindanus, *Spiritum ſanctum à Filio procedere, Filium Patri eſſe homouſion, extremæ vnctionis Sacramentum à Diuo Iacobo eſſe commemoratum. Rurſus Confirmationis Sacramentum D. Lucæ verbis eſſe Chriſtianis deſcriptum: & ſi quæ ſunt huiuſmodi, quæ nos hoc loco ad verbum Dei Euangelicum non ſcriptum referẽda putauimus, quòd præfractior quiſpiam non tam Scripturarum authoritate propter obſcuritatem, aut ſenſûs indubitati certiq; ambiguitatem, quàm liquidis vetuſtiſsimorum teſtimoniis de vero illarum ſenſu conuinci queat, aut erroris redargui.* Lindan. lib. 3. Panopliæ c. 5.

Aliud quiddam ſuppeditat idem Lindanus, ex quo palàm perſpicere licet, ſcripturas non ita eſſe claras, vt ex illis ſolis omnes fidei controuerſias dirimere, adeoque omnia neceſſaria clarè intelligere poſsimus. Nam *& hodie,* inquit ille, noſtri *Catholicæ Eccleſiæ Aduerſarij nihil quicquam addubitant ſuis Eccleſiolis, auulſis ab vnâ illâ Chriſti electâ vite infelicibus palmitibus, cremandiſq;, ni redinſerantur ſarmentis, Conciliorum ſymbola, id eſt, indubitatam Eccleſiæ Catholicæ Scripturarum obſcuriſsimarum interpretationem, ceu fidei articulos præſcribere credendos. Quod dum faciunt, ſeriò, pie lector, per tuam te ſalutem obſecro, aduertas animum, an non re ipſâ hic Eccleſiam non modò infallibilem ſequi eos perſpicias ſcripturarum interpretem, ſed vbiq; adeò vniuerſis in controuerſiis indubitatam oſtendere veritatis, veriq; ſcripturarum ſenſûs magiſtram? Certè qui Catholicæ Chriſti Eccleſiæ fidem habet, Chriſtum ſuo Patri homouſion atq; conſubſtantialem definienti contra 300. & ampliùs Epiſcoporum Arrian. ſententiam Arimini congregatorum, contra Orientem propè vniuerſum aliud ſentientem, an non iure optimo in aliis omnibus Eccleſiaſt. Conc. eandem ſequatur indubitatam veritatis magiſtram, verumq; ſcripturarum interpretem? vt vt reclament docti aliqui homunculi? vt vt raucis vocibus obſtrepant aliquot ditiunculæ? vt vt aliquot ſeptentrionis refragentur regiunculæ? Quòd igitur ab vniuerſæ Eccleſiæ Synodis certus indubitatuſq; Scripturarum ſenſus ſit petendus, in præſentiâ ex Aduerſariorum ſuffragio liquere arbitror.* Eod. lib. 4. 7.

X. Vt alios non enumerem; ipſi Aduerſarij in teſtium numero veniunt, qui ſcripturas diuinas *in neceſſariis* ac fidei articulis in aliũ atque alium ſenſum identidem trahunt. Nouum hinc volumen excreſceret, ſi hæreticorum diſſenſiones in X. Argumentum.

Digitized by Google

maximis fidei doctrinis vel percenſere numerando vellem. Potiſsima ferè pars hæreſum ex malè intellectis ſcripturis pullulauit. Et vel hodierni Tubingenſes, ac totum venerabile Conſiſtorium Eccleſiaſticum Stutgardianum, quantis controuerſiarum fluctibus colliditur cum Gieſſenſibus Præconibus, ob *omnipræſentiam Chriſti* θεανθρώπου *ad creaturas in ſtatu inanitionis?* Licet enim Lutherus & cum Luthero Apoſtata Iacobus conceptiſsimis verbis profiteatur, *eſſe multa loca in ſcripturis obſcura, & abſtruſa,* NON OB MAIESTATEM RERVM, *ſed ob ignorantiam vocabulorum, & Grammaticæ, ſed quæ nihil impediant ſcientiam omnium rerum in ſcripturis*: tamen vtiq; de *neceſſarijs creditu* loquens Theodorus Thummius, quàm clarè ſtatim in principio Codicis ſui contrarium ſcribit Luthero ſimul & Iacobo, non ſolùm in eâdem vrbe, ſed etiam in eâdem Academiâ verſanti? Ita enim infit. *Quod iam inde à Beatorum Apoſtolorum, ac Eccleſiæ primitiuæ ætate, ad noſtram iſthanc ſeneſcentis & effœti mundi tempeſtatem à fanaticis Doctoribus, eorundemq; aſſeclis & complicibus, de Prophetæ, Regis, & Sacerdotis noſtri Ieſu Chriſti perſonâ & officio, tot tamq; varij,* ABSVRDI, TETRI, MONSTROSI ET BLASPHEMI ERRORES (en Iacobe) *hinc inde ſparſi, vi ac fraude propagati ſunt & propugnati, id pij & docti homines haud iniuriâ mirantur & conqueruntur. Eius verò mali originem & cauſſam ſi quis ad æquam veritatis lancem exigat, geminam potiſſimùm illam eſſe, libens nobiſcum fatebitur, Prior ſanè tam ex* INEFFABILI ET INFINITA MAIESTATE *ac gloriâ, quàm ex profundiſſima exinanitione Chriſti* θεανθρώπου *naſcitur. Sicut enim magnitudinem & diuitias diuinæ illius gloriæ, quam Chriſtus homo in puncto Conceptionis accepit, nemo mortalium vel ſubtiliſſimis etiam cogitationibus aſſequi poteſt: ita profundiſſimæ quoque inanitionis myſterium omnem omninò rationis ingenijq; humani captum infinitis modis ſuperat. Si quis itaque cæcæ rationis decempeda huius* ἀῤῥήτου καὶ ὁμολογουμένως μεγάλου *myſterij fines & terminos metiri temerè præſumit, fieri non poteſt, quin in plurimorum & horribilium errorum breuia & Syrtes incidat, ac fidei ſaluificæ vitæq; æternæ iacturam irreparabilem faciat.* Altera *verò tot erronearum, pernicioſarum, & impiarum opinionum cauſſa vel mater, eſt* αὐθάδεια *vel* φιλαυτία. *Errorum enim architecti, in conſcientiâ licet conuicti (quaſi hominibus ceteris altius quiddam*

Aran. pag. 73.

Theod. Thum. in epiſt Dedicat. Repetitionis ſanæ & Orthod. doct. de humiliat. Chriſti.

Pulcherrima experientia apud ipſos Lutheranos reperta. Quã ſcilicet clarè ex ſola ſcriptura omnes fidei controuerſias componant.

dam

dam ſaperent, extra omnem infirmitatis aleam & erroris periculum poſiti eſſent, & vel minimum inanis gloriolæ diſpendium facere, ipſis turpiſſimum & ignominioſiſſimum foret) ſecundùm Iuſtinum Martyrem τὸ πικρὸν ἐκουσίως καταπίνειν *malunt, hoc eſt, præconcepta cordis gloſſemata & deliramenta corrigere, mutare, abijcere, vel publicè improbare, pertinaciſſimè recuſant. Humanum equidem eſt errare, ſed in errore tam præfractè perſeuerare, tum maximè diabolicum eſſe iudico, ſi alterutra pars firmiſſimis argumentis, & euidentiſſimis rationibus conſtricta, veritati tamen nullum locum relinquat, ſed potiùs quodam quaſi* φιλαιτίας *&* φιλαυτίας *œſtro percita, veſana contentionis diſſidijq́; ſerram reciprocare pertendat, adeóque ne lapſa vel hallucinata videatur, ſua placita & ſophiſmata, poſthabito gemino controuerſiæ ſtatu, denſis variorum paralogiſmorum & argutiarum ſtrophis ceu nebulis & offucijs quibuſdam obfuſcare ſatagat. Exemplo eſſe poſſunt,* inquit grandioribus litteris Thummius, *duo illi Gieſſenſes Theologi, D.D. Menzerus, & Feurbornius, infelicis huius controuerſiæ de omnipræſentiâ Chriſti* θεανθρώπου *ad creaturas in ſtatu inanitionis authores & incruſtatores, qui verbi ſui figmenta & pigmenta exoſculari illaq́; priuatim & publicè, ſpretis omnibus fraternis admonitionibus aliquoties repetitis, mordicùs tueri nulli dubitârunt.*

Quibus omnibus oſtendit primùm Thummius luculentè falſum eſſe illud, quod Iacob. Apoſtata ex Apoſtatâ Luthero profert, *eſſe multa loca in ſcripturis obſcura & abſtruſa* NON OB MAIESTATEM RERVM; clariſsimè enim oſtendit *abſurdos, tetros, monſtroſos, & blaſphemos errores tam ex ineffabili & infinitâ* MAIESTATE *ac gloriâ, quàm ex profundiſſimâ* non ignorantiâ vocabulorum & Grammaticæ, ſed *exinanitione Chriſti* θεανθρώπου *naſci.* Expecto, Iacobe, vt tuum illud Lutherique dictum cum Thummio in concordiam reducas, *obſcura ſunt ſcripturæ loca,* NON OB MAIESTATEM RERVM, *ſed ob ignorantiam vocabulorum & Grammaticæ*, quod tu ex Lutheri aurifodinis eruderas: & illud, *naſcuntur blaſphemi errores tam ex ineffabili & infinitâ* MAIESTATE, *ac gloriâ, quàm ex profundiſſimâ exinanitione Chriſti,* quod Thummius ante & contra te ſcripſit; cum quo tu pergræcando, quàm diſputando faciliùs concordabis.

Apoſtata Thummio contrarius; & Thummius Apoſtatæ.

Antè leues ergo paſcentur in æthere cerui, *Virgil. Eclog. 1.*

Et freta deſtituent nudos in littore piſces:
Antè pererratis amborum finibus, exul
Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim:

quàm tu non ſolùm cum omnibus Prædicantibus Lutheranis, ſed vel cum Tubinganis omnibus, imò vel cum vnico Thummio idem ſentias. Fatetur is apud vos vel hodie controuerti, *An homo Chriſtus, ob infinitam hypoſtaſin naturarum in infinitâ hac ὑποστάσει vnionem intimam, κοινωνίαν realem, & περιχώρησιν profundiſſimam, omnibus & ſingulis creaturis, intra & extra Eccleſiam, iam primo Conceptionis puncto præſens omnia opera officij, & conſequenter etiam regij, tam in humiliationis, quàm glorioſæ exaltationis ſtatu, ita indiuiſè ſemper peregerit, vt vtraque natura egerit, quod vniuſcuiuſque proprium erat, cum communicatione alterius*; fatetur, inquam, immò palàm teſtatur Thummius, hanc nunc inter Gieſſenſes & Tubingenſes Lutheranos Prædicantes controuerſiam eſſe. Quæro igitur, an non hæc controuerſia de re quadam ſcitu credituque neceſſariâ, deq; articulo fidei ſeu Vbiquitatis apud vos agitetur? vtique id toto Codice ſuo confirmat Thummius. At vndenam hæc diſſenſio? cur ex ſolâ ſcripturâ, ſi ea *in neceſſarijs tam clara eſt*, Magiſtri iſti non componunt, qui vel *populo* ſcripturas permittunt tanquam ex ſe ſolis ſufficientes ad omnem fidei diſſenſionem componendam? Gieſſenſes æquè ac Tubingenſes clamant ſcripturas *in neceſſarijs* eſſe pellucidas, perſpicuas, & obuias: ſi tam pellucidæ, perſpicuæ & obuiæ ſunt, debet & ſenſus ac intelligentia earum eſſe pellucida, perſpicua & obuia. Cur igitur litigant, cur ſenſum pellucidum, perſpicuum & obuium nō ambabus manibus arripiunt? quàm pertinaces ſunt in re ad ſalutem æternam requiſitâ? Aiunt, gloriantur, iactant, ſe omnes fidei controuerſias ex ſolâ claraque ſcripturâ ſedare poſſe, & vnam non poſſunt? imò nec inter ſeſe poſſunt. Nempe hæc mali radix, ea eſt fundi iſtius calamitas, inter malleum & incudem verſantur; ſcripturas vtroq; verſus explicant, ſicut hæredipetæ verba teſtamentorum. Quod fieri nequaquam poſſet, niſi ſcripturæ etiam in neceſſarijs ſubinde obſcuræ eſſent.

Thum. cit. ep. Dedicator.

Diſſenſio etiam in neceſſariis, indicat ſcripturam etiam in neceſſariis eſſe obſcuram.

Immò quid dico *ſubinde?* Quippe ſicut D. Hieronymus ait, *omnis*

S. Hieron. ep. ad Algaſiam quæſt. 8.

omnis epiſtola ad Romanos nimijs obſcuritatibus inuoluta eſt; ita dicere licet, omne fidei dogma, quod omnibus ad ſalutem cognitu neceſſarium eſt, reipsâ obſcurum eſt. Tametſi enim quædam propter plana & perſpicua verba, quibus pronunciantur, rectè dici poſsint clara & obuia, tamen res ipſa verbis expreſſa, nequaquam trita & plana eſt. *Res omnibus ſcitu neceſſariæ ſunt*, ait Gretſerus, *quæ continentur in ſymbolo; quæ certè, ſi verba ſpectemus, radijs ſolaribus clariores apparent. Quid enim magis perſpicuum iſtis?* Credo in DEVM Patrem omnipotentem, creatorē cœli & terræ, &c. *omnia texuntur ſimpliciſsimis verbis; & tamen res difficillimas verba iſta comprehendunt; &, circa ſingulas illas res grauiſsimi errores exſtiterunt & adhuc exiſtunt; & eſt, qui audeat dicere, ſe res illas clarè intelligere? Nam, vt de primo vocabulo dicam*, credo: *eſt quidem verbum planum, & perſpicuum: ſed perſpicuum non eſt, quid ſit* credere, *quid ſit* fides *in Deum? adeoq́ perſpicuum non eſt, vt de fide grauiſsimas habeamus controuerſias. Eodem modo, dictio,* in DEVM, *videtur plana, vt &*, Deum eſſe *Verùm, an non fuerunt, qui,* DEVM *eſſe, negarent? An non qui* DEVM *rem creatam eſſe, ſibi perſuaderent? Iam vox* Patris *quid ſignificet, omnes norunt; at, vtrùm* DEVS *ſit Pater, vtrùm genuerit filium ſibi æqualem, &c. tam difficile eſt, vt Ariani, & alij id pertinaciſsimè negent. Percurrat, qui volet, reliquas ſymboli partes, & vbique ingentes difficultates reperiet.* (immò contra omnes ferè articulos hæreſes reperiet, vt in ſymbolo Lutherano & Caluiniano declarauit Forerus noſter) *Deinde dicat Hunnius* (vel Iacob. quia Hunnius apud ſilentes, immò apud eiulantes eſt) *ſi dogmata fidei omnibus ſcitu neceſſaria tam dilucidè in ſcripturâ traduntur, ac ſi ſolis radio ſcripta forent, vnde tot, & tam diuerſæ, & ſibi mutuò repugnantes de his ipſis fidei dogmatibus explicationes? Quomodo res facilis trahi poteſt ad ſenſus tam diuerſos? Hæc enim fidei dogmata exponit aliter Arius, aliter Eunomius, aliter Eutyches, aliter Macedonius, aliter Monothelitæ, aliter Iconomachi; aliter Lutherus, aliter Zvvinglius, aliter Caluinus, aliter Svvenckfeldius, aliter Vbiquiſtæ, aliter Anabaptiſtæ, aliter Huſsitæ. Vnde hæc diuerſitas in rebus tam claris, quàm ſi* ſolis radio *ſcripta forēt? Quid clarius his verbis?* Hoc eſt corpus meū? *Scis, quot explicationes ſuper hæc quatuor verba à non paucis ſint collectæ?*

Iac. Gret. Defenſ. Bell. lib. 3. cap. 1.

Omne fidei dogma reipſâ obſcurum eſt, etiamſi clariſſimis verbis tradatur.

Subſcribit his ipſe etiam D. Auguſtinus, affirmans non eſſe mirandum, *ſi ſua dicta deprauentur à Pelagianis; quando de ſcriptu-*

S. Aug. lib. 2. de nupt. & concupiſcent. cap. 31.

pturis ſanctis; non vbi obſcurè aliquid dictum eſt, ſed clara & aperta ſunt teſtimonia, id facere conſueuerunt, more quidem hæreticorum etiam cæterorum. Quid clarius iſtis verbis, *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs ſancti?* & tamen, teſte eodem Auguſtino, *circa iſta verba tot diuerſitates opinionum fortaſsis numerantur, quot ſunt homines.* Vbi intelligis S Auguſtini opinione planè etiam *in neceſſarijs* ſcripturam non ita eſſe claram, vt non plus quàm Albanus ille Metius Suffetius à Tullo quadrigis in diuerſa actis diſcerpi poſsit.

Idem Aug. lib. 3 de baptiſm. cont. Donat. c. 18.

Tit. Liu. lib. 1.

Quid S. Auguſtinum ſimileſque in hanc rem teſtes cito? *Si hi tacebunt*; Ipſi, inquam, Prædicantes clamabunt, quouis lapide magis ſenſûs expertes, qui paſsim tot commentarios ſuper ſymbolum Apoſtolorum fideique articulos ediderunt. Si articuli illi lucidiſsimi, cur Prædicantes fatuo ſuo igne lucem Soli adijcere conantur? Vbi obſcuritati non eſt locus, nec interpretationi eſt locus. Dementia igitur eſt, facillima, euidentiſsima & apertiſsima interpretari. Lucernas noctu accendimus, interdiu remouemus, nō enim ſeruiunt ad diem augendum, ſed ad tenebras remouendas. Vel ergo ſymboli Apoſtolici articulos interpretando ſtolidè agitis, vel tenebras in ijs quoque eſſe conceditis, quas explicatione veſtrâ tanquam ferali aliqua face vos confiditis illuſtraturos. Itaque inſanientium more vos ipſos laceratis, & commentarios eiuſcemodi, in articulos fidei natiuâ iam antè luce lucentes in veſtram ipſorum perniciem velut Bellerophontes Codicem affertis; egregij lucis illuminatores. Immò obſcuratores. Nam illarum auium ritu, quæ diem non patiuntur, immò eorum ritu, *qui malè agunt*, & ideò *oderunt lucem*, caligine vos protegitis; & vbi caligo non eſt, nebulas excitatis, dum comperta diſsimulatis: quæque intolerabilis eſt proteruitas, in Cimmerijs, immò in Tartareis tenebris veſtris lucem vos habere meriſsimam iactatis, qui lucem non amatis. Similes Camelo, qui ſi ad liquores adeò perſpicuos veniat, *vt vacuum putes lacum, quem non dubitas eſſe pleniſsimum*, quique, vt Caſsiodorus loquitur, *perlucidus vſque ad fundum patet; vt aſpectibus tuis aërem potiùs apparere iudices, non liquorem*; æmulans videlicet *ſerenum*

Luc. 19. 40.

Prædicantes rerum clariſſimarum obſcuri interpretes.

Caſsiodor. lib. 8. Variar. epiſt. 33.

diem

diem aquâ ſubtiliſſimâ: adeò *vt quidquid in imo geritur, inoffenſâ aëris claritate monſtretur*: ſi, inquam, ad talem Virginem aquam perueniat gibbosè deformis illa beſtia, non priùs ex eâ quidquam combibit, quàm limpidam puritatem illam pedibus turbauit. Tales ſunt clariſoni illi Scripturicrepi Prædicantes, puriſsimum verbum diuinum & ſuper omnem aquam virginem ex traditione interpretationeq́; Eccleſiæ clariſsimè rèlucens, ne errorum ſuorum turpitudinem aſpicere cogātur, antè imbibere nolunt, quàm traditionem interpretationemq́ue Eccleſiæ, & vnà ipſarum quoque diuinarum ſcripturarum ſenſum, velut Camelinis craſsiſq́ue pedibus conculcârint, conturbârint, obſcurârint. Meritò igitur diſsimulata à te tua tibi verba, Iacobe, repono: *Quid, ô Lutherani, tricamini? quid moramini? Veritatis magiſtra Eccleſia, luculentiſſima Sapphirus eſt: quiſquis hanc tenet, lucem & cœlum inuenit; quíque hanc fugit, tenebras & orcum quærit. De ſcripturæ luce vobis blandimini? ſed cui bono, lux ſub modio? ſuper candelabro eſto, vt luceat omnibus, qui in domo ſunt. Vos ſcripturæ lucem ſub modio cerebri veſtri ponitis, & mundum obtenebratis: nos illam in Sapphirino Eccleſiæ Catholicæ candelabro, quod euerſum cupitis, reponimus, & mundum illuminamus.* *Iac. Reihing. in Muris Hier. fund. 2.*

CAPVT XXX.

AN TESTIMONIA DE SCRIPTVRAE PERFECTIONE PRAETERIERIM, VEL STATVM QVÆSTIONIS INVERTERIM?

ALTERAM contra traditiones diuinas calumniam potiùs, quàm cauſam ex Hoë tranſcripſerat Apoſtata illam, quòd ſcripturam mancam & imperfectam arguant. Reſpondi breuiter in hunc modum. *Secunda cauſa, quòd Traditiones diuinæ ſcripturæ tanquam mancæ aſſuantur, planè manca, & à man-*

Scripturas non eſſe mācas, licet traditiones admittantur. *Differt. de Laqueis c. 9.*

à mancis; non dicam Boeotis profecta. Neque enim idcircò ſcriptura manca aut imperfecta vocari debet, quòd in eâ non omnes articuli credendi ita clarè expreſſéque contineantur, vt ſine Traditione puris ſcripturæ verbis oſtendi poßint. Satis eſt multos in ſpecie, omnes in genere inibi contineri. Neque enim rem quampiam mancam aut imperfectam vocamus, ſi non poteſt de eâ dici,

Natura hîc poſuit, quidquid vbique fuit:

alioquin & Iacobus corpore mancus eſſet, quia non eſt centimanus, aut quia non habet tot pedes, quot Scorpio. Verùm ea imperfecta & manca appellamus, quæ res ſibi debitas & conſuetas non ſunt ſortita. Nec enim trunci ſunt Prædicantes, quando alis carent, quas muſca habent; ſed quando capite carent, quod homines habent. Ita ſanè ſcriptura eſt manétque perfectißima, quippe cùm nihil ei deſit, quod eam decet habere. Nam & ad Traditiones nos mittit, vnde diſcamus, quod ipſa non habet. ergo eo ipſo facto in ſcripturâ virtute continetur, quidquid nos Traditiones docuerunt. Neque S. Matthæi Euangelium mancum vocat, qui præter illud, etiam in S. Lucâ, aut Ioanne aliquod verbum Dei, quod in Matthæo non eſt, reperiri affirmat. Ita ſcriptura non eſt manca, quamuis non omne Dei verbum ad nos tranſmittat. Voluit enim Deus facere quod Reges ſolent, qui non omnia tabellis, ſed quædam etiam tabellarijs committunt: ita ille non omnia Apoſtolicis litteris, ſed quædam etiam ore tenus nobis ſignificauit. Bonum factum, etiam hæc Iacobus ait, ſibi eſſe cognitißima & ad hunc ferè modum allatas à ſe ſcripturas omnes ſeipſum dudùm eſſe interpretatum. Ergo tantò æquiore animo ferre debet, ſi ſuam illi monetam repono; contendóque illum agnitæ veritati reſiſtere.

In Enchirid. art. 1. §. 5.

Aran. cap. 10. pag. 75.

Ad hæc dicit Apoſtata, *quàm malè traditiones quaſi diuinas obtendamus, ſe aliquot ſcripturæ teſtimonijs, quibus ipſius ſcripturæ perfectio & plenitudo commendatur, indicâſſe*, me autem *illa tanquam ab ipſo in Enchiridio pro cauſſâ Papiſticarum traditionum, probè declarata præterijſſe.*

Quis præterierit alterius obiecta?

Dubito, quo nomine appellem hoc tuum reſponſum: ſiue mendax calumnia, ſiue calumnioſum mendacium, ſiue vtrumque vocetur, rectè vocatur. Quid enim reſpondes? laudâſne me, quòd ad tuum te libellum remiſerim, an vituperas? an potiùs, quod ſoles, nihil reſpondens verba cumulas, vt inani ſtre-

ni ſtrepitu lectorem faſcines? Laudare me mens tua non eſt. Si vituperas, quid peccaui, ſi te ad tuum Enchiridium remiſi, & breuitatis ergò *probè declarata* ſcripturæ teſtimonia ibi facilè inuenienda, à te tamen turpiter diſsimulata inſinuaui? Nunquid ibi probè explicata reperiuntur? Non igitur fefelli, ſed compendij cauſſâ vel ſaltem tunc aliò te direxi. Nec cum Terentiano illo Syro abire te *iſthac, iſtorſum, quouis, quò lubet*, iuſsi, ſed ad certum nominatumque locum. Si frugi es, extat adhuc locus, abi deambulatum, duc Lectorem tecum, vt videat teſtimonia à te producta, à teipſo dudùm antè fuiſſe inducta & eneruata, & adeò ſuffeciſſe, quòd te ad te remiſerim. Vel ſi culpandum eſt id, accuſa teipſum miſer. Quoties enim tu me eò remiſiſti, vbi promiſſa tua talia inueni, qualia ſunt Danaûm dona? vt ſuprà ad Meiſnerum, ad Colloquium Ratiſponenſe, ad Bellarminum, ad Cornelium, ad Hunnium, &c. Calumniaris ergò, Iacobe, non argumentaris, cùm *præteritionem* meam tangis. Non præterit, qui clarè docet, vnde vera ſolutio peti poſsit.

Sed ne calumnia tua nuda ſit, mendacio eam veſtis, eoq; duplici. Nam primò ad paucula tua teſtimonia, eaq; pleraq; in genere duntaxat aut ſummatim à te vel in margine citata, in genere & ſumatim reſpondi, vt ex meis paulo ante allatis verbis conſtat. Vtq; nemo tam hebes eſſet, qui non videret ſinceritatem meam in reſpondendo, ſubieci, *ad hunc ferè modum allatas à te Scripturas omnes teipſum dudùm eſſe interpretatum.* Quibus etiam ſatis oſtendi, nequaquam Scripturis aliquid detrahi, aut eas pro mancis & truncis haberi, ſi traditiones inſuper adiiciantur. Quanquam Simon Felix etiam particulatim inſuper eadem tua teſtimonia eodem ſenſu declarârit, in quâ declaratione quàm tu labores inaniter, quis non videt? Deinde mentiris, cùm ais te *aliquot Scripturæ teſtimoniis indicâſſe* illam ſcripturæ perfectionem, de quâ ſermo eſt: nuſquam ſcriptura dicit, ſe eo ſenſu perfectam eſſe, vt aliud præter ipſam verbum diuinum ſit nullum, immò palàm contrarium dicit, dum dicit eſſe quaſdam traditiones verbo diuino ſcripto, auctoritate

pares. Et prorſus teipſum eradicas, cùm affers Dauidem, qui
Pſal. 19. 8. teſtatur, *legem Domini perfectam eſſe*: ſi enim voluit ita perfectam
eſſe, vt nihil ei ampliùs addi poſſet, cur poſteà tot libri etiam
de ipſo Dauide loquentes, & totum nouum teſtamentum eſt
additum? Nónne hoc ipſum iam antè reſpondi? cùm dixi,
Differt. cit. cap. 9. *Neq; S. Matthæi Euangelium mancum vocat, qui præter illud etiam in S. Lucâ, aut Ioanne aliquod verbum Dei, quod in Matthæo non eſt, reperire affirmat. Ita ſcriptura non eſt manca, quamuis non omne verbum Dei ad nos transmittat.* Hoc diſertè reſpondi, ſed tu dum me *præteritionis* inſimulas, hoc ipſum meum reſponſum, innumeraq; alia penitùs præteris; immò quaſi Pegaſo inſidens immani volatu tranſilis; vt meritò tibi de *præteritione* mentionem facienti dici poſsit,

Iuuenal. Sat. 2. *Quis tulerit Gracchos de ſeditione querentes!*

quis loripedem, qui rectum; quis Aethiopem, qui album deridet?
Matth. 7. 5. *Hypocrita, eijce primùm trabem de oculo tuo, & tunc videbis eijcere feſtucam de oculo fratris tui:* ſi feſtuca vlla eſt, non totum tranſſcribere, ſed indicare duntaxat reſponſum tam paſsim, & verò in tuo ipſius libro obuium. Sed de hoc ſatis.

Aran. cap. 10. pag. cit. Poſt hoc dicis, me *pro more Ieſuitarum, ſtatum quæſtionis malignè perturbare*. Reſpondeo, te pro more Apoſtatarum non ſolùm ſtatum quæſtionis, ſed etiam Religionis & virtutis malignè perturbare, & quantum Inferi dant tibi opis, athleticè mentiri, quod tam ex meis, quàm tuis tibi verbis monſtrabo. Dixi, fateor, *non idcircò ſcripturam mancam, aut imperfectam vocari debere, quòd in eâ non omnes articuli credendi ita clarè expreſſeq; contineantur, vt ſine Traditione puris ſcripturæ verbis oſtendi poſſint. Satis enim eſſe, multos in ſpecie, omnes in genere inibi contineri. &c.* Ais tu. *Quaſi verò nos ideò imperfectam fore dicamus ſcripturam, ſi non omnia expreſſè puris ſcripturæ verbis monſtrari in eâ poſſint. Fucum hunc turpiſſimum ſatis ſuperiori capite in reſponſione ad ſecundum Stengelianum Argumentum deleuimus.*

Apoſtata dum alios de fuco accuſat, fucum facit & agit.

Iacobe, *fucum* non eſſe, nedum *turpiſſimum fucum*, ac proinde *argumentum* te meum non *deleuiſſe*, niſi ſicut argentum fuligine ſuperficie tenus inductâ imprudentibus ac imperitis

dele-

Digitized by Google

deletum videtur, ſatis ego abundeq; ſuprà capite duodecimo, decimo tertio, decimo quarto, decimo quinto & decimo ſexto demonſtraui. Nam ex veſtrâ illâ gladiatoriâ, immò giganteâ promiſsione ita perfecta eſt ſcriptura ſacra, vt *omnia ad ſalutem neceſſaria* eam clariſsimè diſtinctiſsimeq; *continere*, exque purâ putâ illâ, puriſq; eius verbis omnia perſpicuè veſtra dogmata confirmari, aliena expugnari poſſe aut profiteamini, aut, ſi profeſsionis huius vos pudet pigetque, inſignem in doctrinâ veſtrâ inconſtantiam profiteamini.

Fruſtrà igitur ſicut vrſus fœtum Lutheranum lambis, & ſtatum quæſtionis limitando, an *perturbando?* ſic formas: *Ita perfectam dicimus ſcripturam, vt omnia credenda, vel clariſſimis ipſius verbis vel legitima ex illis conſequentiâ probari queant. Hoc qui negant, eos ſcripturam imperfectionis arguere affirmamus:* Fruſtrà, inquam Iacobe, ſtatum quæſtionis ſic limitas; nam illud vos dixiſſe, & ſi conſequenter loqui cupitis, adhuc dicere debere, præter ea, quæ ſupra fusè diſputaui, teſtantur vel ipſæ *aſſiduo rupta clamore columnæ.*

Loc. cit. Aran.

Suprà c. 12. 13. & ſeqq.

CAPVT XXXI.

NIHIL ESSE CONTRA SCRIPTVRAE PERFECTIONEM, QVOD NON OMNE VERBVM DIVINVM IN IIS SCRIPTVM: ET OBITER errores nonnulli ab Apoſtatâ in reſpondendo commiſſi tanguntur.

QVANQVAM etiamſi ſum̄â liberalitate vel hoc ipſū tibi darem; quod dari nequaquam debet, tamen nucleus reſponſionis meæ adhuc vim ſuam inconcuſſam obtineret. Quod tute agnouiſti: Quare reſponſum meum ita recenſuiſti, vt partim per verborū diuerticula, partim per conuitia, partim per mendacia ſapienti abundè indicares, te Lu-

Reſponſi non Reſponſi pulcherrimum in Apoſtata exemplum.

Aran. c.10. pag. 75 & 76.

theranæ illius de ſcripturarum imperfectione calumniæ morbum fateri. Nam cùm dixiſſes, veſtra opinione, *eos ſcripturam imperfectionis arguere, qui negant ita perfectam ſcripturam, vt omnia credenda, vel clariſſimis ipſius verbis, vel legitimâ ex illis conſequentiâ probari queant*; ne omnem conſcientiæ religionem veritatemq; perfringeres, luctante inter furorem & timorem animo ſubiunxiſti: *Longè ab huius criminis ſuſpicione abeſſe vult Stengelius. Ait imperfecta & manca appellari*, quæ res ſibi debitas & conſuetas non ſunt ſortita. *Pro exemplo calumniam ſubiungit, quam rectiùs in ſuum ſinum expuiſſet.* Nec enim, *inquit*, trunci ſunt Prædicantes, quãdo alis carent, quas muſcæ habent, ſed quando capite carent, quod homines habent. *A calumnia venit ad rem.* Ita ſanè, *inquit*, ſcriptura eſt, manetque perfectiſsima, quippe cùm nihil ei deſit, quod eam decet habere. *Specioſa verba, fallax animus. Vide fallaciam.* Nam & ad traditiones nos mittit, vnde diſcamus, quod ipſa non habet: ergo eo ipſo facto, in ſcriptura virtute continetur, quicquid nos traditiones docuerunt. *Eâdem fallatiâ vtitur Simon, cùm ait*, confusè & generatim ſeu virtualiter omnia in ſcriptura contineri, quia tradit generalia quædam principia, auctoritatis Eccleſiæ Matth. 18. 1. Timot. 3. Traditionum 2. Theſſal. 2. ex quibus omnia diſci queunt. *Verùm fallaciam iſtam iam ſatis præcedenti capite, in reſponſione ad hæc ipſa loca ſcripturæ obiecta deteximus, cùm Eccleſiam tunc tantùm, quando de ſcripturis, aut ſecundùm illas pronunciat, audiendam eſſe, & traditiones non ſcriptas, poſt abſolutum totius Scripturæ canonem, nullas à ſcriptura commendari demonſtrauimus.*

Licet nec clariſſimis ſcripturæ verbis, nec ex illis clariſſimâ conſequentiâ omnia credenda probari poſſint, tamen nequa-

Hæc verbatim ex libro tuo, Iacobe, referre libuit, vt omnibus perſpectum fiat, te aliter non ludere, quàm qui in diſcrimen adductus ſacræ lineæ talum mouet. Nam primò tametſi illud quoque negemus, *ita ſcilicet perfectam ſcripturam, vt omnia credenda, vel clariſſimis ipſius verbis vel legitimâ ex illis* clariſsimaq; (quod per aſtum omittis, debent enim ſaltem clariſsimas conſequentias facere, qui profitẽtur omnia dogmata clariſsimè in ſcripturis contineri) *conſequentiâ probari queant*; nequaquam tamen idcircò *ſcripturam imperfectionis arguimus*, vt ex

reſpon-

Digitized by Google

reſponſo meo liquet: *Imperfecta enim & manca appellamus, quæ res ſibi debitas & conſuetas non ſunt ſortita*: at non eſt res ſcripturæ debita, *vt omnia credenda, vel clariſſimis ipſius verbis, vel* etiam (vt in hac quoque latebra Aduerſarij ſe videant non eſſe tutos) legitima ex illis clariſſimaq; *conſequentiâ probari queant*. quod partim demonſtratur ex multis, quæ non habentur ex ſcriptura, ſed ex Apoſtolica traditione, & tamen creduntur: partim ex eo quòd ſcriptura non ſufficiat, niſi conſtet de legitimo illius ſenſu; ſæpe autem non conſtat, quis ſit ſcripturæ legitimus ſenſus, niſi ex Apoſtolica Traditione; vt ſuprà declarauimus. Quare calumnioſè Apoſtata affirmat, nos *ſcripturam imperfectionis arguere*; & vt plerumq; calumnia calumniis defenditur, itidem calumnioſè ait, me *ſtatum quæſtionis inuertere & malignè perturbare*; reſponſio enim mea & Lutheranorum conuitium, & effugium iugulat. Qua de cauſſa ipſe Apoſtata contra ſuamet dicta tandem coactus eſt fateri, me *ad rem venire*; quanquam, ne ingenij ſui oblitus, omninò ſincerus eſſet, mendacium dixit, cum veritate. Non enim tunc primùm *ad rem*, nunquam autem veni ad *calumniam*, niſi ab Apoſtata mihi illatam.

quam Scriptura manca dici poteſt, vti volunt, qui cerebrũ mancum habent.

Vide Serar. Prolegom. Bibliac. c. 24. quæſtiunc. 1. & 2.

Secundò enim conſiderate quæſo omnes, quotquot vſpiam eſtis, quàm inconſideratè calumniam vocet, meq; *in meum ſinum expuere* iubeat, exemplum à me datum. *Pro exemplo*, inquit de me, *calumniam ſubiungit*. Quamnam, obſecro? Hanc ipſiſſimam, quòd dixerim, *Prædicantes truncos non eſſe, quando alis carent, quas muſcæ habent; ſed quando capite carent, quod homines habent*. Quid ais, obſecro Iacobe, iſtáne tibi calumnia eſt? vis ergo contrarium me affirmare? Itáne ex tua ſententia, *trunci ſunt Prædicantes, quando alis carent, quas muſcæ habent?* & trunci nõ ſunt, *quando capite carent, quod homines habent?* Si meum illud dictum calumnia eſt, vt tu bis vocas, ergo iſtud veritas eſt. Vtamur veritate tua, Iacobe: & ſic ratiocinemur *Prædicantes quando alis carent, quas muſcæ habent, trunci ſunt*, vt vult Iacobus, qui oppoſitum calumniam vocat: *ſed prædicantes de facto nunc omnes alis carent, quas muſcæ habent*. (quamuis enim muſcas habeant in capite, tamen muſcarum alas non habent in ſcapulis, adeo-

Apoſtata ſuos Prædicantes ipſe & truncat, & pro truncis habet.

que *alis carent, quas muſcæ habent*) *Ergo de facto nunc omnes Prædicantes trunci ſunt*; & quidem non meâ calumniâ (ſi enim oppoſitum ſcribam, calumnia vocatur) ſed Iacobi Apoſtatæ gratiâ. Cuius item beneficio, ſi trunci eſſe nolunt, fas eſt eos dedolare atque rurſus detruncare; ſiquidem tunc Iudicio Apoſtatæ *Prædicantes trunci non ſunt, quando capite carent, quod homines habent; ſed vt capite careant, facilè facere poteſt aliquis vno ictu tondere ſolitus: Ergo idem etiam facilè facere poteſt, vt Prædicantes non ſint trunci.* Quod remedium ſi illis placet, poterunt tibi, Iacobe, Prædicantes pro gratiâ iſtâ gratias meminiſſe; vel te poſthac docere, vt aut à calumniis vocandis abſtineas, aut priùs conſideres, quid calumniam voces.

Apoſtata mõſtrat aliquid, quod videri non poteſt.

Tertiò, cur ais, *Specioſa verba, fallax animus?* vnde animum mihi talem eſſe cognoſcis? an quod vel Momo Iupiter negauit, feneſtram tibi licuit ad pectus meum apponere? *vide fallaciam*, ais, & quaſi ad illam ſpectandam digito monſtrante inuitares, hæc mea verba adducis: *Nam & ad Traditiones nos mittit* ſcriptura, *vnde diſcamus, quod ipſa non habet: ergo eo ipſo facto in ſcripturâ virtute continetur, quidquid nos traditiones docuerunt.* Ohe, Iacobe, ſiccíne fallaciam oſtendis? Verba mea Lutherani tui legerunt, ſed fallaciam nondum conſpexerunt, quam eos *videre* iuſsiſti. Itaque facetè vacuum illis cantharum propinas.

Aran. pag. 76.

At ais, te *fallaciam iſtam iam ſatis præcedenti capite, in reſponſione ad hæc ipſa loca ſcripturæ obiecta detexiſſe, cùm Eccleſiam tunc tantùm,* QVANDO DE SCRIPTVRIS, *aut ſecundùm illas pronunciat audiendam eſſe, &c. demonſtrares.*

Apoſtata neſcit, quid habeat in ſuo capite.

Quartò igitur, in toto præcedente capite ad hæc obiecta tibi ſcripturæ loca, ne verbulum quidem parturis, immò nec ipſa quidẽ loca ſcripturæ vel per vmbram nominas, ne dum vt *fallaciam iſtam detexeris.* Ita nimirum tanquam turdus ipſe tibi malum creas, viſcumque egeris, quo capiaris. Nempe vt Lutheranos tuos hîc *videre fallaciam* iuſsiſti, in aquâ ſcriptam, & nuſquam apparentem, ita & in *præcedenti capite* quærere iubes, quod non reperiant. Eò tibi perturbationis res redijt, vt neſcias ipſe, quid habeas in tuo capite.

Sed

Digitized by Google

Sed venia danda eſt memoriæ, vt apud mendacem, alijs curis occupatæ. Quippe quod in nono capite ais te feciſſe, ſaltem conatus es facere in octauo, quod vtique etiam præcedit decimum caput. Quanquam hanc loquendi formulam non omnes capiant. Potuiſſes enim pari veritate dicere, te in præcedenti capite *de cauſis Diſſertationis Stengelianæ* egiſſe, quod in primo ſtatim capite egeras. Nam & primum, vt opinor, caput, decimum præcedit.

Quintò, nihil te vel in octauo quoque illo capite detexiſſe, & adeò nec cum iniquâ illâ limitatione tuâ *Eccleſiam audiendam eſſe*, nec *poſt abſolutum totius ſcripturæ canonem nullas à ſcripturâ traditiones commendari* te *demonſtrâſſe*, ſuprà copiosè docui, cùm verba Chriſti ad Eccleſiam audiendam mittentis, & Pauli traditiones tenere iubentis explicaui: rectè igitur eò Lectorem mittis, vbi tuam ſpectet paupertatem. Apoſtata ſeipſum cædit. *Suprà cap. 17. c. 19. & c. 20.*

Sextò, formosè in teipsũ peccas, cùm ſcribis, te *demonſtrâſſe Eccleſiam tunc tantùm, quando* DE SCRIPTVRIS, *aut ſecũdùm illas pronunciat*, audiendam eſſe: Ergo Eccleſia audienda eſt, & *quando ſecundùm ſcripturas*, hoc eſt, ſecundùm ea, quæ in ſcripturis ſunt, & quando DE SCRIPTVRIS pronunciat, hoc eſt, quando ea etiam, quæ in ſcripturis non ſunt, (vt quinam libri ſint Canonici, &c.) pronunciat. At hoc ipſum nos volumus, vos manibus pedibuſque, linguâ & animo negatis. Si enim Eccleſiæ eſt, *de ſcripturis pronunciare*; ergo quinam libri & quot Canonici, & quis Canonicorum librorum etiam in fidei articulis quanquam obſcuris ſit ſenſus, ab Eccleſiâ eſt perdiſcendum: Ergo quando fidei controuerſiæ *de ſcripturis* exoriuntur, ab Eccleſiâ, tanquam à vero ſummoque Iudice eſt decernendum; Quid enim aliud magis deceret Eccleſiam de ſcripturis pronunciare? Denique ſi audienda Eccleſia, etiam ea quæ in ſcripturis non ſunt pronuncians: Ergo non omnia neceſſaria ſcripta ſunt, cùm neceſſarium ſit & illud audire, quod Eccleſia pronunciat; niſi Apoſtata in re tam ſeriâ nugas agat, & *de ſcripturis aut ſecundùm illas pronunciare* per battologiam pro eodem habeat; qui ſuprà miniſteriale duntaxat iudicium Eccleſiæ agno- Aduerſarius Eccleſiæ permittit non tantùm ſecundùm, ſed etiam de ſcripturis pronunciare.

gnouit, *nec aliam* ex Chriſti mente & ſententiâ Lutheranorum Eccleſiam adire voluit, *quàm quæ nihil dicat aut doceat nos, niſi iuxta legem Domini*; id eſt, *iuxta*, aut *ſecundùm* ſcripturas: nunc paulò factus liberalior, etiam de ſcripturis eam finit pronunciare, quod facere Eccleſia non poſſet, ſi miniſteriale tantùm iudicium ad eam, ad ſcripturam autem principale iudicium pertineret. Nullus enim miniſter de Principe ſuo tanquam iudex pronunciat.

Aran. pag. 76. Catholicum canonem nominat S. Aug. lib. 2. de actis cum Felice c. 6. cui opponitur hæreticus canon, qui ſcilicet libros aliquos Canoni Catholico addit aut demit, vt non ſolùm apud Aug. cit. loc. Euſeb. lib. 3. hiſt. c. 15. ſed etiam noſtri hæretici canonem ſibi fingunt.

Scripturæ per ſe ſolæ non amplius ſufficiunt noſtris Prædicantibus, ſed inſuper aliquid requirunt, quod non eſt in ſcripturis. Scilicet conſequentias.

Septimò, nec ibi fallaciam, niſi tuam detexiſti, quando *traditiones non ſcriptas, poſt abſolutum totius ſcripturæ Canonem, nullas à ſcripturâ commendari* perſuadere volebas: cùm ſcripturæ Canonque Catholicus, vt ex ijs, quæ de traditionibus, de auctoritate Eccleſiæ, de Iudice controuerſiarum, deque loco S. Pauli pro traditionibus diſputauimus, conſtat, non omnia, quæ omnibus ad ſalutem neceſſaria ſunt, ſigillatim, diſtinctè clareque monſtrent; adeoque quoad totum ſalutis negotium proponendum ſolæ ac per ſeipſas non ſufficiant. Cui quamuis verbo tenus contrarium dicere videatur cum Lutheranis noſtri æui Lentuleitas & *Prædicantitas*, reipsâ tamen nunc quodammodò pedetentim cedere incipit, & præter ſcripturas etiam conſequentias requirit, quæ non ſunt in ſcripturâ. Vſqueadeò nec ipſis quidem Aduerſarijs ita perfectæ ampliùs ſunt diuinæ litteræ, vt per ſe ſolæ ſine vllis conſequentijs & interpretatione ad omnes Religionis lites componēdas ſufficiant. Quamuis in hoc ipſo quoque Labyrintho hæreant, cùm dicere non poſsint, penes quem inter tot diuerſa ſentientes, ſit legitimas è ſcripturâ conſequentias, authenticamque interpretationem afferendi auctoritas & poteſtas. Catholici eam Pontificibus, Concilijs, Eccleſiæ aſcribunt: Aduerſarij, quoniam vident ipſas ſcripturas ex ſe ſe ipſis conſequentias illas non nectere, eam ſutoribus, populo, tabernis concedunt: vel certè ſi ad Prædicantes eam poteſtatem reſtringunt, præterquam, quòd oſtendant, non omnes fidei quæſtiones ex ſola ſcriptura diſſolui poſſe, ſed conſequentijs etiam ſubinde Prædicanticis indigere; fateri inſuper coguntur, populum ex ſola

Digitized by Google

ſacra ſcriptura ſine ope Prædicantica omnia fidei dogmata diſcere non poſſe; cùm tamen interim vſque ad rauim clament, ſcripturas in omnibus neceſſarijs eſſe luce meridianâ clariores. Lucem autem meridianam vtique etiam ſutores,& textores ſine vllius Prædicantis indicio videre poſſunt. Videant ergo faciantque illas Lutheranè legitimas conſequentias ſutores & textores : nos, Pontifices; nos,Patres; nos,Concilia; nos Eccleſiam habemus magiſtram conſequentiarum & interpretationum. Vtra pars meliores dialecticos, peritioreſque interpretes eſt ſortita?

Ceterùm ſi *traditiones non ſcriptæ, poſt abſolutum totius Scripturæ Canonem, nullæ à ſcriptura commendantur*, ſique omne verbum diuinum nunc in ſolis Biblijs reperitur, ſique hæc eſt Bibliorum perfectio & integritas,quæro 1. an omnes libri Canonici nunc de facto extent? Si omnes extant, quæro 2. vbi ſit liber bellorum Domini, Num. 21. 14. citatus? vbi liber iuſtorum, Ioſue 10. 13? Vbi Liber verborum dierum regum Iuda & regum Iſraël 3. Reg. 14. Vbi Liber Samuelis videntis de rebus à Dauid geſtis 1. Paralip. 29. Vbi Liber Nathan Prophetæ de ijſdem rebus ibidem? Vbi Liber Nathan Prophetæ de rebus à Salomone geſtis 2. Paralip. 9. 29? Vbi Liber Ahiæ Silonitis, de ijſdem ibidem? Vbi viſio Addo videntis contra Ieroboam filium Nabat, ibidem? Vbi hiſtoria regum Iſraël conſcripta à Iehu filio Hanani, 2. Paralip. 20. 34? Vbi hiſtoria Oziæ regis, conſcripta ab Iſaia filio Amos, 2. Paralip. 26. 22? Vbi ſermones Hozai de rebus Manaſſe, 2. Paralip. 33. 19? Vbi Lamentatio Ieremiæ in funere Ioſiæ Regis, 2. Paralip. 35. 25? Vbi volumen Ieremiæ de euerſione vrbis, & captiuitate populi, Ieremiæ 36. 6? Vbi Liber Ieremiæ de vaſtatione Babylonis. Ierem. 51. 60? Vbi Liber dierum Sacerdotij Ioannis Hyrcani. 1. Machab. 16. 24? Vbi deſcriptiones Ieremiæ Prophetæ 2. Machab. 2. 1? Vbi Prophetia Henoch in epiſt Iudæ Apoſtoli verſ. 14. citata? quæ & ipſa liber fuit, vt ex cit. loc. S. Auguſtinus colligit.

Libri ſacri qui perierũt; teſtantur non omne verbũ diuinum eſſe in ſcripturis noſtris.

Hoſce libros non extantes enumerat Becan. Manual. contr c. 1. q. 5. poſt Nicol. Serar. Proleg. Bibl. c. 8. quæſtiunc. 14. Vbi plures inuenies, vt tria millia parabolarum Salomonis 3. Reg. 4. 32. Vide & Bellar. lib 4. c. 4. controu. 1.

S. Aug. lib. 15. ciuit. c. 23. & lib. 18. c. 18.

Hos vel pleroſque libros, vel (ne nodum in ſcirpo quæras) ſaltem plurimos ex his, vtpote cum elogio Prophetarum

Digitized by Google

nominatos, Canonicos fuiſſe non negabis. At hi non ampliùs extant: Non extat ergo omne verbum diuinum in Biblijs, quæ nunc habemus, & manibus verſamus. Cùm præſertim Chryſoſtomus quærat, quo in libro diuino extet illud, *oculus non vidit?* &, *Nazaræus vocabitur?* immò cùm ipſe VVitackerus nihil hæſitans dicat, *Canonica quædam perijſſe, credo eſſe neminem, qui dubitet*, quod etiam de multis citatorum librorum ſentit Beza, nec inficiabitur credo Tubinga.

S. Chryſoſt. hom. 7. in 1. Cor. & hō. 9. in Matth. VVitack contr. 1. q. 3. c. 4. Beza in ep. Iudæ.

An perfectioni Bibliorum nihil adijci poſſit?

Quæro igitur. 3. Quid ſi aliqui iſtorum, aut omnes à Deo reuelarentur, & in aliquâ bibliothecâ inuenirentur, aut aliundè cum certo diuinitatis indicio protraherentur in lucem, Biblijſque noſtris adijcerentur, an ea additio perfectioni Bibliorum obſtaret? Minimè gentium. Non ergo *poſt abſolutum totius ſcripturæ Canonem* officit perfectioni Bibliorum, quòd de facto non omne verbum diuinum in ijs comprehendatur. Immò quid ſi Eccleſiæ Apoſtoli dixiſſent, audiuimus, & Patres noſtri narrauerunt nobis ea, quæ in amiſsis illis libris ſacris extiterunt, ac proinde poſteritati quoque tradimus. *Vos autem chariſſimi, memores eſtote verborum, quæ prædicta ſunt ab Apoſtolis Domini noſtri* IESV *Chriſti, &c.* an etiam tum Aduerſarij proſilijſſent, & ſicut poſteriorem Canonem, ita etiam traditionem illam atro ſuffragio damnauiſſent, quòd ſcripturam imperfectionis arguerent, quaſi *poſt abſolutum totius ſcripturæ canonem* aliud verbum diuinum non poſſet ſupereſſe, niſi imperfectionis Bibliorum eſſet argumentum? Nequaquam, opinor, id feciſſent. Itaque nec iam facere debuiſſent. Ex illâ enim conditione, quæ iam quidem non eſt, ſi tamen eſſet, perfectioni ſcripturarum nihil detraheret, diſcere debent, quàm lutea, immò quàm ſtulta ſit ratio, quâ demonſtrare conantur, id nôs ponere, quò ſcripturas imperfectionis arguamus; quod tamen etiamſi poneretur, ipſi fatentur, ſcripturas nequaquam imperfectas eſſe futuras.

Iud in epiſt. v. 18.

Libri proto-canonici ſeu canon prior, dicuntur illi, quorum quoad nos authoritas prius ab Eccleſia declarata & commendata eſt, ſic vt de illis nulla inter Catholicos vnquam fuerit controuerſia: deutero-canonici vice verſa. Vide Sixt. Senens. lib. 1. Bibliotb. Bellar. controu. 1. lib. 1. cap. 4.

CA-

CAPVT XXXII.

HÆRETICOS, QVI NOS DE DIVINI VERBI IMPERFECTIONE ACCVSANT, IPSOS MAXIME IMPERFECTVM VERBVM DIVINVM HABERE.

HAEc cùm ita ſe habeant, videtur mihi meritò diuinum verbum admirando cuidam Lucaniæ fonti, in quo deſcribendo Caſsiodorus multus eſt, & fugitiuis quibuſdam aquis poſſe comparari. Nam ad eum ſtato die Sacerdos quotannis accedebat, vt illius aquâ ad homines tingendos luſtrandoſque vteretur. Inchoatis baptiſmi precibus, non quibus anteà ſeſe modis fons eijciebat, ſed longè vberioribus aquis exiliebat, & totis iaculationibus vndiſque in omnium oculis creſcebat. Hominibus verò ſalutari ſacramento initiatis, rurſus in priſtinam fluendi conſuetudinem redibat, ſolitoque iterum more profundebatur. Rem totam Caſsiodorus his verbis depingit. *Veniam ad illud ſingulare munus ſanctumq; miraculum. Nam cùm die ſacratæ noctis precem baptiſmatis cœperit Sacerdos effundere, & de ore ſancto ſermonum fontes emanare, mox in altum vnda proſiliens, aquas ſuas non per meatus ſolitos dirigit, ſed in altitudinem cumulóſque tranſmittit. Erigitur brutum elementum ſponte ſuâ, & quadam deuotione ſolenni præparat ſe miraculis, vt ſanctificatio maieſtatis poſsit oſtendi. Nam cùm fons ipſe quinque gradus tegat, eóſque tantùm ſub tranquillitate poſsideat, alijs duobus cernitur creſcere, quos nunquam præter illud tempus cognoſcitur occupare. Magnum ſtupendumq; miraculum, fluenta labentia ſic ad humanos ſermones vel ſtare vel creſcere, vt eis credas audiendi ſtudium minimè defuiſſe. Fiat venerabilis omnium ſermone fons iſte cœleſtis. Habet & Lucania Iordanem ſuum. Ille exemplum baptiſmatis præſtitit, hic ſacrum miniſterium annuâ deuotione cuſtodit.*

Scriptura ſimilis fonti coram Catholicis creſcenti, coram hæreticis decreſcenti.

Caſsiodor. lib. 8. Variar. ep. 33.

His Paulus Diaconus, & Zonaras adijciunt, Arianos, quòd nollent Filium Patri æqualem credere, non ijſdem verbis in

Digitized by Google

baptiſmo vſos, quibus Catholici, vt Filium Patre minorem ſignificarent. Contigiſſe igitur, vt Arianus more ſuo baptizaturus ad plenum fontem adiret; ſed eo adueniente, illicò aquam omnem, quaſi impij cultûs inſtrumentum eſſe dedignaretur, ex oculis accedentium euanuiſſe; quodque multùm ad miraculum contulit, nullum intereà comparuiſſe exitum, quà elementum fugere ac ſeſe ſubducere potuerit.

Tale eſt verbum diuinum. Creſcit quodammodò, ac ſeſe latius lætiúſque diffundit, vbi mens Catholica ad illud accedit. Decreſcit & verò omninò euaneſcit ſub manu hæreticorum. Qui tantò ſceleratiores ſunt, quòd alijs imponant crimen à ſe perpetratum.

Hæretici ipſi imperfectum habent verbum diuinũ.

Longè igitur errant, cùm nos de imperfectione ſcripturæ in ius citant. Ipſi & ſcriptum & non ſcriptum verbum diuinum mutilant. Quod hîc per occaſionem monſtrabo, vt etiam hîc in accuſatore noſtro verum eſſe appareat, quod in ſacris Prouerbijs eſt cantatum: *Qui voluit lapidem, reuertetur ad eum.* *Prou. 26. 27.*

I. Ob traditiones diuinas è medio ſublatas.

Primò itaque omne verbum diuinum ſolâ traditione acceptum è medio tollunt. Quanta hæc diuini verbi ſtrages?

II. Ob incertitudinem quá credunt ſcripturas diuinas, eſſe diuinas.

Deinde verbi diuini ſcripti quoque iugulum petunt, cùm certiſsimum credibilitatis & auctoritatis illius argumentum reijciunt, neque certi ſunt, repudiatâ Eccleſiæ traditione, Biblia eſſe diuina, aut quinam libri ſint Canonici? Nónne hîc ipſam de integritate Bibliorum medullam auferunt? immò nónne ipſam illis animam elidunt, cùm pari ratione Alcorano Turcico credere cogantur, ſi ſuis fundamentis niti volunt?

III. Ob calũniantem libidinem.

Tertiò, quàm tabifici ſunt, & quanti ſupra omnem tinearum voracitatem Bibliorum corroſores; qui cum illis aliquid obijcitur è diuinis litteris petitum, dicere non verentur, textum originalem corruptũ eſſe, & illud ipſum, quod contra eos eſt, in textum de margine irrepſiſſe? aut in Græco non haberi?

Act. 15. v. vlt. Sic auferunt illud Actorum, *Præcipiens*, ſcilicet S. Paulus, *cuſtodire præcepta Apoſtolorum*; ſic præclarum illud de SS. Trinitate te-

1. Ioan. 5, 7. ſtimonium, *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cælo Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus; & hi tres vnum ſunt,* Lutherus omninò expunxit,

Cal-

Caluinus in dubium reuocauit. Nempe hi ſcripturam perfectam habent, qui pro ſua libidine eam perficiunt: ſi tamen decurtare eſt perficere; perfectiorque atque integrior cenſendus eſt homo, quem latronum petulans crudelitas denaſauit ac deartuauit.

Quartò, vulgatâ verſione repudiatâ, & in eius locum, tanquam ceruâ pro Iphigeniâ, ſubſtitutâ ſuâ deprauatâ verſione, quid aliud agunt, quàm vt carbones pro theſauro reponant, & diuinum verbum non perficiant, ſed interficiant? IV. Ob vulgatam verſionem reiectam.

Quintò, in quantâ perfectione Biblia collocant, qui ea dolant, dedolantque ad cerebri ſui arbitrium? Fuerunt, qui in primâ verſione Germanicâ noui teſtamenti, quam Lutherus Anno 1522. edidit, plus quàm mille errata obſeruarent. Inter quæ eſt, quòd illud Apoſtoli, *Arbitramur iuſtificari hominem fide*, verterit *ſolâ fide*. De quo facinore admonitus, quàm ſuperbè reſponderit, alij iam ſæpe prodiderunt. Immò tanquam diuinum verbum in vnius poteſtate ac moderatione verteretur, illud vnum ſe pœnitere dixit, quòd ad textum hunc etiam duas alias voces non adiecerit in hunc modum: SOLÀ FIDE, SINE VLLIS OPERIBVS VLLIVS LEGIS *iuſtificamur*. V. Ob licentiam addendi & adimendi. *Ioan. Cochla de Act. Luth. An.* 1522. *Rom.* 3. 28. *Luther. tom.* 4. *Germ. excuſo VVittenbergæ in libello quem edidit An.* 1530. *cuius titulus, Informatio & reſpon: ad duo interrogata, de trãſlatione ſcilicet ſcripturæ, & innocatione ſanctorum ad quendam bonũ amicũ.*

Sextò, cùm integritas diuini verbi maximè in ſenſu conſiſtat, quo hæretici iſti carent, quis nõ videat eos expoſitionibus tam ſiniſtris, commentarijs tam lubricis, annotationibus tam vitioſis, quibus omnes penè margines Bibliorum illinunt, ſcripturas corrumpere & deprauare? Nihil propè tam clarum eſt, quod ab obſcuris iſtis caligine non impleatur; nihil tam integrum, quod ab eiuſcemodi harpyis non laceretur; vt adeò ipſas quoque literas ſacras profanent, & verbum diuinum ad prauos corrigendos à Deo datum, teſte etiam Damaſceno, deprauent. VI. Ob ſenſũ ſcripturæ legitimũ quo carent. *S. Damaſc. Serm.* 3. *de Dedicat.*

Verùm de hoc argumento plura diſſerui in Reuocatione ſecundâ Iacobi Reihingi, ad quæ ille ne mutit quidem; tacendo ſcilicet confitens, Lutheranos diuini verbi rete fœdum in modum diſcerpſiſſe. Quâ in re longè prudentiùs egit, quàm ſi inani garrulitate plura de tam manifeſto næuo diſputandi anſam præbuiſſet. *Reuoc.* 2. *c.* 2. *c.* 4. *& præcipuè c.* 5. *ac* 6.

Ratiſponenſis anonymus corrupti apud Lutheranos verbi diuini in duabus rebus proditor, quia malus defenſor.

Ne tamen omninò hæc mihi occaſio è manibus elaberetur, Veſpertilio ſe ſe ſubſtituit: Prædicantaſter ſcilicet quidam Ratiſponenſis anonymus. Is Momum imitatus eſt, qui, teſte Philoſtrato, cùm quod in totâ Venere carperet, non inueniſſet, obiecit ei in Deorum cœtu, quòd ſandalium haberet ſtridulum & argutum. Parem in modum Veſpertilio iſte ex omnibus libris meis aliud nihil habuit, quod oppugnare ſe poſſe arbitraretur, niſi vnicum ex ſecundâ Reihinganâ Reuocatione locum, & alterum quendam ex epiſtolâ Dedicatoriâ ad illuſtrem comitem ab Helffenſtein, Libello de bono & malo ſyllogiſmo præfixâ. Hæc duo quodam priuato ſcripto, quod veſpertilionum more Ratiſponæ circumuolitauit, impudenter & malignè inſectatus eſt. Peruênit illud ſcriptum ad clariſsimi & altiſsimi nominis virum mei peramantem. Inde ad me miſſum eſt, vt reſponderem. Epiſtolam igitur, quâ tunc reſpondi, in duo ſequentia capita diſtinctam, huc inſerui; quoniam multùm facit ad oſtendendum, quantùm hæretici ſibi in diuinas ſcripturas licere arbitrentur; qui ne in oratione quidem Dominicâ nobiſcum concordes ſint, malunt potiùs etiam à diuinâ legitimaq; ſcripturâ diſcordare.

CAPVT XXXIII.

VESPERTILIO IN MVCRONEM SPONTE INCVRRENS, HOC EST, ANONYMVS RATISPONENSIS PRÆDICANTASTER, SE ET PRECATIONEM DOMINICAM, SACRAEQVE SCRIpturæ verſionem, qualis à Lutheranis vſurpatur, vulneribus vltrò offerens, per epiſtolam caſtigatus.

Epiſtola ad quēdam Ratiſponenſem Dominum.

TAm charo capiti aliquid negem? & quidem enixè obſecranti? Ego verò quanquam & varijs vndique interpellor negotijs, & alioqui cenſeo obſcuris iſtis neſcio quo

Digitized by Google

quo de angulo latratoribus, tanquam imbellibus catellis; nec attendendum quidem, ne dum reſpondendum; non poſſum tamen hac vice durus eſſe ad tam humanas preces. Licet omninò mihi verendum ſit, ne videar Delphico Apollini dictâſſe, quemadmodum ſe erga conſulentes gerere debeat; & præſertim in re tam planâ, vt ne ſcarabæum quidem facilius ſit elidere, quàm hunc Prædicantaſtrum.

Duo obijcit è duobus meis libris. Primum ex Reuocatione II. Reihinganâ pag. 33. cap. 5. libri, vbi contra Apoſtatam oſtendi non Catholicos, vt ille calumniabatur, ſed ipſoſmet Lutheranos *rete Chriſti ſeu ſacram ſcripturam, tam adimendo quàm addendo corrumpere.* Igitur poſt multa exempla, quibus docui Lutheranos biblia caſtrâſſe, vel ſaltem caſtrata obuijs vlnis amplexatos eſſe, ad quorum clariſsimam lucem iſte veſpertilio ne nictare quidem audet, ſubieci tandem iſta: *Nempe Lutherus vt noui aliquid contra Catholicos & vulgatam eorum verſionem cuderet, Græca corrupta ſemper amplecti maluit. Quid erat hoc aliud, quàm in Catholicorum gratiam, Chriſti rete diſſuere, & vt nobis aliquid adimeretur, ipſi Deo adimere? Sicut & in addendo ſunt liberales iſti. Nam illorum liberalitate Matth. 6. in pleriſque Græcis hodiernis orationi dominicæ additur:* Quia tuum eſt regnum, & potentia, & gloria in ſecula. *Quæ clauſula in veteribus libris non fuit, vt ex varijs exemplaribus teſtatur Eraſmus in eum locum, &c.* Quem in ſenſum etiam Huntlæus ſcribens, *Aduerſarij,* inquit, *dum confugiunt ad Græcum textum, peruertunt varijs modis ſcripturam. Nam aliquando addunt Verbo Dei ſcripto, quod ſcriptum non eſt: verbi gratia. Matth. 6. v. 13. addunt illa verba* Quia tuum eſt regnum, & potentia, & gloria in ſecula: *quæ vix vllus Patrum legit, ante Chryſoſtomum, qui fuit quadringentis annis poſt Chriſtum: non Tertullianus, non S. Cyprianus, non S. Ambroſius, non S. Cyrillus. immò nec S. Hieronymus, nec S. Auguſtinus, qui fuerunt tẽpore S. Chryſoſtomi, &c.*

Lutherani S. Scripturæ peruerſores.

Iac. Gordon. Huntlæus Controuerſ. 1. cap. 12.

Ad mea igitur illa, citatis nonnullis verbis Eraſmi, triobolaris ille Ratiſponenſis lauernio in priuato ſchediaſmate ſuo ſic exclamat. *Quis verò eſt, niſi mentis inops, qui ex his Eraſmi verbis cum Stengelio clauſulam orationis Dominicæ Luthero affingat?* Ipſum hunc exclamatorem compellare libet, vt à veterno citius excitem.

Pri-

Digitized by Google

Primùm, mi adoleſcens (nec enim vir es) ſcito mendacem memorē eſſe oportere; cur tam citò tuijpſius obliuiſceris? Paulo priùs cū mea verba citares, *ſicut & in addendo liberales ſunt iſti*, gloſſema tuum adieceras illud, *Scilicet Lutherani* (aut illis in audacia ſcripturas, tanquam aliena vineta, cædendi ſimiles) quâ vertigine tam citó ex *Lutheranis Lutherum* facis? An idem tibi ſunt Lutherani & Lutherus? rami ſcilicet & truncus? Nam qui antè me *Lutheranis*, nunc ſubitò *clauſulam orationis Dominicæ Luthero affingere* ſcribis. Ita libidine calumniandi feruens, ipſâ obliuione, oſtendis te anteà mentitum eſſe.

Deinde, quàm apertè, quàm propudiosè mentiris, qui ais me *ex his Eraſmi verbis clauſulam orationis Dominicæ Luthero affingere?* quaſi hinc affinxiſſem, *clauſulam* iſtam à Luthero excogitatam, & primitùs adiectam eſſe? Vide inſcitiam tuam, qui iam neque Latinè intelligis. Verba mea ſunt: *Quæ clauſula in veteribus libris non fuit, vt ex varijs exemplaribus teſtatur Eraſmus in eum locum, &c.* Quid hîc dico, quid probo, cæce? Dico hanc clauſulam in veteribus libris non fuiſſe, dicò id ex varijs exemplaribus teſtari Eraſmum: & verò id ipſum inibi pluribus ex eodem Eraſmo probo, adijcióque hæc verba: *Quapropter contra Vallam dixit Eraſmus: Magis fuerat taxanda illorum temeritas, qui non veriti ſunt, tam diuinæ precationi ſuas nugas aſſuere.* Hæc ex Eraſmo quæ nî ſufficiunt, adde illa quæ tute citas ex eodem. *Verùm quando nec in vllis Latinorum exemplaribus adſcriptum viſitur, nec exponitur ab Hieronymo, aut vllo prorſus interpretum præter Chryſoſtomum & huius abbreuiatorem recentem Theophylactum; apparet ex ſollenni conſuetudine ſic additum, vt Angelicæ ſalutationi quædam adiecerunt, nec ab Angelo dicta, nec à quopiam alió.* His paulo poſt addit Eraſmus: *Proinde non eſt, cur Laurentius Valla ſtomachetur, bonam precationis dominicæ partem fuiſſe decurtatam. Magis taxanda fuerat illorum temeritas, qui non veriti ſunt, tam diuinæ precationi ſuas nugas aſſuere. Nugas enim iure dixerim, ad diuinam doctrinam quidquid ab hominibus profectum fuerit: præſertim ſi quod ab hominibus annexum ſit, ad Chriſtum authorem conferatur. Quod ſi quis contendat hoc ab ipſo Chriſto fuiſſe additum, neceſſe eſt, vt fateatur omnes noſtros, ac totam Romanam Eccleſiam hacte-*

Quid Eraſmus de clauſula Lutheranorum, quam orationi Dominicæ apponunt, ſentiat?

Eraſm. Annotat. in c. 6. Matth.

nus

nus fugiſſe bonam partem Dominicæ precationis. Ac ne Africanam quidem rectè legiſſe. Nam Cyprianus enarrans peculiari libello locum hunc Euangelij, ne verbo quidem agnoſcit hanc coronidem. Poſt hæc cùm ad Chryſoſtomum reſpondiſſet, rurſus ſubijcit. *Qui contendunt hanc coronidem aſcriptam fuiſſe ab Euangeliſtâ, ijdémque confirmant, hanc editionem aut eſſe Hieronymi, aut certè ab illo caſtigatam, velim vt explicent nobis, cur ille tantam ſacræ precationis partem auſus ſit omittere, qui ne in commentarijs quidem vllam huius fecerit mentionem? Hæc cùm ſint dilucidiora, quàm vt argumentis egeant, tamen non defuerunt, qui mihi ex hoc quoque loco grauem ſtruerent calumniam.* Hucuſque Eraſmus. Eraſmus cuinam fauces præcludat? Ex quibus perſpicuè poteſt intelligi, quid ſit à me verè, à Ratiſponenſi autem veſpertilione mendaciter dictum.

Primò dixi, clauſulam illam in pleriſque hodiernis Græcis addi, quia omnia exemplaria non vidi; Eraſmus, & Bellarminus dicunt, *Hanc coronidem in omnibus Græcorum exemplaribus adiectam comperio*; *Bellar. l. 2 de V. D. c. 7.* item *Conſtat etiam quædam in omnibus Græcis codicibus inueniri, quæ non ſunt partes diuinæ ſcripturæ: vt Matth. 6. orationi Dominicæ additur; Quia tuum eſt regnum, & potentia, & gloria, &c.* An ego idcircò & Eraſmo & Bellarmino contradico, vt præco neceſſe habeat in illas voces erumpere, *Heus, Stengeli, an non verba Eraſmi ſunt clariſſima, atque tibi faucem præcludunt?* item. *Et tu veſtræ Societatis primipilo Bellarmino, cui ſuccenturiatas debebas operas, manus violentas infers?* Ego dico *in pleriſque hodiernis addi*, Eraſmus & Bellarminus dicunt *in omnibus addi*; fateor, dicunt; ſed mihi non contradicunt; ſicut non contradiceret, qui, me dicente, *pleroſque Prædicantes eſſe mendaces*, reſponderet, *omnes Prædicantes eſſe mendaces*; meritò enim pleroſque mendacij arguere licet, ſi omnes licet. Cùm in omnibus etiam pleriq;, quamuis non in pleriſque omnes. Quid igitur habes, mome, quòd carpas, qui iam etiamſi plus dixiſſem, verum dixiſſem?

Secundò dixi, clauſulam illam in veteribus Græcis non fuiſſe, idq; ex variis exemplaribus teſtari Eraſmum. Quid hic peccaui? An non ita eſt? an non ita citatus Eraſmus teſtatur? an non & argumentis confirmat, & *dilucidiora eſſe* ait, *quàm vt argumentis egeant?*

Tertiò tandem, vt ad eum locum veniam, vbi balneator iſte maximè in ſcalprum prurit, & virgas ſitit more Tartarorum; videamus argumentandi artem. *Quis verò*, inquit, *eſt niſi mentis inops, qui ex his Eraſmi verbis cum Stengelio clauſulam orationis Dominicæ Luthero affingat?* Nemo eſt, mi Curculio, *qui affingat mecum*, & neque ego affingo. Sed & ego audacter repeto, & ſi aliquid legiſſes, factum idem ante me à viris doctiſsimis & grauiſsimis (quibus nemo veſtrum adhuc obuiam ijt, aut ire potuit) facilè ſcires; audacter, inquam, repeto, ſeu vos, ſeu Lutherum *in addendo ſacræ ſcripturæ liberales eſſe*, idque ex hoc ipſo loco intelligi poſſe.

Sed ais, *Heus, Stengeli, an non verba Eraſmi ſunt clariſſima, atque tibi ipſi faucem præcludunt? Hanc coronidem in omnibus Græcorum exemplaribus* ADIECTAM *comperio. Item: Apparet ex ſolenni conſuetudine ſic additam.* Verba ſunt clariſsima, fateor, ſed ex meo ſenſu ac pro me dicta, & teipſum paulo poſt ſtrangulatura: nunc priùs tuam illationem videamus, non ſolùm contra Dialecticam, ſed penè contra omnes ſcientias peccantem. Ais enim. *Et tu Lutheranos* (iterum nimirum tibi Lutherus in Lutheranos, ſicut prius Lutherani in Lutherum ſunt commutati) *in exemplaribus hodiernis Epilogum hunc aſſuere coaxas, veſtræque Societatis primipilo Bellarmino, &c. manus violentas inſers?* qui ait, *eam clauſulam in omnibus Græcis codicibus inueniri. Si conſtat, in omnibus Græcis codicibus non Lutheranis tantùm, ſed Pontificijs quoq; & haud dubiè ipſi Bellarmino vſitatis inueniri; Quid tu criminis alicuius, Stengeli, nos reos agere conaris, quâ pietate?*

Ratiſponenſis Anonymus ex ponte Aſinino cadit, vt probet ſe id eſſe, quod inde cadentes ſolent eſſe.

Paucis aduerte, docebo, quâ pietate id faciam. Sed proluſionis loco examina argumenti tui ſcoriam. *Si conſtat hanc clauſulam etiam in Codicibus ipſi Bellarmino vſitatis reperiri, tum nec Lutherus, nec Lutherani eam addiderunt, vel eius addendæ cauſa fuerunt.* At conſtat. Ergo. vertamus currum: *Si conſtat etiam in codicibus ipſi Bellarmino vſitatis reperiri quædam opera Lutheri, vel Lutheranorum, tum nec Lutherus nec Lutherani eorum auctores fuerunt.* Vides connexionis tuæ falſitatem? quaſi non & Bellarmino in manus venire potuerit aliquis liber à Luthero vel Lutheranis deprauatus?

uatus? & quaſi non ipſe Bellarminus illam clauſulam vt ſuppoſititiam, ſicut & Eraſmus vt ADIECTAM tacitè, immò palàm accuſet? Et quidem Eraſmus, vt vidimus, ſatis apertè loquitur. Bellarminus autem, etiam ex Tertulliano, Cypriano, Ambroſio, Hieronymo, Auguſtino orationem Dominicam ſine vllâ huius clauſulæ mentione exponentibus probat, coronidem iſtam non eſſe de textu. Quod ex vtroq; diligenter notes cenſeo.

Iam ergo quid argumentaris, imperite Logice? *In veteribus Græcis libris non fuit hæc clauſula, vt ex variis exemplaribus Eraſmus immò & Bellarminus teſtantur.* Concedo maiorem, & meam eſſe fateor. *At nunc in omnibus Græcis exemplaribus* ADIECTAM *comperit Eraſmus, & fatetur Bellarminus.* Concedo minorem. *Ergo nec Lutherus, nec Lutherani eam adiecerunt?* Ohe triumphe! taléſne ſyllogiſmos vos in Danubij arenâ ædificatis? tam exactè ad perpendiculũ? Quàm longè rem veriorem intuliſſes, *Ergo aut Lutherus, aut Lutherani eam adiecerunt*, cùm olim adiecta non fuerit, vt conſtat ex Eraſmo & Bellarmino, nec eam in ſcriptura adiecerit Eccleſia Catholica.

Alius ſyllogiſmus tam bellus, quàm veſpertilio ipſe.

Sic tuo te gladio iugulare poſſem, miſer; ſed vt meam quoque erga te liberalitatem agnoſcas, demus non à Luthero, non à Lutheranis primitùs adiectam illam clauſulam; immò à Luthero ipſo etiam omiſſam, (quem proinde vos non imitamini eam adiicientes) vt apparet ex interpretatione orationis Dominicæ, tom. 1. Ienenſi An. 1560. edito, vbi eius clauſulæ nulla fit mentio. Et vt ab hac clauſula contra veterem Eccleſiæ morem adiectâ tantò fidentiùs abſtineatis, demus Catechiſmum minorem, maioremq; diſcordis veſtræ Concordiæ, cui tot Proteſtantes Confeſsionem Auguſtanam profitentes ſubſcripſerunt, nec mentionem nec interpretationem huius clauſulæ vllam addere: an non iam de facto in omnibus ſuis libris & quotidianâ precatione (ſi tamen quotidie precantur) contra morem & conſuetudinem Eccleſiæ adhuc eam clauſulam addunt & adiiciunt Lutherani? An non recordaris quid præmiſerim, cùm dicerem: *Nempe Lutherus, vt noui aliquid con-*

Lutherus orationem Dominicam non cum ea clauſula explicauit, cum qua degeneres Lutherani orant.

tra Catholicos & vulgatam eorum verſionem cuderet, Græca corrupta ſemper amplecti maluit. Quid eſt *adimere*, vel *addere*, ad ſacram ſcripturam? An tantùm primitùs auferre, vel adijcere? Nequaquam; ſed etiam auferentibus vel adiicientibus ſuum calculum dare, ſubſcribere, & vſu ipſo approbare, atque *amplecti.* Nunquam legiſti, *qui talia agunt, digni ſunt morte; & non ſolùm qui ea faciunt, ſed etiam, qui conſentiunt facientibus?* An non rectè S. Stephanus Iudæos Chriſti *proditores & homicidas* vocitauit, quia prodenti Iudæ & Brutianis flagellantibus aut crucifigentibus conſenſerunt? Quis improbat eos, qui dicunt Stephanum etiam à Saulo eſſe lapidatum, licet is lapidem fortaſsè nullum ſuſtulerit? Satis enim lapidat, qui lapidantes adiuuat. In Romanâ hiſtoriâ, non vtique ille tantùm Conſul, qui primus ſecuribus faſces circumdedit, ſed & cæteri eius imitatores memorantur faſces ſecuribus Addidisse. Eſt enim addere, etiam quod additum eſt conſeruare. Et tu forſitan ipſe inſignibus tuis laqueum, aut ſi quid vilius eſt, addere diceris, licet eundem quoque à parente tuo additum acceperis, ſi tamen parentem habes, quem vel ab hoc ipſo ſymbolo inſignem nominare potes. Neque idcirco Anabaptiſtæ excuſantur, docentes non licere baptiſmum tradere niſi adultis, qui baptiſmum per ſe flagitant, eò quòd tempore S. Bernardi quoque hæreſis extiterit, quæ docebat non licere infantes baptizare, vt videre eſt apud ipſum D. Bernardum ſerm. 66. in Cant. & epiſt. 240. Eodem prorſus modo vos Lutherani hanc coronidem orationi Dominicæ adiicitis. Et quænam frons tam meretricia eſſe poteſt, vt hoc neget? Pueri in ſcholis ita diſcere apud vos coguntur. Opifices in officinis, ancillæ in culinis ita cantant, & adhuc negatis vos coronidem *illam addere*? vt nihil de Typographis dicam & librorum editoribus. Quos mirum eſt, nolle nobiſcum & cum Romanâ veráq; Eccleſiâ coronidem illam Salutationi Angelicæ addere, & ipſius Chriſti precationi addere aliquid non vereri; cùm tamen perpetuò in ore habeant illud: *Non addetis ad verbum quod vobis loquor, nec auferetis ex eo;* item cùm verba illa ex Liturgiis Græcorum (quas alioqui execrantur)

Etiam Lutherani clauſulam illam rectè dicuntur ſcripturis nō rectè addidiſſe.

Rom. 1. 32.

Act. 7. 52.

Ib. ꝟ. 57.

Deuter. 4. 2.

tur) in noua Teſtamenta Græca irrepſiſſe videantur; his enim verbis populus poſt orationem Dominicam in Liturgiis Græcorum reſpondebat ſacerdoti; nempe vt aliquid de Miſſa ſeruent, hæc verba ſeruauerunt, & ſcripturæ addiderunt; cùm tamen etiam ex Eraſmo ipſo clariſsimè audiant, *taxandam eſſe illorum* TEMERITATEM, *qui non veriti ſunt, tam diuinæ precationi ſuas* NVGAS *aſſuere.* Taxanda igitur fuit & veſtra temeritas, qui non veriti eſtis, nec adhuc veremini illam ipſam *temeritatem* imitari, & has eaſdem *nugas* diuinæ precationi aſſuere. Quæ cùm ex veſtra ſententia rectè contra vos ipſos dicantur, & ſcrupulum vobis indoctis paſtorib. credenti ouiculæ haud immeritò iniiciant, doceantq; poſthac nobiſcum & cum antiqua Eccleſia orare, vide mi Prædicantaſter, quàm longè ſatiùs fuiſſet, te hanc Camerinam non mouere, quàm mihi occaſionem præbere, vlcus veſtrum tangendi. Sed de primo ſatis.

CAPVT XXXIV.

IDEM HÆRETICVS AD LAPIDEM ADIVTORII EADEM EPISTOLA ALLISVS.

ALTERVM quod mihi ex epiſtolâ Dedicatoriâ Libelli mei de bono & malo Syllogiſmo obijcis, ferè ad idem argumentum pertinet. Nam itidẽ oſtendit, quàm vos cum diuino verbo ludatis. Verba mea ad Comitem Helffenſteinium ſunt: *His nominis tui exemplo opus eſt, tanquam lapide quodam adiutorij, quo impetum ſiſtant. Nam ita Martin Luth. ad 1. Reg. c. 4. verſ. 1. Biblijs VVittebergæ impreſſis Anno 1561. Lapidem adiutorij, ſeu* Eben Ezer *ad marginem interpretatur, dum ait:* Eben Ezer / heiſt Helffenſtein: *Nempe ille ipſe locus 1. Reg. 7. 12. Inter Maſphat & Sen, à Samuele quondam vocatus lapis adiutorij, ſi Luthero credimus, nominis veſtri eſt origo, quamuis reclamantibus inſignibus gentilitijs veſtris, Elephantem* Lapis adiutorij quàm Bellè à Luthero explicatus.

lapidi impoſitum gerentibus, noménque iſtud ab animali maximo ſapientiſsimóque tractum oſtendentibus. Sed ſicut Bucero licuit S. Thomam de Aquino Italiæ oppido, nominare den Thomam von Waſſerburg *oppido Bauariæ; ita & fas eſt Luthero veſtram domum in Palæſtinam transferre. Pro ignaro habitus eſſet, niſi quadrata rotundis miſcuiſſet.*

Explicatio Lutheri quã belle à diſcipulo eius defenſa?

Hæc ego in Præfatione ad Perilluſtrem D. Henricum Comitem in Helffenſtein, &c. in quæ tu tanquam lapide percuſſus & furibundus canis ſic baubas: *Venenato calamo, impurâ manu, B. Lutherum* (miſeret me beatitudinis iſtius) *præter omne meritum, perſequi non vereris, quaſi iſte illuſtrem familiam Helffenſteinianam, ex gente Iudæâ deriuare voluerit, quod tamen viro beato in mentem veniſſe, ne dum dixiſſe & ſcripſiſſe, ex loco allegato probaueris nunquam, niſi idem ſanctiſsimos Pontifices, & Præſules Romanos feciſſe dixeris, qui vocabulum Aben-Ezer lapidem adiutorÿ reddiderunt; quod rectè vernaculâ linguâ optimè* Helffenſtein *dicitur: quod tamen metu anathematis non tentabis in æternum.* Grande fulmen! ſed à fatuâ manu vibratum.

Defenſio Lutheri ſub iugum miſſa.

Non dico quid Luthero in mentem, ſed quid in calamum venerit, & facilè eſt conijcere, quid tali vel adulatori, vel ſcurræ alibi quoque non rarò ad marginem ſacræ ſcripturæ ſcurranti etiam in mentem venerit, qui nihil intentatum reliquit, vt tales ſibi familias deuinciret, atque adhamaret. Sed ſunt & alia inſuper, de quibus iſte tirunculus eſt admonẽdus. Nam cùm palàm conſtet Helffenſtein/ non à lapide adiutorij, ſed ab Elephante lapidi inſiſtente deriuatum (ita enim Germani Elephantum nominant, vnde & ebur Helffenbein appellitamus) æquiuocationem commiſit in eâ verſione Lutherus.

Deinde etiam in eo peccauit, quòd ὕστερον πρότερον poſuit, & cum eo ſciolus iſte, qui ait, *Lapidem adiutorÿ certè vernaculâ linguâ optimè* Helffenſtein *dici*; quaſi verò idem ſit caput pileo, quod pileum capiti, nauem vectoribus, quod vectores naui imponere. Vertunt igitur ſanè Pontificij *Aben-Ezer lapidem adiutorÿ*, ſed id, vt *vernaculâ linguâ* ſerióque Helffenſtein dicam, nec vllo exemplo Pontificiorum ad Lutherum alludentium, aut metu anathematis adigar; nec me iſte Pſeudopontifex Ratiſponen-

ſis

Digitized by Google

ſis vnquam adiget. Longè enim rectiùs in noſtrorum Bibliorum contextu *lapidem adiutorij* den Stein der Hülff/dici reperio: 1. *Reg.* 4.1 ita enim illum locum vertunt; Vnd Iſrael iſt in Streit entgegen zogen den Philiſteern/ vnd hat die Zelt auffgeſchlagen neben dem Stein der Hülff. Quod ex Lutheri & huius Ratiſponenſis pumili ſententiâ ſic verti debuiſſet, vnd hat die Zelt auffgeſchlagen neben Helffenſtein. Quæ verſio ſi tantoperè arridet; Age aliquis Prædicans, & Ratiſponæ vel alibi in Germaniâ pro concione ita loquere, & experieris quantis populus nutibus ſibiliſque verſionem tuam ſit reiecturus; vel certè plurimi in magnam admirationem rapientur, nec ſatis intelligere poterunt, an Iſraelitæ iuxta Helffenſtein in Germaniâ caſtra ſua collocârint?

Denique ſi idem tibi eſt Helffenſtein / & Stein der Hülff / quid ampliùs reſtat, niſi vt omnia tuo arbitratu ſuſque deque vertas, & prima vltima, vltima prima facias? iamque *Haceldama, hoc eſt, ager ſanguinis*, non *ager ſanguinis*, ſed *ſanguis agri* ſit, agerque ipſe in animal tranſeat te iubente? Poteris pro tuâ interpretandi libertate etiam dicere, Ozam manum ſuam extendiſſe non *ad arcam Dei*, ſed ad *Deum arca*: & quiſquis Prophetam Domini vidit, te iudice gloriari poterit, ſe Dominum Prophetæ vidiſſe. Quæ tam ſunt abſurda, vt nemo non palpare poſſit te in ipſo *Lapide adiutorij* perijſſe, & velut Gemonias ſcalas in ipſo aſylo reperiſſe. Quanquam ſi omninò in talem vnam vocem cogere voluiſſet interpretationem ſuam, rectiùs vertiſſet Hülffeſtein / quam Helffenſtein / vbi ſaltem æquiuocatio illa non interueniſſet. Quanquam ſi Lutheri ſordes, quibus Biblia inquinauit, volebas abſtergere, longè alias habuiſſes abſtergendas; vt illas quas ibidem citaui in ſecunda Reuocatione, vnde tu illud de clauſula orationis Dominicæ excerpſiſti. Nempe illas ſordes, quas Lutherus ad illud: Mulierem fortem, quis inueniet? procul *& de vltimis finib. precium eius*, in Biblijs ſuis Germanicis Anno 1560. Norinbergæ impreſſis, pudiciſſimè aſperſit his verbis: Nichts liebers iſt auff Erden/ dann Frawen lieb/ wems kan werden. Sed nimirum & hîc arte Prædicanticâ opus fuit, quæ diſſimulando meliùs ſe excuſat, quàm declamando.

Matth. 27.8.
Act. 1. 19.

2. *Reg.* 6. 6.

Quæ

Quæ cùm ita ſint, tanto grauiore ſcuticâ dignus es, qui inter pauca verba tam multa conuitia, & in parua charta tam magnas calumnias in me effudiſti, quę omnia tibi in ſinum refundo. Quis enim iam *fronte meretricia mentitur? quis ebrius calumniis & conuitiis euomit* potiùs quàm ſcribit? quis *mentis inops?* cui *faucem verba Eraſmi præcludunt?* quis *coaxat?* quis Bellarmino *violentas manus infert?* quis *venenato calamo?* quis *impurâ manu præter meritum* alios inuadit? denique quis *anathemate* dignus eſt? Nónne Dominicæ Orationis & diuinæ ſcripturæ corruptor? Nónne tu ipſe velut veſpertilio in ſtrictum mucronem ſpontè incurrens? & tuam ipſe mortem vltrò quærens? Habe ergo quod quæſiuiſti, ſed de cetero noli redire, nam tuâ gratiâ nec manum vertam. Quod nunc feci, propter eos feci, qui me rogauerunt, & digni ſunt meis obſequijs, etiamſi non rogarent. Ingolſtadij. Anno 1624. 20. die Aprilis.

Ratiſponenſis Prædicantaſtri formulę conuiciandi.

CAPVT XXXV.

APOSTATÆ DE NEGLECTV SCRIPTVRARVM CALVMNIAE, QVAM MALE FVLTAE? ET DELRIVS AB ILLO CONTRA ILLVM PRODVCTVS.

TRia Lutheranorum vitia, in conuicia aduerſus Traditiones diuinas à Iacobo ſunt demutata. Nam ſicut nullis ſcriptura eſt obſcurior, quàm hæreticis, qui eas ſine Traditione interpretationeque Eccleſiæ intelligere non poſſunt, & tamen pro innata ſibi malitia, lupi more in ſuperiore ripa ſtantis, atque ouem longè infrè bibentem de turbato ſibi alueo accuſantis, Catholicos clamitant Traditionibus ſuis ſcripturas obſcurare; ita ijdem non ſolùm poſtquam pro libitu ſuo, ſcripturis addiderunt, vel ſubduxerunt ſenſus, ſententiaſque, imò & poſtquam totos libros abſtulerunt, nos ob earun-

Apoſtata ſuis maculis alios conatur maculare.

Luther. to. 4. Germ. excuſo VVittëberga. An 1551. fol. 475. de corruptis à ſe Bib-

earundem diuinarum Traditionum defenſionem de imperfectione, ſed etiam de neglectu ſcripturarum (quæ erat tertia Apoſtatæ ratio) infamare conantur, infamiâ fortiùs in auctores ſuo reſiliente.

liis reſponderi *Doctor Martinus Lutherus vult ſic habere &c. Sic volo, ſic iubeo, ſit pro ratione voluntas.*

Quod in prima alteraque ratione hucuſque oſtendimus, ſupereſt, vt id ipſum in tertia quoque fuſiùs declaremus. Tametſi enim id iam antè ſatis à me factum eſt, maiorem tamen rurſus dicendi occaſionem præbuit Apoſtata.

Duo is in neglectu ſcripturarum apud Catholicos calumniabatur, & quòd litterati ſcilicet ſcripturas negligerent, & quòd illiterati negligere cogerentur. Ordine ſingula reuideamus.

Duplex de neglectu ſcripturarum calumnia.

Litterati, inquiebat, *& Clerici rarò & parùm, illiterati & Laici nunquam, aut vix vnquam ſacrum Codicem legunt.* Et: *Ita ſanè mihi antehac, ita multis inter Pontificios, ipſoſq́; Ieſuitas degentibus animo ſuo cautiſſimis etiamnùm accidit.*

Pag. 6. Laqueor. Pontif.

Iſthæc falſa eſſe memoratu, eadem in vſu calumnioſa eſſe, bona deſtimulare, facta & famam ſauciare, ſi de Ieſuitis agatur, decem argumentis; ſi de alijs ſit ſermo, pluribus exemplis in lucem dedi.

Ad quæ reſpondēs Apoſtata, primum ordinem perturbat ac ſeriem argumentorum, more eorum, qui vel de puluerea nube, vel de nocturna caligine in hoſtem pugnant, ne eorum imbecillitas aut fraus pateſcat. Secundò notâ ſibi arte, quædam diſsimulat, & præteruolat; immò quis non laudet? deuorat, ſed in ſilentio. Tertiò quædam eleuat & ioco eludit, quaſi ridere ſit reſpondere. Quartò quædam craſsiore mendacio, quàm ventre, negat. Quintò quædam ipſe confirmat corroboratque, & reipſa fatetur ſe calumnijs ſuis meruiſſe, vt capram in fronte circumportet, ſplenijs & inhoneſto diademate coronandam; vel vt Plautino more dicam, *victurum in cute punctum.*

Aran. cap. 11. pag. 83. 84. 85. 86. & 87. Apoſtaticæ in reſpondendo artes.

Itaque ad octauum meum argumentum primo loco reſpondet; immò primo loco quædam tacet, quædam aliud agendo diſsimulat. Ipſum illius argumentum è Delrio malè de-

Delrius non pro, ſed contra Apoſtatã. *Diſſ. de Laq. c. 9. pag. 38.*

depromtum, in illum contorſeram paucis verbis. Ad quæ in margine appoſui & errorem Apoſtatæ & locum Delrij: *In Phari ſacræ ſapientiæ præloquijs. c. 1. non in præludio, vt Iacob. malè citat, ſicut & ſenſum ſcilicet, ita & locum.* Satius hîc duxit Apoſtata tacendo negligentiam fateri, quàm defendendo malitiam ſuam odioſiorem reddere. Quare cùm conuicia ſua Catholicis ob ſcripturarum neglectum impacta ſummatim recenſuiſſet. Simonemque & me notam illam multis amoliri conatos eſſe aſſeruiſſet; ſubiecit: *Quid ad iſta illi?* & mox gymnico quodam ſaltu ſeptem meis argumentis tantiſper ſepoſitis, ad octauum aggrediens, *Stengelius*, inquit, *fatetur, Delrium Ieſuitam à me citatum, de ſatis neglecto & frigido ſcripturæ ſtudio in plerisque orbis Academijs conqueri, vt proinde neceſſe non ſit, quod Simon ridiculè à me poſcit, omnes Pontificias Academias luſtrâſſe, & diſcipulorum cenſum iniſſe. Sed excipit contra me.* Anne rectè eos, qui negligunt, facere docet Delrius? Quid *tu, maleſane, mihi obijcis? Nónne cùm dixi Delrium conqueri, eo ipſo indicaui, indignè hanc negligentiam ferre, & feruentius eiuſdem ſtudium optare?* Ehò, Iacobe,

Aran. pag. 83.

Surge, ne nugare, aſpicedum contra me.

Plaut. Moſtell.

Dediſti verba, probè me emuxti. Dixi, *Eſto conqueratur Delrius Ieſuita, vt tu legiſſe te putas*, adeò in Pontificijs Academijs ſcripturam ſacram vileſcere, vt pauci eius audiendæ ſtudio publicè ſe dedant: *anne rectè eos, qui negligunt facere docet Delrius? Nequaquam. Immò dum queritur de paucitate auditorum, Ieſuitarum more, preciũ laudat ſcripturæ, quæ digniſſima foret, vt à quàm plurimis audiretur.* Vbi hîc, Iacobe, verba illa, ob quæ me cum Simone committis? Vbi *fateor Delrium Ieſuitam à te citatum de ſatis neglecto & frigido ſcripturæ ſtudio in* PLERISQVE *orbis Academijs conqueri?* Dico, *Eſto, conqueratur Delrius Ieſuita, vt tu legiſſe te putas*, qui ſcilicet negligentiæ ſomnum nondum ſepeliuiſti omnem, neque edormiſti crapulam. *ánne rectè eos, qui negligunt facere, docet Delrius?* Eſtne hoc fateri, an dicere, quòd etiam ex conceſſa hypotheſi tua non ſequatur, id quod tu vis? immò éſtne hoc fateri quod tu fateri me dicis, an mala fide citantem reprehendendo negare potiùs? Atque vt artes tuas detegerem radicitus,

Mendacium Apoſtatæ.

Digitized by Google

Non radicitus quidem hercle, verum etiam eradicitus. *Plaut. ibid.*

mox citationis tuæ malignitatem his verbis correxi. *Sed audiamus Delrium, ita enim ille ait.* Si quanta ſacræ ſcripturæ dignitas, vtilitas, & voluptas eſt, tantum omnes arbitrarentur, plures illa in PLERISQVE orbis Academijs admiratores, & amatores magis ſedulos, ac feruentiores haberet &c. *Ac deinde longa diſputatione ſuadet, ac vrget ſtudium ſacrarum litterarum.* Hæc ſubieci fateor. Ergóne etiam *fateor Delrium de ſatis neglecto & frigido ſcripturæ ſtudio in* PLERISQVE *orbis Academiis conqueri?* Non fateor, nec neceſſe eſt me fateri. Quamuis ſi vel maximè faterer, nihil contra me ipſum faterer. Infert quidem Delrius rectè ita: *Si quanta ſacræ ſcripturæ dignitas, vtilitas, & voluptas eſt, tantum omnes arbitrarentur, plures illa in* PLERISQVE *orbis Academijs admiratores, &c. haberet.* At ex hac ipſa illatione imperitiſsimè tu infers. Ergo *Delrius de ſatis neglecto & frigido ſcripturæ ſtudio in* PLERISQVE *orbis Academiis conqueritur.* Quæ conſequentia talis eſt, ac ſi quis ex ita dicente: *Si quanta pecuniæ vtilitas & voluptas eſt, tantum omnes arbitrarentur, plures illa in* PLERISQVE *orbis & Academiis, & vrbib. & locis admiratores, & amatores magis ſedulos, ac feruentiores haberet:* Si quis, inquam, ex ita dicente inferret Ergo *iſte de ſatis neglecto & frigido pecuniæ ſtudio in* PLERISQVE *orbis & Academiis, & vrbib. & locis conqueritur.* Immò ſi illa tua illatio proba eſt, nihil prorſus cõtra Catholicos garris, cùm inter *pleraſq; orbis Academias* etiam ſint Academiæ Lutheranæ, quas ex tua interpretatione, cùm Delrius æquè perſtringat, ac noſtras, quid tuas noſtris ex teſtimonio Delrij præfers, quaſi à ſcripturarum ſtudio magis laudatas?

Apoſtata imperitus dialecticus.

Hæc quanquam me, imò & ſcopum non petebant, (nam etiamſi daremus conqueri Delrium, nónne id potiùs colligeretur, neglectum ſcripturarum apud nos eſſe rem querelâ ac reprehenſione dignam, etiam ſtante Traditione?) nec magni momenti ſint, tamen prætereunda non cenſui, vt appareret, te velut fato malo, pro factis tuis peſſimis vbique peſſum premi. Sicut & ibi etiam nemine premente, ſponte peſſum is, cùm ais, *Quid tu iſtud, maleſane, mihi obijcis? Nonne, cum dixi Delriũ*

Delrio ſeipſum dum firmat, impugnat Apoſtata.

Aran. pag 83.

conqueri, eo ipſo indicaui, indignè hanc negligentiam ſcripturæ illum ferre, & feruentius eiuſdem ſtudium optare? Vis ſcire, Iacobe, quis noſtrum maleſanus ſit, aut capite laboret? is qui neſcit, quid ipſe, quid alij loquantur, quemadmodum tu nunc neſcis. Nam idcirco interrogas; & quidem ita interrogas, vt neſcias ipſe, quantum cauſſæ tuæ officias. Obijcio igitur tibi Delrium *longa diſputatione ſuadentem ac vrgentem ſtudium ſacrarum litterarum*, & inde oſtendo, Ieſuitas non ſcripturæ diuinæ neglectum, ſed ſtudium ſuadere ac vrgere. Immo ſi tu ipſe, *cum dixiſti, Delrium conqueri, eo ipſo indicâſti, indignè hanc negligentiam ſcripturæ illum ferre, & feruentius eiuſdem ſtudium optare,* quàm clarè ea ipſa re, qua cauſſam tuam firmare volebas, impugnauiſti? Si enim oſtendere volebas, Ieſuitas ſacræ ſcripturæ negligentes eſſe, amentiſsimè produxiſti Ieſuitam *conquerentem atq; indignè hanc negligentiam ſcripturæ ferentem & feruentius eiuſdem ſtudium optantem.* Quis igitur maleſanus, Iacobe? quis capite laborat? immò quis capite otiatur, & ita contra ſe ipſum ſcribit, ac ſi caput non haberet, vel certè tale haberet, quale vulpes, apud neſcio quem pantomimum, inuenit inane & excerebratum?

CAPVT XXXVI.

IESVITAS IN SCRIPTVRARVM STVDIO, VEL IPSO APOSTATA AGNOSCENTE, LONGE DILIGENTIORES ESSE, QVAM PRAEDICANTES.

Laqu. Pontif. cap. 6. Diſſert. de Laq. c. 9.

INTER cetera, cum dixiſſet Apoſtata, *quòd ſplendidiſſimo diuinarum traditionum nomine decepti, humanorum figmentorum laqueis* capiamur, *vnde nunquam, niſi aſsidua ſcripturæ lectione* euaſuri ſimus etiam nos Ieſuitæ; reſpondi: *Quid ſi nulli vſquam Prædicant[illegible]ui ceteros Theologos ſpernunt, tam in volutandis ſacris litteris aſſidui ac frequentes ſint, quàm Ieſuitæ?* Et ad id confirmandum

ſtatim

ſtatim ſubieci. *Illi* (Ieſuitæ ſcilicet) *1. quotidie ferè duo è ſacro volumine capita ad menſam legi audiunt. 2: quotidie vnâ horâ meditantur, quæ tota plerumq; meditatio è ſacra ſcriptura petitur. 3. Breuiarium quoties orant, quid ferè niſi Pſalmos, Prophetas & Epiſtolas ſacras in ore habent?* Hæc argumenta Apoſtata negare non potuit. Itaque ex Satyrici præcepto, *Meſſe tenus propriâ* viuere, aut reſpondere cachinnando voluit. *Luculenta ſcilicet*, inquit, *ſtudij ſcripturarum teſtimonia: cum prandetur aut cœnatur, aut Breuiarium curſim demurmuratur, hoc eſt, cum aliud agitur, ſcripturam audire, legere, leuiter percurrere.* Perſ. Satyr. 6.

Diſſimulator, cur ad quotidianam meditationis horam, quam ſuprà in obiectione poſuiſti, hîc in reſponſione taces? Anne etiam meditari in ſcripturis, eſt ſcripturas *leuiter percurrere?* Itaque & Dauid, quando dixit, *teſtimonia tua: mandata tua: lex tua, &c. meditatio mea eſt*, indicauit, ſe ſcripturas *leuiter* duntaxat *percurrere?* Vidiſti hunc mucronem, hinc arte tua vſus ſilentij foueam, quàm ictum ſubire maluiſti. Pſal. 18. 24. & v. 143. 174.

Illud autẽ, quàm profanè, quàm peregrino, & ei qui Breuiarium nunquam vſurpauit ſimilis, ais, cum *Breuiarium curſim demurmuratur, hoc eſt, cum aliud agitur, ſcripturam leuiter percurri? Aliúdne agitur*, quàm vt ſcripturæ attendatur, cum ex Breuiario & Pſalmis cęteriſque in Breuiario contentis ſcripturis oratur? Tum neſcis profectò, quid ſit Breuiarium orare: aut tuo pede alios metiris, qui olim, cum Breuiarium eſſet recitandum, aliud egiſti, eâque tam pulchra oratione tua Apoſtaſiam à Deo exorauiſti. Enimuerò etiam illud inſcitè affirmas, *Breuiarium demurmurare*, eſſe *ſcripturam leuiter percurrere*; cùm etiam linguæ oratio, ſit quædam meditatio. Quare idem Pſaltes ait, *Lingua mea meditabitur iuſtitiam tuam, tota die laudem tuam.* Et aliàs, *Os iuſti, meditabitur ſapientiam*, ait, non ait, *curſim demurmurabit*. Quòd tantò verius eſt, quia etiam qui alioqui non admodum tenaci ſunt memoria, tamen ex frequenti diligentique meditatione recitationeque iſta totos Pſalmos ſcripturaſque quàm plurimas memoriæ infixas tenuerunt. Apoſtata Breuiarium orare neſcit. Pſal. 34. 28.

Sub prandio aut cœna ſcripturam audire nihil eſſe putas? An inter cœnandum aut

prandendum ex lectione audita proficere poſſimus?

Nempe apud te nihil eſt, cuius animus totus in patinis habitat; & qui Lutheri mundulos illos ſymposiacos ſermones audire præoptas. At alia eſt ratio Religioſorum, quorum plurimos ſæpe vidi, qui exemplo ſancti Anſelmi, ſancti Bernardi & aliorum in virtute exercitatorum, cùm de menſa ſurrexiſſent, commemorare potuerunt, quid legi de ſacro volumine audierint, & tamen, quid comederint, neſcierunt. Sed quid de Religioſorum inter prandendum cœnandúmue attentione diſputo, cùm tot Principum, Ducum, & Palatinis negotijs deditorum exempla paſsim ſuppetant? qui meritò illud Catullianum ſibi accommodare poſſunt, ac dicere,

Catull. in Carm Nuptial. LXIII.

Nos aliò dentes, *aliò conuertimus aures.*

Atque vt cætera taceam, quotuſquiſque ex illuſtribus iſtis viris, non audit ad menſam litteras noua nunciantes? Illis ergo rebus iſti alioqui audiendo diſcendoque non nimis aſſueti, aures paſcere poſſunt, dum os ventremque paſcunt, & Religioſus non poſsit animæ pariter corporiſque ſe pabulo ſaginare? Præſertim lectione eâdem toties repetitâ? Quàm multos ego Religioſos noui, quos & tu ipſe nouiſti, qui præter ſcripturas in Breuiario quotannis & quotidie recurrentes, prǽterque diligentem ac frequentem earundem in ſacrificio Miſſæ, immò etiam præter creberrimam priuatam lectionem, tota Biblia à principio vſque ad vmbilicum & finem vigeſies, quin & trigeſies ac ſæpiùs ad menſam prælecta audiuerunt?

Lucret. lib. 4.

Nonne vides etiam guttas in ſaxa cadentes
Humoris, longo in ſpatio pertundere ſaxa?

Pertundere, inquam, *non vi, ſed ſæpe cadendo*; quid diuinum verbum non poſsit toties in tam bonam terram cadendo?

Quàm multæ occaſiones Prædicantibus deſint, quò minùs proficiant in diuinis litteris.

Quàm meritò igitur dixi (quod tu immeritò diſsimulas, immò cui tu meritò conſentire videris tacendo) *Quid ſi nulli vſquam terrarum Prædicantes, qui cæteros Theologos ſpernunt, tam in voluendis ſacris litteris aſsidui ac frequentes ſint, quàm Ieſuitæ?* Quinam enim Prædicantes, à ſuis Marijs, aut Ian-Fridericulis *quotidie duo è ſacro volumine capita ad menſam legi audiunt?* Qui vel quot tota Biblia à capite vſque ad calcem, non dicam trigeſies, aut vige-

vigeſies, ſed vel decies aut quinquies prælegi audierunt? Qui, & quot quotidie vnam horam peculiarem in ſcripturis diuinis meditandis inſumunt? Qui quotidie præter alia cantica B.MARIAE, Simeonis, Zachariæ, trium puerorum, aut ſimilia,&c. præterque hiſtorias & lectiones diuinas tam in Breuiario, quàm in ſacrificio Miſſæ, occurrentes, minimùm quadraginta Pſalmos, aut certè totidem Pſalmis æquipollentes Pſalmorum portiones recitant, vt omnes omninò apud nos Sacerdotes factitare iubentur? An non poſſum denuò dicere: *I, & numera vtri crebriùs diuinum verbum aſpiciant, tuíne, an noſtri? & tamen è tot millibus noſtrorum, nondum quiſquam, præter te, cernere incepit*, in maximis quibuſque controuerſijs, ſacras ſcripturas contra Pontificios *ſtare. Immò nec tu ipſe hinc Auguſtanæ Confeſſionis radium accepiſti. Non enim Scriptura fuit, ſed laterna ponè poſita, quæ te paucis diebus antè, quàm ad Lutheranos abires, in tenebris exiſtentem* (& opera tenebrarum exercentem) *illuminauit. Illa tibi præluxit. Illa viam monſtrauit.* Illâ, credo Diogenem imitatus, homines quæſiuiſti; quo pacto te Scriptura non docuit homines, ſicut nec Tubingam quærere. *Differt. de Laqu. c. 9. pag. 38. Apoſt. in Laqu. Pontif. pag. 7.*

4. Dixi *Theologiæ ſtudioſos, quotidie vnum caput è Biblijs legere iuberi.* Nimis parùm eſt hoc Apoſtatæ, indignumque videtur *vnum horæ quadrantem circiter lectioni ſcripturæ: diem ſcholaſticis nugis impendere.* Ita *ſcholaſticas nugas* vocat, quidquid ſcriptura non eſt. Quod ſi verum eſt, quid ſtudioſi Tubingenſes Apoſtatam docentem auditis, cùm ſcripturam non explicet, ſed controuerſias, hoc eſt, *ſcholaſticas nugas?* Et verè *nugas*. Seriò enim non agit; ſed ludos facit, ſeriò paulò poſt finiendos. Deinde ſi præter ſuprà dicta infraq; cõmemoranda ſcripturæ ſacrę exercitia, *vnum horæ quadrantem lectioni ſcripturæ impendere*, nimis parũ eſt, quinam Prædicantes tam in ea re induſtrij ſunt? Quòd autem ad *ſcholaſticas*, vt nugator appellat, *nugas* attinet, iam antè in ſeptimo meo argumento præueni: cùm enim S. Thomas, *aliíque Theologi ſua pleraque è ſacræ ſcripturæ fontibus hauriant, & ponderent, velut commentariorum loco eſſe poſſunt*; vt adeò qui hos verſent, ſcripturæ ipſi primariò, Religioniſque negotio incumbere *Aran. pag. 84.* Scholaſtica Theologia quid ſit iudicio Apoſtatæ. *Differt. de Laqu. c. 9.*

Digitized by Google

bere meritò cenſeantur. Cadit ergo puerilis illa Apoſtatæ in VI. regulá Prouincialis explicatio & comparatio, qua S. Scripturæ ſtudium cum ſtudio S. Thomæ confert, vt magis S. Thomæ, quàm ſcripturæ ſtudere videamur. Quaſi verò nihil ſit præter D. Thomam *ſacræ ſcripturæ lectionem per biennium, audire quotidie per tres circiter horæ quadrantes? &c.* Quid veſtri Theologi faciunt, Iacobe? an omnes ſcripturam interpretantur? aut præter ſcripturæ interpretem omnes, tuâ cenſurâ, tecum nugantur, & ritu ceruæ catulientis vitulantur?

Aran. pag. cit. & ſeqq. Atque vt planum faciam, quàm ſolidè immò quàm ſtolidè ſoleas reſpondere, *Ridiculum planè effugium eſt*, inquis, *quòd Thomæ aliorumq́ Theologorum ſcholaſtica volumina, tanquam commentarios ſcripturæ, vterque habet* (Stengelius ſcilicet & Simon) *& eos qui illa verſant, ipſius ſcripturæ libros quaſi voluere cenſet; quia ſcilicet in illis ſcholaſticorum libris ſubinde, aut paſſim aliqua ſcripturæ loca quoquo modo allegantur*, (immò accuratiſsimè diſcutiuntur & exponuntur, vt tu ipſe Apoſtata, tuo exemplo teſtaris, qui Vazquetium & alios in ſcripturarum expoſitione, toties citas, & ſuper eorum interpretatione, tanquam in ſolidiſsimo fundamento, nidos tuæ nequitiæ ædificas.) *Durum telum, neceßitas. Nónne hoc eſt minutias inaniſsimas conquirere, ad ſtudium ſcripturæ accuratiùs, quàm reuera inter Pontificios eſt, eruendum?* Hæc tua eſt reſponſio. Ex qua negant Lutherani, ſe didiciſſe, quo pacto argumento meo ſatis fiat: illud didiciſſe ſe aiunt, quo pacto rideri poſsit, ſi reſponderi non poſsit. Nam plura vel in vnico S. Thoma ſacræ ſcripturæ loca allegari, explicariq́ue vltro agnoſcunt, quàm in volumine vllius Prædicantis. Aliud ergo pittacium quære, hapſus iſte plagam tuam non protegit.

S. Thomas alijq; Theologi, an ſcripturas non explicent?

5. Adieci eoſdem Theologiæ ſtudioſos, apud nos *vel quotidie, vel alternis diebus ſcripturæ explicationem audire*; idq́ue confirmaui, tum V. Regula Prouincialis, cui præſcribitur, vt *Magnam diligentiam adhibeat, in promouendo ſacrarum literarum ſtudio*, tum etiam Regula V I. qua modus præſcribitur ſacræ ſcripturæ ſtudendi. Ad hæc ſic reſpondet miſer ille ab omni veritate & honeſtate exul. *Quatuor annis integris Ingolſtadij inter Ieſuitas Theologiæ ſtudio-*

Mendacia Apoſtatæ varij generis.

Ibid.

Digitized by Google

ſtudioſos vixi (vixiſti; nam mortuus es) *& tamen non modò non quotidie, aut alternis diebus, ſed nullo omninò die, nec ego, nec quiſquam condiſcipulorum è Ieſuitis, ſcripturam explicari audiuimus. Profeſſor ibi ſcripturæ Ieſuita nullus fuit.* O os ſine fronte! vel iam adhuc in hoc Collegio noſtro viuunt, qui tunc inter Theologiæ ſtudioſos tecum numerati fuerunt. Illi dicunt te impudenter mentiri. Et verò præter alias diligentiæ induſtriæque ſuæ notas, ex commentarijs in condiſcipulorũ tuorũ conſuetu ad ſcripturarum intelligentiam tunc vſurpari ſolitis collectas habent, monſtrantque adhuc hodie ea, quæ dum epiſtola ad Hebræos vobis explicaretur, copiosè annotauerunt. Et tu ſcribere non vereris, *quatuor annis integris*, quibus *Ingolſtadij inter Ieſuitas Theologiæ ſtudioſos vixiſti, non modò non quotidie, aut alternis diebus, ſed nullo omninò die, nec te, nec quenquam condiſcipulorum è Ieſuitis, ſcripturam explicari audiuiſſe?* Cuius te poſthac pudebit, ſi tam perſpicui mendacij non pudet? Porrò quòd, cum Theologiæ diſcendæ operã dares, *Profeſſor* hîc *ſcripturæ Ieſuita nullus fuerit*, paulò tectius eſt mendacium, & ſimile doloni vaginâ tecto. *Profeſſor* enim *ſcripturæ* publicus tunc *Ieſuita nullus* fuit, ſicut nec domi talis, qui aliud negotium non haberet; fuit tamen is ipſe domi *ſcripturæ Profeſſor*, qui publicè ſcholaſticam S. Thomæ Theologiam profitebatur. Itaque etiam in hac æquiuocatione eſt tibi *vana ſpes & mendacium viro inſenſato.* Quòd autem noſtris domi crebriores, liberioreſque ſcripturæ exercitationes inuideas, quid mirum? Magno tuo tuorumque hæreticorum malo tirones iſti exercentur. Nemo libenter videt hoſtem ſuum contra ſe armis inſtrui. Denique neq; mihi, neque diſcipulis meis, apud prudentem vllum, calumnijs tuis inuidiam conciliabis. Tales ſunt Ieſuitæ, vt prompti ſint audire, quoſcumque eis obedientia præſcripſerit Profeſſores. Si tuos mores imitarentur, tales eſſent, quales eos eſſe mentiris. *Eccli. 34. 1.* Liuor Apoſtatæ.

Pro me ipſo aliud nihil dicam, quàm me ſiue cum domi priuatim ſcripturam, controuerſias, caſus; ſiue cum iam tertio anno publicè Theologiam docui, quantum animi corporiſq; vires patiebantur, conatum eſſe laborare. Satis eſt, ſi Calumnia Apoſtatæ.

ſuperioribus meis ſatisfacio. Hæreticis non cupio, non volo placere. Quanquam tu, vt calumnias tuas (quas non pluris facio, quam ſi cicadam ſtrepentem audirem, aut ranam de palude coaxantem) non incomitatas prodire ſinas, duobus alijs inſuper mendacijs ſtipes. Ais enim, *vix tertium annum eſſe, cum tandem a publica Ethicæ, ad domeſticam ſcripturæ profeſſionem* ſim *promotus.* Non enim ſolùm plures anni ſunt, quā tu numeres, ſed nec illud verum eſt, quòd *tandem à publica Ethicæ ad domeſticam ſcripturæ profeſſionem ſim promotus.* Siquidem ſimul & Ethicam publicè, & ſcripturam priuatim docui, domi pariter & foris occupatus. Potes igitur & hoc ſi non inter mendacia, ſaltem inter ceteros ignorantiæ tuæ theſauros annumerare. Sicut & illud quod addis: *Num ea* ſcripturæ *profeſſio ſucceſſum, & Stengelius in ea ſucceſſorem ſactus ſcilicet Scholaſtica Theologiæ ipſe qualis qualis Profeſſor publicus, habeat, ignoro.* Grande affectatæ ignorantiæ, & plus quā Telephium vlcus, ab Achille ſcilicet aliquo; aut Chirone ſanandum! Vt igitur etiam hoc à me diſcas, nôris me in ſcripturæ domeſticæ profeſsione ſucceſſorem habere, & quidem, quàm me, longè diligentiorem: vt videas Ieſuitas ſemper magis ac magis induſtrios eſſe in diuinarum litterarū cognitione adipiſcenda. De ſucceſſu meo ſi vis certior fieri, reſpondeo tibi, quod Nathanaeli Philippus, VENI ET VIDE.

Mendacia Apoſtatæ.

Eád. 84. pag. Aran. ſupra cit.

Ignorantia Apoſtatæ.

1. Io. 46.

6. Vt oſtenderem Ieſuitas in diuini verbi ſtudio non ſolùm non negligentes, verùm etiam Prædicantib. ipſis multò impenſiores eſſe, dixi: *Quis plures in diuerſos ſacræ litteraturæ libros edidit commentarios, quàm Ieſuitæ? quod nequaquam facerent, ſi ſcripturam ſacram negligendā cenſerent. Enumera mihi apud Lutheranos tot ac tam accuratè in omnem ſcripturam commentantes? Vbi apud vos Delrij, Pererij, Baradij; Emanueles Sa; Mariani; Ludouici Baleſter, Saliani, &c. quorum ſolorum nomina longum catalogum, volumina amplam Bibliothecam implerent &c: vt ſtudium hoc non tantùm fuiſſe inter Ieſuitas, ſed etiam adhuc eſſe & florere totus mundus intelligat. Neque enim idem eſt, ſcripturam negligere & commentarijs illuſtrare &c.*

In Differt. de Laqu. pag. 37. Ieſuitæ in ſcripturam diligentiâ Prædicantes longè ſuperant, vel Apoſtata agnoſcente.

Ad cetera argumenta verſauit ſe Apoſtata, velut ſub Aethna anhelans Enceladus; ad hoc vltimum penitùs ſuccubuit, & non

Digitized by Google

non iam fumum ac flammas, ſed animam expirauit. Suos enim Prædicantes hac in parte Ieſuitis nec æquiparari quidem poſſe, (immò Thummium, ſe, & alios Prædicantes ex Ieſuitarum in ſcripturam commentariis diſcere, & ijs identidem vti) probè agnoſcens, aliud nihil habuit, quod diceret, quàm iſtud. *Meliuſculum illud eſt, de commentarijs, quos aliquammulti* (immò plurimi) *è Ieſuitis in pleroſq; ſacræ ſcripturæ libros ediderunt.* Hanc veritatē, ne omnino ſincera eſſet, néue Prædicātes nimis animaduerterent ſe poſtponi, affuſo illo ſeu glaucomate, ſeu luto temperauit. *Sed hoc paucorum è multis laudabilem diligentiam commendat: quæ profectò fructu optato ſinceræ veritatis non careret, niſi docti illi viri, ſuo illo inueterato errore, de traditionib. & nimiis grandi Eccleſiæ licentia ac poteſtate, altiſſimè merſi eſſent.* Iacobe, paucos non eſſe, toti catalogi apud Andream Schottum, apud Petrum Ribadeneiram, apud Iacobum Gretſerum, apud Poſſeuinum, in Apparatu, immò apud ipſos Francofurtenſes quotannis teſtantur; qui magno numero eos Ieſuitas nominant, qui in ſcripturas diuinas interpretandas ſedulò incubuerunt. Deinde neſcio quā concinnè ex eodem ore *laudabilem* circa ſcripturas *diligentiam*, & *neglectum ſcripturarum* apud Ieſuitas in eodem capite prædicaueris vituperaueriſque; neſcio quàm concordi calamo nunc ſcripſeris, *litteratos etiam inter ipſos Ieſuitas parùm ſacrum codicem legere*; nunc mutato ſtilo iterum eodem calamo ſcripſeris, *aliquammultos doctos è Ieſuitis commentarios in pleroſq; ſacræ ſcripturæ libros edidiſſe*: ànne illi ſacrum codicem parùm legerunt, qui tam multa in eum ſcripſerūt? Deniq; cum affirmâris, Ieſuitas alioſq;, ſicut & tibi accidit, ex neglectu ſacri codicis in traditionum laqueis hæreſcere, vnde tamen *aſſidua ſcripturæ lectione* euaſuri ſint; cur iſti noctes dieſq; in ſcripturis ſacris meditantes non euadunt? immò cur pro traditionib. diuinis tāto acriùs pugnant, quanto diuinas paginas crebriùs accuratiuſq; verſant? Nempe quia ſcripturæ peritiores ſunt, quàm Prædicantes, & ex ea ipſa, verbum diuinum ſcriptum & non ſcriptum, tanquam duos gemellos fratres agnoſcere didicerunt.

Aran. pag. 85.

Andr Schottus in Catalogo Catholicor. S. Scriptura interpretum Ribaden in Catalogo ſcriptor. Soc. Ieſu Gretſer. itidem in Catalogo ſcriptorū Soc. Ieſu longe auctiore. Plures in ſcripturam commentarios Catholicos diligentia circa ſcripturam teſtes qui cupit, adeat Bibliothecam Sixti Senenſis & Indicem Vniuerſalem Fabiani Iuſtiniani Gennenſis.

CAPVT XXXVII.

QVÆ, QVAMQVE FIRMA ARGVMENTA EX MAGNATVM CATHOLICORVM CIRCA SCRIPTVRAS DILIGENTIA CONTRA HAERETICOS DVCANTVR?

Differt. de Laq. cap. 9
Hęreticorum fraus inuidiam nobis de ficto ſcripturæ contemptu parere conantiū.

POſt Ieſuitas alios quoque nominaui, quorum admirando exemplo clarum fieret, quàm iniquè nos Aduerſarij in inuidiam vocare conentur; dum populo identidem ingerunt, Nos ſcripturam contemnere, ſe eam maximi facere; Nos diuinum verbum inſuper habere, ſe illud æſtimare, venerari, ſequi: atque ob eam rem nos ſola lege humana, ſe diuina gubernari; nos in tenebris manere, ſe autem cœleſti quodam lumine colluſtrari.

Marcellus Ceruinus in Vita Bellarmini cap. 33.

Nequaquam enim cōtemtum ſcripturarum præ ſe ferunt, quos dixeram apud nos non modò frequenter, ſed etiam admodum reuerenter, nempe detecto capite, aut etiam flexo poplite biblia perlegere ſolitauiſſe; nec tamen ex ea lectione traditionib. nuncium remittere didiciſſe: ſicut nec Bellarminus ipſe didicit, de quo tamen in vita eius ſic ſcribitur *Menſam verò ſacræ ſcripturæ ac ſancti cuiuſpiam vitæ lectionib. nec non in fine Martyrologij Romani ornatam habuit.*

Aran. pag. 85.
Apoſtatæ extra ſtatum quæſtionis & tamen nihilominus mendax reſpōſio.

Catholici ſcripturas non contemnunt.

Quid ad hæc talia Iacobus? *Idem*, inquit, *de quibuſdam Caſarib., Regib., & Principib. quos diligentes ſcripturæ lectores laudat Stengelius, cenſendum eſt*, (quod de Ieſuitis) *Talib. enim inter ſuos planè perrarū exemplū, nihil aduerſus noſtram frequentiam & diligentiam, ſiue ſummorum, ſiue mediorum, ſiue imorū omnium, qui legere norunt, in ſacris litteris peruoluēdis obtinebit.* Age videamus, vtrū nihil iſtis obtineam. Primùm id obtineo, vt veſtra mendacia fidem non obtineant, cum dicitis, apud nos lectionem ſcripturarum cōtemni, vilipendi, & traditionib. noſtris quendam ſacrarum litterarum contemptum gigni. Iſti tales, Traditiones diuinas credebant,

debant, & tamen nihilominùs, vt par erat, ex communi vnanimiq; ſententia Catholicorum, vel exemplo ſuo oſtenderũt, eam eſſe Bibliorum profunditatem, ſapientiam, perfectionẽ, vt nulla hominum ſcripta illis æquanda, eiſdemq; omnia tanquam infallibili auctoritati, diuinæq; veritati poſtponenda; & quidquid illis vel in minimo repugnaret, id illicò falſum eſſe iudicarent.

Deinde obtineo vanum eſſe tuum illud, *in maximis quibuſq; controuerſijs ſacras ſcripturas contra Pontificios ſtare*; & *aſsidua ſcripturæ lectione, homines è traditionum Diuinarum*, ſeu vt tu vocas, *humanorum figmentorum laqueis* euadere Legerunt iſti ſcripturas, & quidem legerunt aſsiduè, nec tamen viderunt *in maximis quibuſq;* immò nec in minimis *controuerſijs ſacras ſcripturas contra Pontificios ſtare*; neque Lutherani Biblia legendo ſunt facti, quia ſcilicet ad Lutheraniſmum non ijs, quibus tu, ſe ſe morib. antè diſpoſuerunt. Qui vult à ſcriptura ſibi tuo more oculos illuminari, debet eos antè Cupidinis tæniâ obligare, eaſq; eo ſenſu & affectu legere, quo Prædicantes paulo infra cõmemorandi. *Laqu. Pontif. pag. 7.* Catholici è ſcripturarum quantumuis diligenti lectione non fiunt Lutherani.

Tertiò obtineo Iacobum Martini Dialecticum VVittembergenſem affixis theſib. maledicentiſsimè nos de neglectu contemtuque ſcripturarum reos egiſſe; ſicuti & Ehrartum Lauterbach Concion. 2. in qua non veritus eſt affirmare, Romanos nec Biblia legiſſe, nec Grammaticam, crederéq; ſe nullum Pontificem tota vita Biblia perlegiſſe. Si hoc de Pontificib. audent affirmare iſti blaterones, quid non de *Cæſarib. Regib. & Principib.* dicent, quos tamen tu ipſe, Iacobe, non potes negare vt *diligentes ſcripturæ lectores* meritò laudari? Deniq; quæ confidentia ſcribere audent, *Romanos Biblia non legiſſe*, quorum tot fuerunt, qui Biblia integra ſua manu deſcripſerunt, inq; ea commentarios eruditiſsimos ediderunt?

Ais *perrara* eſſe apud nos ſcripturam tam diligenter legentium *exempla?* Vnde id ſcis? an te Iuppiter cum Plautino Arcturo & alijs cœli ſignis per gentes & domos diſparat, Apoſtata noua arte ſcit, quam quiſq; Catholicus ſit in ſcripturis diligens.

Hominum qui facta, mores, pietatem & fidem

noſcas, & eorum referas nomina exſcripta ad Iouem? At ais, *Plaut. Rudẽt.*

talib. perraris exemplis, nihil me aduerſus veſtram frequentiam & diligentiam, ſiue ſummorum, ſiue mediorum, ſiue imorum omnium, qui legere nôrunt, in ſacris litteris peruoluendis obtinere? Quid ratione ſummorum & mediorum obtineam, iam liquet. Vbi enim apud vos, tales Conſtantini Magni, Caroli Magni, Alexij Comneni imperatores? Vbi Stephani Hungariæ, Alphonſi Aragoniæ, Philippi Hiſpaniæ Reges, qui in ſcripturis lectitandis nedum tam diligentes ſint, ſed vel eſſe poſsint? Priùs diſpice num tanta nomina Lutherani habeant, quàm tantorum nominum diligentiam iactites. Deinde ſi Prædicantes tuos inter medios collocas, clarè vidiſti, & tantùm non clarè etiam fateri auſus es, eos in diligentia ſcripturarum à Ieſuitis longè ſuperari. Itaque quod palam loqui auſus non es, tacitè, ac per ambages conceſsiſti. Et de Ieſuitis, mi homo, non de vniuerſis Catholicis (vt tu malo dolo verba mea tranſponis) locutus ſum, quãdo dixi, *I, & numera vtri crebriùs diuinum verbum aſpiciant, tuíne an noſtri?*

Quinam Catholicorum quos Lutheranos diligentiâ ſcripturarum ſuperent, vel non ſuperét?

Quare peruersè verba mea, quaſi de vniuerſis Catholicis *ſummis medijs infimis* ſcripta ſubijcis, cum ais, *Ridendum ſe potiùs exponit, cum iſtis leuibus & inanibus iam excuſsis argumentis quaſi de palma certus, ire me iubet ac numerare, vtri crebriùs, diuinum verbum aſpiciant, ſuíne an noſtri?* Galeam pedi induiſti. Nam quod ego de Ieſuitis, tu etiam de populo, & *omnibus qui legere nôrunt* dictum eſſe mentiris. Non dixi hoc. Scio ſutores veſtros plus ſibi licentiæ in ſcripturam, quàm noſtros vſurpare; ſed vtique immemores illius, ne ſutor vltra crepidam. Ad quos proinde de Biblijs ſuperbientes rectè dici poteſt, quod Petrarcha ad imperitum præcipuè nauarchum de claſſe ſua tumeſcentem, rectiſsimè dixit. Cum enim is diceret: *Claſſem habeo inſtructam*, reſpondit: *Et inſtructos aër ventos; inſtructos æquor fluctus, & inſtructos ſcopulos* habet; *terreſtre animal, quid tibi cum pelago?* imperite nauta, quid tibi cum claſſe? *Inſtructa eſt claſsis? Inſtructæ tempeſtates, inſtructa naufragia, periculis tuis gaudes.* Sic & veſtri ſutores Biblijs gaudent, qui ſubulis deberent; ſcripturas verſant, quos crepidas & corium verſare oporteret; conſequentiaſque è ſcripturis trahunt, qui

Aran. pag. 85.

Franc. Petarch. lib. 1. de Remedijs vtriusq; fortunæ cap. 98.

qui calceorum, non ſyllogiſmorum modos intelligere aſſueuerunt. Denique iuxta vetus verbum, oportet remum ducere, qui didicit.

Sed de hoc pluribus poſtea; nunc denuo monſtremus artes tuas, quibus lectorem aliò extra viam abducis, ne erroris tui veſtigia deprehendat. Illud hic agebatur, non vtri Principes Catholicíne an Lutherani, maiorem *frequentiam & diligentiam in ſacris litteris peruoluendis* oſtenderent, ſed an ex frequenti diligentiáque ſacrarum litterarum lectione homines à diuinis traditionibus tecum ad Lutherana illa lucida interualla perducerentur? item an Catholici Traditionum diuinarum propugnatores ad contemtum diuinarum litterarum pertraherentur? quod etiam Iubilantes illi, & Chriſtophorus Schleupnerus Generalis Superintendens, aliíque hæretica lue tabidi paſsim vociferantur. Dixi igitur & Traditiones cum diligenti volutatione ſacrarum litterarum, & diligentem ſacrarum litterarum volutationem cum Catholica fide belliſsimè conſiſtere, idque exemplis illis luculentiſsimis demonſtraui. Ad hunc rhombum, tu, Iacobe, criſpas naſum. Hic dentes tuos illidere non ſuſtines. Nempe non es ex illorum albo, *quorum*

Dentes vel ſilicem comeſſe poſſunt.

Videri id poteſt in Iubilao Academico Heidelbergenſi pag. 24. & apud Maximilianum Sandaum in themate ſaculari itemq; apud Adam. Kontzen. lib. 5. Polit. c. 23.

Catull. ad Furium. XXIII.

CAPVT XXXVIII.

QVANTA IN ECCLESIA CATHOLICA, SACRARVM SCRIPTVRARVM SIT REVERENTIA ET CVRA?

QVoniam autem ob traditiones diuinas nupera hæreticorum impietas auſa eſt affirmare, *ſcripturam non vno modo, ſed variè iam pridem conuulſiſſe, hodieq; conuellere Papatum Romanum*, immò *ſcripturam blaſphemare*; & Apoſtata quoque ſæpi-

Calumniæ de ſcripturæ neglectu autores.

Iubilans Academicus Hei-

Zelbergenſis. p. 24. Aran. pag. 83. pag. 84. pag. 85. pag. 86. pag. 87.

ſæpiùs repetit opprobratque *Neglectum ſcripturarum apud Pontificios*; neceſſarium duxi, paulo pluribus, hanc calumniam à Catholica Eccleſia repellere; præſertim cum etiam alij paſsim hæretici hunc impium Svvenckfeldij & Libertinorum errorem Romano Pontifici Pontificijſque & adeò toti Eccleſiæ per ſummum nefas affricare non erubeſcant. Ita enim grunnit fricando Lutherus: Papa & Eccleſia, *ſacram ſcripturam in cœno & puluere ſepelit, & doctrinam Chriſtianam prope integram deleuit.* Cui Echûs inſtar aſſonat aper ille Caluinus, ita ſcribens; *Nec enim Papiſtarum more dicimus, ſacroſanctas ſcripturas miſſas fieri oportere, vt auctoritati hominum acquieſcamus, hoc enim effugium cenſemus blaſphemiam execrabilem eſſe.*

Luther. lib. de Conciliis & Eccleſia. Caluin. initio libr. ſeu inſtructionis aduerſus Anabaptiſtas.

Ita hæreticorum primipili ſeu de ſtabulis, ſeu de ſiluis in nos grunniunt; vt cum reipſa non reperiunt, quod damnent; fingant, quod ſaltem accuſare poſsint. Quos eorum poſteri tanquam genuini fœtus & nefrendes egregiè imitantur. Sed occidit eos imani ictu, impudentiſsimique mendacij conuincit tota Patrum antiquitas, & Eccleſiæ conſuetudo vniuerſa.

Nemo, opinor, Iudæos aut de neglectu, aut de contemtu ſcripturarum antiquarum accuſauit. Illi enim legem Moſaicam tanto in precio habent, vt eam non ſolum oraculi inſtar, in Synagogis ſuis, ſed etiam in tabernaculo quodam, perinde ac nos SS. Euchariſtiam ſumma cum reuerentia aſſeruent, eandemque, vbi vbi occaſio, publice honorandam proponant. Super hæc piaculi propemodùm inſtar cauent, ne illotis manibus Biblia contrectent. Quòd ſi contingat, vt ſacer codex alicui per imprudentiam è manibus effluat, & in terram cócidat, ieiuniũ integri diei pœna eſt. Iam quanta frequẽtia, ad legis ſuæ verba audienda diſcendaque conueniunt, quanta ſolertia omnes apices diſcutiunt Rabini? quàm multiplici quæſtionum reſponſionumque nimbo ſubſellia exſonant? quàm minuta in quæſtionem vocant? Ipſe interfui aliquando, cum in Synagoga ſua curioſè admodum diſputarent, an oblatam ſibi à Chriſtiano quodam, cætera pinguem, ſed fracto pede gallinam, ſalua lege emere fas eſſet? Accidit etiam vt quidam à nepote rogare-

Iudæorum erga ſcripturas affectus.

garetur, num ſibi liceret, Græcis etiam auctoribus operam da-re, qui reſpondit: Licere quidem, modò id nec die faceret, nec nocte: ſcriptum eſſe enim, *In lege Domini die ac nocte meditandum.* Hac tanta diligentia ſua Iudæi, nondum tamen ex ſcripturis id aſſecuti ſunt, vt Lutherani fierent. Id aſſecuti ſunt, vt quanquam ipſi Lutheranis exoſi ſint, Lutherani tamen hunc eorum erga ſcripturas affectum, nequaquam neglectum aut contemtum audeant appellare. *Pſal. 1. 2.*

Quo igitur animo, qua conſcientia Iudæis benigniores eſſe volunt, quàm Chriſtianis? cur in Eccleſiam liberiùs, quàm in Synagogam mentiuntur? Nam diligentia illa Iudæorum in volutandis noſcendiſque ſcripturis, non ad plebem, ſed ad Rabinos, ad Magiſtros, ad Scribas & præcipuos maximè pertinebat, ſicut & hodie. Cum plurimis enim Iudæis ipſe egi, qui quòd de vulgo eſſent, non ſolùm non intelligere ſe Hebræa Biblia, ſed ne legere quidem poſſe aſſeruerunt. Et antiquioribus quoque illis ſeculis, complures Iudæos ignorâſſe Hebraicam vel inde colligimus, quòd auitam Hebræam, in Syriacam commutârint, ipſeque adeò Ioſephus docti inter Iudæos nominis linguam illam ignorârit. Non ergo veroſimile eſt, vulgum Hebræa Biblia lectitauiſſe, aut nunc lectitare; & tamen idcirco non de neglectu, aut contemtu proclamantur, ſed ob doctiorum induſtriam de diligentia potiùs ſua Iudæi prædicantur.

Quinam Iudæi in ſcripturis legendis diligentes ſint?

Eodem ergo Lutherani Caluiniſtæque cum Catholicis iure agendum putent; cum Catholicorum non minor erga diuinas litteras reuerentia celebretur, quàm Iudæorum; diligentia autem etiam multò maior; multoque eorum, qui ſcripturis ſcrutandis dant operam, maior multitudo.

Aſſeruant Iudæi ſummo cum honore legem ſuam Moſaicam, idem & de Catholicis memoratur. Ita enim Paulinus ſcribit ad Seuerum, fuiſſe olim in templis eorum, duo ſecretaria, à dextero ſiniſtroque latere abſidis collocata; in quorum vno ſacra Euchariſtia, in altero ſacer codex ſollenni honore aſſeruaretur: vt nimirum Verbum diuinũ in carne & codice ſimul

Paulin. ep. 12. ad Seuerum.

Honor Biblijs aſſeruandis exhibitus.

in eodem loco poſitum venerarentur. Neque loci tantùm, ſed etiam negotiorum honorem Biblijs habuerunt: ea enim cum ægris impoſuiſſent, morbos; cum energumenis, dæmones pepulerunt. Et adhuc hodie iuraturi, religionis cauſſa digitos Euangelijs admouemus.

Pauſan. in Arcad.

Ita in Eccleſia verè eſt, quod vel fabuloſa antiquitas reuerentiæ decus vanè affectauit. Neque enim tantùm reuerentiæ argumentum fuit, quod Pauſanias refert: extitiſſe ſcilicet apud Pheneates in Arcadia Cereris fanum, in quo magna, vt apud Athenienſes, celebrabantur myſteria: extra pro fano autem lapides eminuiſſe duos prægrandes, apta ſimul commiſſione conpactos. Totam ſtructuram illam Πέτρωμα appellitabant; atque in eodem ſacras litteras, quibus ritus myſteriorũ continebantur, aſſeruauerunt. Imminente verò Theſmophoriorum ſollenni luce, lapides diduxerunt, commentariumque eductum legerunt, lectumque in priſtinum locum noctu repoſuerunt. Quam ob rem, tanto honore Petroma affeciſſe dicuntur, vt ad id iuſiurandum tanta omnium approbatione, quanta veneratione conceperint. Si ergo à celeberrimis ſcriptoribus id cum laude eſt cõmemoratum, quantò æquiùs Eccleſiæ erga verè ſacras literaturas multò maiorem affectum Paulinus celebrauit?

Illud verò audienti admirationem meritò inijcit, quod de S. Bonifacio, qui memoriarum ſunt curioſi, prodiderunt, eum quamdiu in Chriſti lege propaganda laboraret, Euangelij libros ſemper ſecum detuliſſe, neque illos vnquam, etiam cum manifeſta mortis diſcrimina vrgerent, dimiſiſſe. Nam cum Anno Chriſti. 755. Friſij immanibus animis virum innocentiſſimum inuaderent, inque caput eius crudele ferrum vibrarent, ipſe omni alio clypeo deſtitutus, bibliorum interpoſitu, vulnus excluſit. Sed neque contentus fuit DEVS, illius incolumitate, niſi etiam illuſtri beneficio rem feciſſet notabiliorem. Quippe cum ea & ferri acies & percutientis vis eſſet, vt totus liber ingenti plagâ per medium ſecaretur, cæleſti tamen prouidentia accidit, vt ne vna quidem litterula ea ſectione aboleretur.

retur. Nimirum decuerat diuino auxilio, eam rem conſeruari, quæ humano ſtudio tam piè & induſtriè circumferretur.

Vt autem in aſſeruandis honorandiſque, ita in diſcendis intelligendiſque litteris ſacris maiorem Eccleſia, quàm Synagoga; Catholici, quàm Iudæi laudem meruerunt. Maior enim illis animus ad hæc diſcenda, alacrior promtitudo, clarior intelligentia, iamque id ab Apoſtolorum ætate ſtatim fuit animaduertere.

Studium ſacrarum litterarum in Eccleſia.

Alexandriæ D. Marcus ipſe ſacrarum litterarum ſcholam fertur inſtituiſſe, in qua vtique non verba duntaxat, ſed multò maximè myſteria homines diſcebant. Ea in ſchola Philo oculatus teſtis, recenſet Eſſenos primos illos Chriſtiani nominis Alexandrinos ab aurora, vſque ad primam facem diuinis voluminib. legendis, audiendis, ruminandiſque diem omnem laborioſiſsimè impendiſse. Hæc initia erant Eccleſiæ ſcripturas æſtimantis. Quæ poſtea, vbi incrementum cœpit, non abſimili ſtudio flagrauit earundem litterarum.

Schola in ea rem Alexandriæ inſtituta. *Philo de vita contemplatiua.*

De Origene auctor eſt Euſebius, eum cum adhuc in Eccleſia eſſet, iam inde à puero ſolitum patri in dies ſingulos, ſententias aliquot ſacras è memoria, velut diuinum penſum reddere, earumque ſententiarum arcana perueſtigare: adultiorem verò factum, toto orbe conquiſitas variorum interpretũ verſiones collegiſſe, atque primùm nouo & inaudito exemplo, hexapla, & octapla, immenſo labore concinnauiſſe ſcholijſq; doctiſsimis illuſtrata reliquiſſe. Nempe, vt verè pronunciauit Eccleſiaſticus, *ſapientiam omnium antiquorum exquiret ſapiens, & in Prophetis vacabit. Narrationem* (Græcè διήγησιν, id eſt enarrationem ſeu explanationem) *virorum nominatorum conſeruabit, &c.* Quia fieri non poteſt, vt ſapiat, cui Dei ſermo non ſapit: cum ſit *fons ſapientiæ verbum Dei.* Atq; vt videas Origenem vnaq; eius parentẽ iam tum exemplo ſuo noſtri temporis hæreticos refutauiſſe, qui cum Luthero, & Iacobo Reihingo dicunt eſſe *multa loca in ſcripturis obſcura & abſtruſa, non ob maieſtatẽ rerum, ſed ob ignorantiam vocabulorũ & Grammaticæ, ſed quæ nihil impediant ſcientiã omnium rerum in ſcripturis*: itemq; cum eodem Luthero: *Non ſunt*

Euſeb. lib. 6. c. 2. & c. 12. Origenis in ſacris litteris diligentia.

Eccli. 39. 1.

Eccli. 1. 5.

Luther. tomi 3. Ien. edit.

1557. Lib. de ſeruo Arbitrio F 168. Aran. pag. 73. Luther. tom. 2. Lat. VViteb. in confutatione Lutherana Rationis Latomianæ.

Euangelia tam obſcura, vt pueris ea non poßint patere: vt inquã in Adamantio videas etiã ſenſus ipſos ſcripturę non eſſe tam apertos, *vt pueris poßint patere,* immò vt viris, accipe verba Euſebij, qui cũ recenſuiſſet, ſententias puerum Origenẽ in ſingulos dies è ſcriptura memoriæ tradere iuſſum, *Iſtud verò* ait, *munus non animo inuito Puer obijt: immò verò attentißimo ſtudio ſuas in eo defixit cogitationes, adeò vt non ſatis ei videretur, ſimplices, apertos & tanquam in procliui poſitos Sacrarum litterarum ſenſus eruere, ſed aliquid altius peruestigare, & tam in ea ætate interiores & magis reconditas intelligentias curioſè elicere voluerit: vſque eò vt Patri non nihil negotij faceſſeret, dum accuratè ſciſcitabatur, quid hæc vel illa Scriptura diuinitus inſpirata ſententia vellet indicare. Vnde Pater, quanquam ſpecie & vultu illum coram reprehendere præ ſe tulit, admonens ne quid ſupra ætatis ſuæ captum, néue vlteriùs quàm apertus ſcripturæ ſenſus ferebat indagaret, tamen animus illius tacitus apud ſe explebatur iucundißima voluptate: & maximas* Deo *omnium bonorum auctori agebat gratias, quòd fuiſſet pro ſua clementia & bonitate dignatus, eum talis Filij Patrem efficere.* Eſt ergo *aliquid altius* in ſcripturis, continentúrque *interiores, & magis recondita* in iiſdẽ *intelligentiæ*, nec ipſis quidem viris, ne dum pueris obuiæ; tantoque maior exigitur diligentia, quantò profundior ijs ineſt intelligentia.

Euſeb. lib. 6. cap. 12.

Schola ſacrarum litterarum cui Origenes præfuit.

Eadem Origenis Eccleſiæque diligentia & profunditas litterarum ex illa quoque ſchola apparet, in qua idem inſigniter deſudauit. Nam de Origene poſt luſtratam Romam ita ſcribit Euſebius. *Vbi non diu commoratus, Alexandriam reuertitur; atque ibi conſuetum docendi munus omni ſtudio & induſtria exequitur; idque Demetrio illius Eccleſiæ Epiſcopo etiam tum eum admodum adhortante & precibus propè efflagitante, vt fratribus non grauaretur eſſe adiumento. Verùm Origenes poſtquã vidit ſe ipſum non ſatis habere virium cùm ad reconditius rerum diuinarum ſtudium & ſanctarum ſcripturarum indagationem explicationémque, tum ad eos in fidei principijs inſtituendos, qui ad ipſum accedebant (à quibus dum alij poſt alios paßim à primo vſque mane ad veſperã ad eius ludum litterarium quotidie commeabant, ei ne reſpirandi quidem locus concedebatur) multitudinem diſcipulorũ in duas partes diſtribuit, & Heraclam cæteris ſuis diſcipulis præferens, virum cùm ſacrarum literarũ ſtudio-*

ſtudioſum, tum reuera in alijs diſciplinis diſertiſſimum, tum Philoſophia denique non ignarum ſocium in inſtituendi munere ſibi aſciuit: & huic eos erudiendos commiſit, qui ipſis fidei elementis modò eſſent imbuendi: eorum autem diſciplinā, qui in curſu erant poſiti & ipſo doctrina ſacra habitu aliquanto maturiores ſibi ipſi docendos reſeruauit. Tanto porro ſtudio tantaque cupiditate ſacrarum literarum accuratè perueſtigandarum ducebatur Origenes, vt linguam etiam Hebraicam ſtudioſè perdiſceret, &c. Docuit ergo Origenes quoq; ſacras litteras, ſed docuit Demetrio Epiſcopo adhortante.

Origenem poſtea ſecuti duo orientis Theologi Baſilius & Nazianzenus, qui teſte Ruffino ipſos tredecim annos, remotis profanis Græcorum libris, ſoli ſcripturæ ſacræ ſtudiū omne, omnemq; adeò laborem conſecrauerunt, de quibus ſupra. Vt de Ephrem Syro, de Cyrillo Hieroſolymitano, de Irenæo, de Iuſtino Martyre, de Clemente Alexandrino, de Hippolyto ſimilibusq; nihil dicam; quid illuſtrius, quàm ſacrarum litterarum ſcholæ Niſibi ſub Iuſtiniano Imperatore inſtitutæ? de quibus Iulius Africanus Epiſcopus. Pares his ſcholas ſub eodem Imp. Romam ſecum inducere conatum eſſe Agapitum Pontificem teſtatur Magnus Aurelius Caſsiodorus, cuius iſta ſunt. *Cum ſtudia ſecularium literarum magno deſiderio feruere cognoſcerem, ita vt multa pars hominum per ipſa ſe mundi prudentiam cuperet adipiſci; grauiſſimo ſum, fateor, dolore permotus, quod ſcripturis diuinis Magiſtri publici deeſſent: cum mundani auctores celerrima procul dubio traditione pollerent; niſus ſum cum Beatiſſimo Agapito vrbis Romæ, vt ſicut apud Alexandriam multo tempore fuiſſe traditur inſtitutum, nunc etiam in Niſibi ciuitate Syrorum Hebræis ſedulò fertur exponi; collatis expenſis in vrbe Romana profeſſos Doctores ſcholæ potiùs acciperent Chriſtianæ, vnde anima ſuſciperet æternam ſalutem, & caſto atq; puriſſimo eloquio fidelium lingua comeretur. Sed cum propter bella feruentia & turbulenta nimis in Italico regno certamina, deſiderium meum nullatenus valuiſſet impleri, quoniam non habet locum res pacis, temporibus inquietis: ad hoc diuina caritate probor eſſe compulſus, vt ad vicem Magiſtri introductorios vobis libros iſtos, Domino præſtante, confecerim; per quos ſicut æſtimo, & ſcripturarum diuinarum ſeries & ſecularium literarū compendioſa notitia Domini mu-*

Ruffin. lib. 11. hiſt. c. 9. Vide ſupra c. 28.
Baſilij & Nazianzeni erga ſcripturas amor.
Sacrarum literarū ſchola Niſibæa.
Iul. African. lib. ad Primaſium. Caſsiodor. in præfat. lib. 1. de inſtitutione diuinarum ſcripturarum.
Agapiti Pontificis cura circa diuinas litteras, & ſcholam earum Romæ inſtituendā.

ni munere panderetur. Et paulò poſt: *In quibus non propriam doctrinam, ſed priſcorum dicta commendo, quæ poſteris laudare fas eſt & prædicare glorioſum; quoniam quidquid de priſcis ſub laude Domini dicitur, odioſa iactantia non putatur. Huc accedit, quod Magiſtrum grauem pateris, ſi frequenter interroges, ad iſtos autem quoties redire volueris, nulla aſperitate morderis. Quapropter dilectiſſimi Fratres indubitanter aſcendamus ad diuinam ſcripturam per expoſitiones probabiles Patrum, velut per quandam ſcalam viſionis; vt eorum ſenſibus prouecti ad contemplationem Domini efficaciter peruenire mereamur. Iſta eſt enim fortaſſè ſcala Iacob, per quam Angeli aſcendunt atque deſcendunt, cui Dominus innititur laſſis porrigens manum & feſſos aſcendentium greſſus ſui contemplatione ſuſtentans. Quocirca ſi placet hunc debemus lectionis ordinem cuſtodire, vt primùm Tirones Chriſti, poſtquam Pſalmos didicerint, auctoritatem diuinam in codicibus emendatis iugi exercitatione meditentur, donec illis fiat, Domino præſtante, notiſſima.*

Ex quibus perſpicitur nequaquam Pontifices nulla Scripturarum cura tangi; ſed & interpretatione non in proprij cuiuſquam cerebri incude fabricandam, ſed è Patrum libris monumentisq; hauriendam. Eiuſdem quoque inſtituti Cœnobium Conſtantinopoli tam celebre fuit memoratu, vt à SS. literarum ſtudio, Studij nomen acceperit.

Schola ſcripturarum Conſtantinopoli erecta.

Quid excelſos illos Eccleſiæ proceres memorabo? S. Hieronymus æui ſui Phœnix, non tam in terris quàm in ſcripturis ſanctis totus habitauit. S. Auguſtini ad Voluſianum hæc verba ſunt. *Tanta eſt Chriſtianarum profunditas literarum, vt in eis quotidie proficerem, ſi eas ſolas ab ineunte ætate vſq; ad decrepitam ſenectutem, maximo otio, ſummo ſtudio, meliore ingenio conarer addiſcere.*

S. Aug. ep. 2. ad Voluſian.

Bedæ ſtudiũ in litteris ſacris.

Venerabilis Beda *Ego*, ait, in hiſt. Anglicana, *ſeptennis monaſterium ingreſſus, ibi tota vita meditandis ſcripturis operam dedi.* Veriſsimè. Nam & in omnes pænè libros ſacros illius extant commentaria, & nec morbo vltimo deſtitit in S. Ioannis Euangelium commentari, quin anima iam ſub labiis exiſtente, & mox fugitura, vt lucubrationem abſolueret, accito ſcriba, *Accipe*, dixit, *calamum & feſtinanter ſcribe*: ac tandem: *Bene*, inquit, *conſummatum eſt.* Moxq; cygneum illud, *Gloria Patri & Filio &*

Digitized by Google

Spiritui ſancto canens, pariter & commentarium, & ſpiritum abſoluit.

Quantum operæ precium fecerit Eboraci in Anglia iiſdem perdocendis literis Albinus, vel Alcuinus Flaccus, qui Caroli Magni vel Præceptor vel familiaris fuit, teſtatur S. Ludgerus eius docilis diſcipulus, & ob hoc ipſum Friſiorum Apoſtolus appellatus. Cui ſubſcribunt auctor vitæ S. Ludgeri & annales Friſiæ, qui fatentur, ex hoc ſacrarum litterarum fonte omnes apud ſe pietatis riuos promanâſſe. Suxit hunc ſpiritum à Præceptore etiam ipſe Carolus Magnus, qui non modò id ſtudij genus Pariſios introduxit, ſed coronato Aquiſgrani Filio Ludouico, quatuor Euangelia & Græca & Syra Imperatoriâ manu decorare non dubitauit, extatq; etiam hodie Caroli ille codex Aquiſgrani. Magnum teſtimonium ſacras literas apud Catholicos à Magnis magni fieri. Quod quidem Imperator ille tam diu egit, donec animam ageret: tutiùs exiſtimans Numinis quàm Cæſaris legibus immori. Neque tamen omni hac ſua diligentia amoreq; ſcripturarum Lutherana ſed Catholica dogmata vidit in diuino illo codice confirmari.

Caroli Magni Præceptor, & ipſe Carolus Magnus, quàm ſacræ ſcripturæ fuerint ſtudioſi? *Teganus in Vita Ludouici & Eginhardus in Vita Caroli Mag.*

Quin alter etiam ille Carolus Borrhomęus cognomine ſaluberrimæ ſcripturæ huius lectionem tanti fecit, vt non niſi nudato capite & poſitis humi genibus venerabundus ſacra illa verba lectitârit; quæ nobis quoque mos Societatis noſtræ ad menſam venerationis ergò non niſi primo loco & detecto capite, ab Anagnoſta iubet recitari. Vt nimirum tantò procliuior ſit attentio audientis, quantò apparet eminentior reuerentia prælegentis. Poſſem hîc ex hiſtoria Eccleſiaſtica, tota agmina ſcripturas ſummo honore proſequentium, ſummaq; vtilitate legentium producere, ſed hiſtoriæ hiſtoriciq; in omnium manu exiſtentes, labori noſtro compendium porrigunt, aduerſariorumq; calumnias oſtendunt tantundem, quantum Paſetis ſemiobolum valere. Non itaq; negat, immò exemplo ſuo demonſtrat Eccleſia, & ij, qui in Eccleſia maximè florent, diuina volumina cum fructu legi poſſe & reuerenter tractari

Caroli Borrhomæi in ſcripturam affectus.

opor-

Iſa. 48. 17. oportere. Scimus apud Iſaiam dici: *Ego Dominus Deus tuus, & docens te vtilia &c.* Scimus apud Paulum ſcripturam inde laudari, quia *docet, arguit, erudit in iuſtitia vt perfectus ſit homo Dei ad omne opus bonum inſtructus.* Quare Chryſoſtomus quoque verba Dei theſauro, horto amæno & fonti comparat: fruſtra autem eſt theſaurus, cuius nullus vſus; fruſtra hortus, de quo nullũ florẽ colligas; fruſtra fons, vnde nihil haurias. Origenes & Ephrem diuinas literas, tabernæ medicæ; Caſsianus agro frugifero; Baſilius & Gregorius armamentario; Hieronymus menſæ cibis inſtructæ; ipſe D. Petrus Apoſtolorum primipilus ſpeculo contulerunt. Quorſum autem taberna medica, ſi æger cum ſis, nullum ex ea remedium expetas? Quorſum frugifer ager, in quo meſſem facere pigeat? Quorſum armamentarium, ſi ex eo contra hoſtem te armare nõ feſtines? Quorſum mẽſa cibis inſtructa, ſi fame pereas & Tantali fabulam mundi redhibeas? Quorſum ſpeculum, in quod nunquam introſpicias, vt faciem à næuis emacules? Nominat eaſdem ſcripturas Iſidorus Peluſiota, aurum Dei ſpiritu probatum, ſcalaſq; ad cœlũ ducentes: quorsũ aurũ & ſcalæ, ſi illud non expenditur, iſtæ nõ ſcanduntur? Scimus quanta vis, quantumq; momentum diuinis libris inſit. Non negat, immò prædicat hoc Eccleſia. Immò quiſquis hoc negat, hunc Eccleſia pro Catholico non habet, huic anathema dicit, & iudicium Domini minitans clamat Maranatha.

1. Tim. 3. 17. Chryſ. hom. 3. in Gen. & hom. in Eutrop. Orig. in Pſ. 37. Ephrem ora. de patient. & compunct. Caſſiã. collat. 8. c. 3. Baſil. ep. 1. ad Nazian. & hom. 10. hexã. Greg. 2. Mor. c. 1. Hieron. ep. 27. 2. Pet. 1. 19.

Iſidor. Pel. ep. 329. ad Cynm.

Cauſſæ ob quas ſacris litteris diligenter incũbendum.

Cum enim Numinis ſit ſuprema auctoritas, nihil tam monet, quàm verba Numinis. Hominum ſermo aures plerumq; tantùm verberat; quæ à Deo dicuntur, in imas præcordiorũ fibras ſuopte pondere deſcendunt. Vtque ferè quantumuis multæ faces, tamen minùs rerum in hoc mundo oſtendunt, quàm vel vnicum ſolis crepuſculum: ita omnis mortalium eloquentia, minùs erudit illuminatq; quàm vel vnicus radius æternæ veritatis.

Vis ſcripturæ in magno Antonio oſtenſa.

Senſit hoc inter multos, etiam Magnus ille Antonius, quem Athanaſius commemorat vnica ſententia illa; *Si vis perfectus eſſe, vade, vende quæ habes & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo*

Matth. 19. 21.

Digitized by Google

cælo, & veni ſequere me, ita incaluiſſe, vt repentè & iuuenilis ardor, cœleſti flagrantia præſtringeretur, & omnis diuitiarum copia diuinis flammis liqueſceret, totaque nobilitatis lux à virtutum ſplendore obſcuraretur. Denique quantus, quantus Antonius fuit, tantum eum vnica Scripturæ ſententia fecit.

Quanto fulmine tactum fuiſſe putemus Simeonem Styliten, vt ab improba vita deiectus, octoginta annos aſsiduos in eâdem columna, & vt quidem ex Radero noſtro liquet, toto anno ſtans pede in vno, perdius & pernox, ſomni cibique penè omnis expers, non tam homo quàm portentum hominum perſeueraret? vnicam illam ſententiam legit, *Beati pauperes ſpiritu, &c.* & iam non tantùm ſupra columnam, ſed etiam ſupra naturam aſcendit. *Rader. par. 3. Virid. c. 4. de Stylit.* Vis ſcripturæ in Stylite patefacta. *Matth. 5. 3.*

Victorino & Auguſtino Rhetoribus quis Demoſthenes ſatis facundus fuiſſet, ad deponendum tam Inueteratum impiæ religionis errorem? ſola tamen ſcripturæ ſimplicitas perſuaſit: quæ neſcio quem vitalem ſpiritum occulto legentium influxu afflet, vt ſi eam cum doctiſsimorum ſanctiſsimorumque hominum quantumuis calentibus ſcriptis conferas, hæc anima carere, illa vitam flammâque ſpirare videatur. Ac licet DEVS velut alter Phidias operi ſuo omni haud obſcurè ſe inſcripſerit, atque ex vniuerſa creatura quodammodo eluceat, longè tamen manifeſtiùs his ſcripturæ tabulis ſe impinxit. Vt proinde meritò Eccleſia, meritò SS.PP. meritò omnes Docti, omnes pij, omnes Religioſi ſcripturas maximo ſemper in precio habuerint, magnumque inde emolumentum, naſci iudicârint. Vis ſcripturæ in Auguſtino & Victorino declarata.

Quamobrem non defuêre qui mulierem illam à D. Ioanne viſam, duabuſque alis ſubuectam, Eccleſiam eſſe dicerent, vtroque teſtamento vtentem; quod vtrumque etiam per duo cornua in Epiſcoporum mitris coruſcantia indigetari docet Cantipratanus. Eccleſia Biblijs vtitur per Doctores explicatis. *Cantipr. lib. 2. apum c. 6.*

Cum autem ſcientia hæc ſæpe plebeium vel laborem vel ingenium longè excedat, ſupereſt vt à Sacerdotum labijs cu-

Digitized by Google

Hilar. in pſ. 2. Orig. hom. 5. in Num. ſtodiatur. Idcircò enim ſcripſit Hilarius & Origenes Moſen cum lege etiam legis explicationem in monte Sina diuinitus accepiſſe, eique præceptum eſſe, vt legem quidem literis exararet, legis autem occulta myſteria & ſenſa Duci Ioſue & hic Sacerdotibus, hi porro alijs ſucceſſoribus magna ſilentij Religione reuelarent. *Euſeb. l. 7. hiſt. cap. 28.* Hinc Anatolius quoque apud Euſebium affirmat 70. Interpretes Ptolomæo Philadelpho percunctanti multa ex hac traditione Moſis reſpondiſſe.

Act. 22. 3. Hoc pacto & Paulus *ſecus pedes Gamalielis eruditum ſe iuxta veritatem paternæ legis gloriatur*: & Chriſtus ipſe *aperuit* Apoſtolis *ſenſum, vt intelligerent ſcripturas*, vt & ipſi porrò diſcipulos ſuos eas edocerent, & ad poſteros continua atque per manus accepta traditione tranſmitterent. Sic enim eas ſibi traditas proteſtatur Dionyſius S. Pauli, & Clemens S. Petri diſcipulus: apud quos etiam in hoc ſenſu ingens momentum habuit illud Seruatoris: *Scrutamini ſcripturas.* *Io. 5. 39.*

Eccleſiæ in Concilio Tridentino decreta de ſtudio ſcripturarum.

Ac ne paucorum tantùm hominum, non verò totius Eccleſiæ ea cura diligentiaque fuiſſe videatur, audite Calumniatores hæretici Concilij Tridentini de Cathedra ſtudioque ſacrarum litterarum decreta, & poſthac deſinite Catholicos cum tam luculenta iniuria contemptæ ſcripturæ acceiſere. Ita ergo Concil. Tridentin. loquitur: *Conc. Trid. ſeſſ. 5. c. 1.* *Eadem ſacroſancta Synodus pijs ſummorum Pontificum & probatorum è Concilijs Conſtitutionibus inhærens, eáſque amplectens & illis adijciens; ne cœleſtis ille ſacrorum librorum theſaurus, quẽ Spiritus ſanctus ſumma liberalitate hominibus tradidit, neglectus iaceat: ſtatuit & decreuit, quod in illis Eccleſijs, in quib. præbẽda, aut præſtimonium, ſeu aliud quouis nomine nuncupatum ſtipendium pro Lectoribus ſacræ Theologiæ deputatum reperitur, Epiſcopi, Archiepiſcopi, Primates, & alij locorum ordinarij eos, qui præbendam aut præſtimonium, ſeu ſtipendium huiuſmodi obtinent ad ipſius ſacræ ſcripturæ expoſitionem & interpretationem per ſe ipſos, ſi idonei fuerint, alioquin per idoneum ſubſtitutum ab ipſis Epiſcopis, Archiepiſcopis, Primatibus, & alijs locorum ordinarijs eligendum etiam per ſubtractionem fructuum cogant & compellant.* Et infrà: *In monaſterijs quoque monachorum, vbi commodè fieri queat, etiam lectio ſacræ ſcripturæ habeatur, qua in re ſi Abbates negligentes*

tes fuerint, Epiſcopi locorum in hoc vt Sedis Apoſtolicæ delegati, eos ad id opportunis remedijs compellant. In conuentibus verò aliorum Regularium, in quibus ſtudia commodè vigere poſſunt, ſacræ ſcripturæ lectio ſimiliter habeatur: quæ lectio à capitulis Generalibus vel Prouincialibus aſſignetur dignioribus Magiſtris. In Gymnaſiis etiam publicis, vbi tam honorifica; & cæterorum omnium maximè neceſſaria lectio hactenus inſtituta non fuerit, religioſiſſimorum Principum ac Rerumpublicarum pietate & charitate ad Catholicæ fidei defenſionem & incrementum ſanæq; doctrinæ conſeruationem & propagationem inſtituatur: & vbi inſtituta foret, & negligeretur, reſtituatur. Hactenus Conc. Trid.

Et quoniam profectò indignum & turpe eſt, ſi laici Clericis inſtructiores dici poſsint; ſi ſcripturis pugnaturus prouocet Sutor, & trepidet Doctor; ſi proponat ruſticus & obmuteſcat Theologus; ſi in Religionis certamine à Religioſo profanus, à ſubdito parochus ſuperetur; ſi denique hæretici tales ſe eſſe ſuſpicari poſſunt, quales Huſsitas Cochlæus, VVicleffitas VValdenſis fuiſſe memorat, qualeſque tempore Lutheri Orlamundenſes fuêre, & illi de quibus ipſe Lutherus dicebat, ſi vel vnum ſcripturæ librum legerint, putare ſe omnia ſcire, itemque nobilitatem, ciues, ruſticos, & fermè quoſcunque ſummi & infimi ſtatûs Euangelium melius ſcire, quàm ſciret ipſemet Doctor Lutherus, aut etiam ipſemet ſanctus Paulus, vt ipſi quidem ſibi viderentur; ſapientes enim eſſe, & omnibus Parochis doctiores ſe exiſtimare, ac proindè hos tales, non Parochos, ſed Dominum contemnere: quoniam, inquam, his talibus anſam præbere, turpe eſt, & indignum, concilium quoque Toletanum iam olim ſuccurrit, cuius hæc ſunt verba. *Ignorantia mater cunctorum errorum maximè in Sacerdotibus* DEI *vitanda eſt, qui docendi officium in populis ſuſceperunt. Sacerdotes enim legere ſanctas ſcripturas frequenter admonet Paulus dicens ad Timotheum, attende lectioni, exhortationi, & doctrinæ; & ſemper permane in his. Sciãt igitur Sacerdotes ſcripturas ſanctas, & canones, vt omne opus eorum in prædicatione & doctrina conſiſtat: atque ædificent cunctos, tam fidei ſcientiâ quàm operum diſciplinâ.* Atque in Epiſcopis quoque, vti in eâdem palæſtra eſſent exercitati, iam tum Eccleſia cauit. *Omnes pſallen-*

Cochlæus lib. 1. & 4. hiſt. VValdenſis lib. 2 c. 70. & 73. Luther. Symp. 1. fol. 5.

Conc. Tolet. 4. c. 24. diſtinct. 38. cap. 1.

Eccleſiæ etiã in antiquis iam concilijs pro ſcripturæ ſolicitudo.

Conc. 7. c. 2. diſtinct. 38. c. 6.

Digitized by Google

tes repromittimus DEO: *In iuſtificationibus tuis meditabor, non obliuiſcar ſermones tuos. quod omnes quidem Chriſtianos obſeruare ſaluberrimũ eſt, ſed præcipuè eos; qui Hierarchicam conſecuti ſunt dignitatem. Vnde definimus, omnem, qui ad Epiſcopatûs prouehendus eſt gradum, modis omnibus pſalterium noſſe; vt ex hoc & omnis clerus, qui ſub ipſo fuerit, ita moneatur, & imbuatur. Inquiratur autem diligenter à metropolitano; ſi in promptu habeat legere ſcrutabiliter, & non tranſitoriè tam ſacros Canones, & ſanctum Euangelium, quàm diuini Apoſtoli librum & omnem diuinam ſcripturam; atque ſecundum mandata Dei conuerſari, & docere populum ſibi commiſſum. Subſtantia enim ſummi Sacerdotij noſtri ſunt eloquia diuinitus tradita, id eſt, vera diuinarum ſcripturarum diſciplina, quemadmodum magnus perhibet Dionyſius. quod ſi diſceptauerit, & ita libenter facere, & docere minimè ſpoponderit; nullatenus conſecretur. Ait enim propheticè* DEVS. *Tu ſcientiã repuliſti, & ego repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi.* Ad extremum cum Concilium Aquileienſe Tridentini decretum induxiſſet, quàm ſolicitè, quàm feriò, idem ad monaſteria decretum extendit his verbis: *In monaſterijs quoque Monachorum, etiam Carthuſianorum, vbi commodè fieri queat, item lectio ſacræ ſcripturæ habeatur: qua in re ſi Abbates negligentes fuerint, Epiſcopi locorum in hoc, vt ſedis Apoſtolicæ delegati, eos ad id opportunis remedijs compellant, quemadmodum decreto Concilij prouidè ſtatuitur. In conuentibus verò aliorum regularium, in quibus ſtudia commodè vigere poſſunt, ſacræ ſcripturæ lectio ſimiliter haberi ex Tridentini Concilij præſcripto debet: quæ lectio à Capitulis Generalibus vel Prouincialibus aſsignetur dignioribus miniſtris. In Gymnaſijs etiam publicis, ſi hactenus ſacræ ſcripturæ lectio inſtituta non fuit, ad Catholicæ fidei conſeruationem, propagationem, & defenſionem quamprimùm inſtitui, & ſi inſtituta foret, & negligeretur, reſtitui ex Tridentini Concilij decreto omninò debet; ne, ſi artium & ſcientiarum principia, & documenta ſtudioſè paſsim traduntur, vt nihil ad perfectam cognitionem deſideretur, neglecta iaceant ſacræ ſcripturæ ſtudia, Euangelici verbi pabulum, diuinorum eloquiorum maieſtas, & promiſſorum cœleſtium amplitudo, quod eſt vnicum præſentis vitæ ſubſidium, & futuri ſæculi argumentum.* Hæc Epiſcopi, hæc Pontifices ſummi, hæc Concilia, hæc Eccleſia de ſtudio ſacrarum litterarum; & adhuc Eccleſiam Catholiſcoſque de neglectu, immò de contemtu earundem

ream

ream aſtricta fronte proclamant hæretici; & inter illos etiam tu, Iacobe?

Deſine, non poſſum libertum ferre Catonem. *Martial. lib. II. epigr. 40.*

CAPVT XXXIX.

ECCLESIAM ET SS. PATRES, ETSI MAGNA CVRA STATVERINT, VT DIVINARVM LITTERARVM STVDIA VIGERENT, RECTE TAMEN STVDIA ILLA NON INDISCRIMINATIM omnibus vtilia cenſuiſſe.

QVanquam autem magni illi Eccleſiæ Antiſtites, ita vti docui, de ſtudio feruenti diuinorum librorum ſenſerint, haudquaquam tamen obliti ſunt, alios in Eccleſia Paſtores, alios oues; alios Doctores, alios diſcipulos eſſe oportere. Et nec illud quidem ignorârunt, nihil tam eſſe ſanctum quod non poſsit profanari; nihil tam ſalutare, quod non poſsit in exitium verti. Bellè olim ſeu Cyprianus, ſeu vt alij malunt, Tertullianus, ad ſenatorem ex Chriſtiano & conſule, Iſidis Sacerdotem factum cecinit.

Verè mente cares, ſequeris qui mente carentes.
Hæc iterum repetis, nec te delinquere ſentis.
Quid mereare vide; minùs eſſes fortè notandus,
Si tantùm hoc ſcires, & in hoc errore maneres;
At quum vericolæ penetraueris oſtia legis,
Et tibi noſſe Deum paucis acceſſerit annis;
Cur linquenda tenes, aut cur retinenda relinquis?
Nilq́; colis, dum cuncta colis; nec corde retractas
Vera quid à falſis, quid ab vmbris lumina diſtent.
Philoſophum fingis, quum te ſententia mutet;
Nam tibi ſi ſtomachum popularis mouerit aura;
Et Iudæus eris, totuſq́; Incertus haberis.

Tertull. in fine operum ad Senatorem ex Chriſtiana religione ad Idolorum ſeruitutem conuerſum.

Indulge dictis, ſapientia non placet alta;
Omne quod eſt nimium, contrà cadit; vnquam operantur,
Et calor & frigus; ſic hoc, ſic illud adurit;
Sic tenebræ viſum, ſic ſol contrarius aufert;
Et pariter lædunt gelidum feruenſq; lauacrum;
Eſca alitur corpus, corpus corrumpitur eſca;
Vimq; ſuam minuit, ſi quid protenditur vltrà.
Denique ſi ſedeas, requies eſt magna laboris;
Si multum ſedeas, labor eſt. Maro namq; Poëta
Pro pœna poſuit; ſedet, æternumq; ſedebit,
Infælix Theſeus; ſemper nocet vtile longum;
Prandia longa nocent, ieiunia longa fatigant;
Sic nimium ſapere ſtultum facit improba ſecta.
Me dea ſic docuit, moderamen amabile, dixit.

Paucis mutatis omnia hæc occini Iacobo poſſunt; qui pro populo, pro plebe *tenet* ſine ſalutari expoſitione *linquenda* Biblia, & *retinenda* neceſſaria traditionum interpretamenta *relinquit*. Quaſi verò nimis altè ſapere, non eſſet deſipere? Quaſi verò non quoſdam ingenij frigus, quoſdam animi æſtus à diuinis illis cernendis retardaret? Quaſi non quibuſdam tenebræ & obſcuritas ſcripturarum in vero peruidendo obſtaret, quibuſdam ipſa lucis excellentia oculos præſtringeret? Quippe ea eſt regis regum maieſtas, vt *lucem habitet inacceſſibilem.* Denique ſicut eſcâ ali corpus & corrumpi poteſt; ita ſcriptura animam vel occidit, vel viuificat, pro vt littera, vel ſenſus eius deguſtatur, fructuum quorundam inſtar, quorum cortex noxius, medulla autem & nucleus ſalutaris.

1. Timot. 6.16.

Monuit hoc dudum Spiritus ſanctus per Apoſtolos, per SS.Patres, per alios ſcriptores. Quàm paternè docuit D.Paulus, eſſe quidem eundem Spiritum & Dominum, *diuiſiones verò gratiarum, diuiſiones miniſtrationum, diuiſiones operationum. Sicut enim corpus vnum eſt, & membra habet multa,* &c. *ita & Chriſtus.* Nam *quoſdam quidem poſuit Deus in Eccleſia primum Apoſtolos, ſecundò Prophetas, tertiò Doctores,* &c. *Nuncquid omnes Apoſtoli? nuncquid omnes Prophetæ? Nuncquid omnes Doctores?* Da veniam S.Paule, ſi ſenten-

1. Cor. 12.4 & ſeqq. & Eph. 4.11.

Apoſtoli non omnes pro Doctoribus & ſcripturæ interpretibus agnouerunt.

tentiam tuam diſtinguimus, vera eſt apud Catholicos, apud Lutheranos & Caluiniſtas pro falſa habetur. Quippe ſicut apud Catholicos alij ſunt Doctores, alij qui in reb. fidei doceri ſe patiuntur; ita apud Lutheranos & Caluiniſtas omnes ſunt Doctores, quia in reb. fidei omnia ex Biblijs clariſsimè & ſe & alios docere aut poſſunt, aut poſſe ſibi videntur. Catholici, quoniam illud infixum habent pectorib. *ſi totum corpus oculus: vbi auditus?* non fidunt proprio iudicio, non oculos propriæ priuatæque doctrinæ conſulunt, ſed ſanctorum Patrum, ſed Conciliorum, ſed Eccleſiæ interpretationem audiunt & id admittunt, quod à tot ſeculis à Chriſto, ab Apoſtolis, à legitimis Doctorib. vſque ad hæc tempora eſt propagatum. Et vel hoc nomine Catholici ſunt quia communem fidei doctrinam recipiunt, & amplectuntur. Ceteri vel inde hæretici vocantur, quia priuatis opinionibus ad arbitrium proprium è ſcriptura vel aliunde hauſtis pertinaciter adhæreſcunt.

Nec obſcuriùs idem comonuit Princeps Apoſtolus, dum ſcripſit, homines *ἀμαθεῖς καὶ ἀστήρικτοι, indoctos* atque *inſtabiles* ſcripturas *detorquere & deprauare ad ſuam ipſorum perditionem, & quoſdam poſt carnem in concupiſcentia immunditiæ ambulare, dominationemq́;* (Eccleſiæ, Pontificis & ductorum Doctorumque ſuorum) *contemnere, audaces, ſibi placentes, ſectas non metuere introducere blaſphemantes, ac velut irrationabilia pecora naturaliter in captionem & perniciē in his, quæ ignorant blaſphemantes in corruptione ſua* perituros. Quibus ipſis verbis indoctos & inſtabiles monet, vt aliorum ſic pereuntium exemplo edocti, à ſcripturis detorquendis, & fidei dogmatis è ſcriptura ſibi ipſis in ſuam ipſorum perniciē cudendis abſtineant; nec ex *ſcriptura ſola* eaque hoc in negotio clariſsima & apertiſsima *fidei controuerſias omnes dirimi poſſe* cum Apoſtata arbitrentur.

Quibus ſcriptura pernitioſa? *2. Pet. 3. 16.* *2. Pet. 2. 10. & 12.* *Aran. pag. 71.*

Quamobrē ſicut olim Iudæorum populus, etiam multa quę palam habebantur in ſcripturis, tamen per traditionem diſcere iubebatur, non ad ſcripturam, ſed ad traditionem remiſſus; *interroga patrem tuum, & annunciabit tibi: Maiores tuos, & dicent tibi*; ita SS. Patres paſsim monent, ſimplices atque amuſos,

Iudæorum populus magis traditione quàm ſcriptura vſus. *Deut. 32. 7.*

Digitized by Google

ſos, vt ſcripturarum ſenſum ab alijs potiùs diſcant, quàm ſe ipſos doceant, dicantque cum illis veteris Eccleſiæ filijs: *Deus aurib. noſtris audiuimus, PATRES noſtri annunciauerunt nobis opus, quod operatus es in dieb. eorum, & in dieb. antiquis:* itemque, *Quanta mandauit PATRIBVS noſtris nota facere ea filiis ſuis, vt cognoſcat generatio altera. Filij qui naſcentur & exurgent, & narrabunt filiis ſuis.*

Pſal. 43.
Pſal. 77. 5.

S. Baſil. ep. 75. ad Neocæſarienſes.
Examinationem verbi diuini non cuiuis contingere docet Baſilius.

In quem ſenſum egregiè Magnus ille Baſilius veluti digito demonſtrans eum, cuius ſit in tantis fidei myſterijs interpretem agere: *Agriculturæ opera,* inquit, *non poterit iudicare, qui non eſt agricola, diſſonantiam ac conſonantiam modulationum in Muſica non dignoſcet Muſices imperitus. Scriptorum verò ac librorum iudex ſtatim, quicumq; volet, erit, qui neq; magiſtrum ſuum oſtendere poterit, neq; tempus, in quo didicit, neq; omnino paruum aut magnum quicquam de conſcribendorum librorum ratione audiuit. Ampliùs porrò & in oraculis Spiritûs non cuiuis licet eorum, quæ dicuntur, contingere examinationem, ſed ei, qui Spiritum habet diſcretionis, quemadmodum docuit nos Diuus Paulus, qui in diuiſionibus gratiarum dicit: huic datur ſcientia, alteri diſcretiones Spirituum.* Non committit Baſilius populo Biblia, vt inde dogmata ſibi proprio arbitratu cudat, non ignaris facilia intellectu eſſe dicit, quæ ſunt ſcitu neceſſaria. Peritos exigit, quiſquis diuinarum rerum eſt peritus. Quod autem Prædicantes etiam rudibus id permittant, quid mirum? Imperitis imperiti facilè indulgent, quia & ſibi cupiunt indulgeri.

S. Hieron. in ep. ad Paulin.
Indoctos in ſcripturam malè ſibi vẽdicare artem.

At eos quaſi porrecto helleboro ab hac licentia reuocat etiam D. Hieronymus his verbis: *Sola ſcripturarum ars eſt, quam ſibi paſſim omnes vendicant. Scribimus indocti, doctiq; poëmata paſſim. Hanc garrula anus, hanc delirus ſenex, hanc ſophiſta verboſus, hanc vniuerſi præſumunt, lacerant, docent, antequam diſcant. Alij adducto ſupercilio, grandia verba trutinantes, inter mulierculas de ſacris litteris philoſophantur. Alij diſcunt prô pudor à fœminis, quod viros doceant. Et ne parùm hoc ſit, quadam facilitate verborum, imò audacia ediſſerunt aliis, quod ipſi non intelligunt. Taceo de mei ſimilibus, qui ſi fortè ad ſcripturas ſanctas poſt ſeculares literas venerint, & ſermone compoſito aures populi mulſerint, quicquid dixerint, hoc legem Dei putant, nec ſcire dignantur, quid Prophetæ, quid Apoſtoli ſenſerint: ſed ad ſenſum ſuum incongrua aptant*

teſti-

Digitized by Google

teſtimonia, quaſi grande ſit & non vitioſiſſimum docendi genus, deprauare ſententias, & ad ſuam voluntatem ſcripturam trahere repugnantem. Quaſi non legerimus Homerocentonas, & Vergiliocentonas: ac non ſic & Maronem ſine Chriſto poſſimus dicere Chriſtianum, quia ſcripſerit: Iam redit & virgo, redeunt Saturnia regna, Iam noua progenies cœlo demittitur alto. Et patrem loquentem ad filium: Nate mea vires, mea magna potentia ſolus. Et poſt verba Saluatoris in cruce: Talia perſtabat memorans, fixuſq; manebat. Puerilia ſunt hæc, & circulatorum ludo ſimilia docere, quod ignores: imò vt cum ſtomacho loquar, ne hoc quidem ſcire, quod neſcias.

Meritò etiam non ſolùm Nazianzenus ſcribit: non omnes ad ſcripturas diſcendas admittendos eſſe, ſed ipſe quoq; ſanctus Paulus ait; *Dico omnibus qui ſunt inter vos, non plus ſapere, quàm oportet ſapere*; permittendum eſt enim *vnicuique, ſicut Deus diuiſit menſuram fidei*, alij vt doceat, alij vt diſcat. Atque inter diſcentes tantùm, non etiam inter docentes, voluit etiam eſſe mulieres, de quibus ſcribit: *Mulier in ſilentio diſcat, cum omni ſubiectione. Docere autem mulieri nõ permitto, &c.* Sicut Lutherana illa Argula ſexûs ſui oblita docuit, imò ſicut Lutherani omnib. mulieribus permittunt ſaltem ſeipſas docere, dum illis Biblia proponunt, eaq; ita clara eſſe prædicant, vt illa ſola ſufficiant ad oẽs fidei controuerſias cõponendas. Quo enim alio fine mulieres diuinum volumẽ legant? quem maiorem quàm fidei fructũ ex ijs capere illas poſſe Lutherani arbitrentur? At quàm periculosè & hæ tales mulierculæ, & hi tales viri de ſportula ſua cœnẽt, indicat Auguſt. *Sed multis*, inquiens, *& multiplicibus obſcuritatibus, & ambiguitatib. decipiuntur, qui temerè legunt aliud pro alio ſentientes: quibuſdam autem locis, quid vel falsò ſuſpicentur non inueniunt; ita obſcurè quædam dicta denſiſſimam caliginem obducunt. quod totum prouiſum diuinitus eſſe non dubito ad edomandam labore ſuperbiam, & intellectum à faſtidio reuocandum, cui facilè inueſtigata plerumq; viluerunt.*

Nazianz. Orat. de ordine diſſerendi.
Rom. 12. v. 3.
1 Timoth. 2. 11.
Aug. l. 2. doctr. Chriſt. c. 6.

Hinc quid mirum eſt, ſi Lutherani tam ſuperbas & imperioſas fœminas habent, quæ non ſolùm oculis fulminent, ſed frequenter etiam pugnis, frequentiſsimè autem verbis, vt adeò ſæpe audiamus ipſos Prædicantes à ſuis vxoribus corrigi, ſi quid pro concione effuderunt, quod dominæ illæ non probent. Immò eouſque nonnullæ ſupercilio-

Apud Lutheranos ſæpe mulieres Prędicantium ſunt Magiſtræ.

Digitized by Google

lioſæ ſunt, vt ſe longè meliùs dicturas fuiſſe, quàm viros ſuos
1.Cor.14.34. proteſtentur, & ipſi D.Paulo iraſcantur, quòd ſcripſerit: *Mulieres in Eccleſia taceant. Non enim permittitur eis loqui, ſed ſubditas eſſe, ſi quid autem volunt diſcere, domi viros ſuos interrogent.* Mallent ſcilicet iſtæ Amazones, ſicut aliàs ſunt verbis ſcatentes, ita etiam in Eccleſia loqui, quàm tacere: mallent regere, quàm regi: mallent à S.Paulo ad Biblia mitti, vnde ipſæ ſe erudirent, quàm domi viros ſuos interrogare.

Iac.Reibing. in excubiis defenſ. General.c.1.§ 3.

An ex Bibliis ſolis tanquã clariſſima omnium dogmatum norma fides vera acquiri poſſit.

Super hæc omnia teſtimonia, accedat & illud quod nondum Apoſtata olim Iacobus ſcripſit in hæc verba: *Dic age, Meiſnere, quod eſt ad veram fidem ſuſcipiendam optimum medium? vnica ſcriptura; prædicatio ſcripturæ ſacræ conſentanea. Audio; & dico tibi: Hoc cognitu difficile; quis vt credat, totum Biblicum codicem euoluat? quotuſquiſque totum percurrit? quomodo quietus erit antequam totum perlegerit? quid facient plures Analphabeti? & omnes ſectæ ſcripturas perpetuò iactant, & nihil quod ſcripturis non confirment proferunt. Fortè etiam ſcripturæ partes aliquæ interierunt? & in ÿs fortè alia quædam tradebantur; fortè nonnulli ſcripturæ libri non ſunt legitimi aut malâ manu vitiati? His ſuſpicionum fluctibus iactato animo quem portum oſtendes, Meiſnere, ſi tua de Patribus aduerſus nos diſputatio multum, ſi diuina per os Eccleſiæ traditio & populi Chriſtiani conſenſus nihil apud animũ tuum roboris habent?* Imò non ſolùm Analphabeti, & illi, quibus otiũ non eſt totum Bibliorum codicem euoluendi, ad fidem difficile iter habebunt, ſi ea è ſcripturis ſolis ſit haurienda; ſed ſæpe in prærupta ibunt, & de ſaxo ſalient, ſi rudes in illa ſeſe arcana immiſerint ſuopte ductu indaganda. Quod itidem Iacob. probè intellexit, dum morum ſpernendus nondum haberetur, & id quod animo ſenſerat, adhuc ore proloqui auderet. Ita enim

Iac.Reibing. in Excubiis defenſ. 1.fũd. cap.1.§.3.

loquebatur: *Iniuriam ſcripturæ facit, qui alios libros legit, & malè intelligit; qui viam* DEI, *plano omnis antiquitatis ſenſu reiecto, ſuperbis propriÿ ſensûs copulis ita deplanat, vt ſalutis ſemitam præcipitium ſcandali faciat. Hoc nunquam Eccleſia Catholica, hoc vti olim, ita hodie quoque ſectæ, ad quarum vnam tu, Fabrici, à Catholica Eccleſia Apoſtata profugiſti faciunt.*

Conc. Trid. in Indice lib. probib reg. 4.

Iuſtas igitur Conc. Tridentinum cauſſas habuit, quando ita

Digitized by Google

ita ſtatuit: *Cum experimento manifeſtum ſit, ſi ſacra Biblia vulgari lingua, paßim ſine diſcrimine permittantur, plus inde ob hominum temeritatem detrimenti, quàm vtilitatis oriri, hac in parte iudicio inquiſitoris ſtetur, vt cum conſilio Parochi, vel Confeſſarij, Bibliorum à Catholicis Auctoribus verſorum, lectionem in vulgari lingua eis concedere poſſint, quos intellexerint, ex huiuſmodi lectione non damnum, ſed fidei atque pietatis augmentum capere poſſe.* Hæc prudens Eccleſiæ cautela multis imprudentibus diſplicuit, & inter illos etiam Matthiæ Hoë; quem Iacob. rectè contudit, cum adhuc rectum amaret. Quia verò poſtquam delirare cœpit, etiam hoc ſibi delirium vſurpandum cenſuit, vt Lutheranos, in quorum culinam & ad quorum menſam tranſijt, oblectaret, ſuâ illum clauâ mactaui. Habet hoc improbitas, ictus mereri, non tamen ferre nouit. Itaque ad meum reſponſum Aduerſarius Vbiquiſta mugit impatienter, rugit ferociter, inſanit impotenter. Quis non miretur? in ipſa impatientia diſsimulat, ſicut canes, qui cum in capite ictum acceperunt, ſublato pede claudicant; nec diſsimulat tantùm, ſed etiam dum rugit fallit, dum ferocit ludit, dum inſanit mentitur; cum alioquin inſanorum ſit nullâ arte tegere furorem. Sed hæc ſequenti capite primo loco patefaciam. Poſtea vel ipſorum hæreticorum exemplo demonſtrabo, ſatius illis fore, ſi Biblijs abſtinerent, quàm vt libro ad ſalutem diuinitus dato, peſsimo proprio abutantur.

De Bibliis in vernaculam translatis Concilij Tridentini cautela.

Diſſert. de Laq. cap. 9. Aran. cap. 11. pag. 87.

CAPVT XL.

AN RECTE, ET QVIBVS, VEL QVA RATIONE BIBLIA A CATHOLICIS PROHIBEANTVR.

LIBER Deuteronomij, qui inter præcipuos veteris teſtamenti libros habebatur, tamen ſcripturâ teſtante, non habebatur paſsim à populo, ſed à ſacerdotibus ſeniori-

Sacerdotes olim ex officio Deuteronomium populo ſed ſin-

gulis ſeptenniis tantùm legerunt.
Deuter.31.9.

buſq; aſſeruabàtur. Nec populus librum legis illius, ſed ipſi ſacerdotes populo legere iuſsi ſunt, idq; ſeptimo demũ quoq; anno. Ita enim liber ipſe de ſe loquitur: *Scripſit itaq; Moſes legẽ hanc, & tradidit eam ſacerdotibus filijs Leui, qui portabant arcam fœderis Domini & cunctis ſenioribus Iſrael. Præcepitq; eis, dicens: Poſt ſeptem annos, anno remiſsionis, in ſolennitate tabernaculorum, conuenientibus cunctis ex Iſrael, vt appareant in conſpectu Domini* DEI *tui in loco, quem elegerit Dominus, leges verba legis huius coram omni Iſrael, audientibus eis, & in vnum omni populo congregato, tam viris quàm mulieribus, paruulis & aduenis qui ſunt intra portas tuas: vt audientes diſcant, & timeant Dominum* DEVM *veſtrum, & cuſtodiant, impleantq; omnes ſermones legis huius.*

Etiam nunc vulgari lingua Dei verbum populo prædicandum.

Pari pacto SS. Patres dum voluerunt diuinum volumen à ſacerdotibus præcipuè haberi verſariq;, eam diligentiam non propter ſolorum ſacerdotum, ſed etiam ob fructum totius populi exegerunt. Decebat nimirum Sacerdotes populo cibum pręmanſum in os ingerere; vt quod legere quodq; intelligere populus non poterat, id per ſacerdotes legeret intelligeretq;. Itaque nulla prohibitio, immò iuſsio eſt Eccleſiæ, vt verbum Dei populo, vulgari vtiq; ſermone, quàm diligentiſsimè prædicetur. *Quia*, vt Conc. Tridentinum loquitur, *Chriſtianæ Reipublicæ non minùs neceſſaria eſt prædicatio Euangelij, quàm lectio.* Etſi enim *fides ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti. Sed dico; Nunquid non audierunt?* ait Apoſtolus. Non dicit: Nunquid non legerunt? Si ita clarè loqui de reb. fidei ſcripturas arbitratus eſſet Paulus ceteriq; Apoſtoli, immò & Chriſtus, cur non potiùs ſcripturas in arcanis fidei, ex ſententia aduerſariorum, ſupra ſolis radios perſpicuas in omnem terram miſiſſent? At quot Ethnicos, quot Iudæos, quot Aethiopas quot Iaponas etiam verſis in eorum linguam Biblijs conuertiſſent? Nimirum Doctores ex lectione librorum, populus ex prædicatione Doctorum potiſsimùm proficere debent.

Conc. Tridẽt. ſeſſ.5.cap.2.
Rom.10.17.

An ſit omnibus priuatim præceptum legere Biblia?

Certè diuinas ſcripturas in Germanicum aut aliud quoduis idioma translatas priuatim euoluere, aut legere non eſt omnibus præceptum. Quid enim facerent, qui litteras non

no-

norunt? quid illi, qui legere quidem ſciunt, ſed illas linguas non intelligunt, in quas diuinæ ſcripturæ ſunt tranſpoſitæ? Neque exemplum Chriſti & primitiuæ, immò & vetuſtioris illius Eccleſię iubet nos ſacram ſcripturam in vulgares linguas tranſponere, ſed contrarium potiùs ſuadet. Nam, vt fuſiùs oſtendit Adamus Contzen, *à captiuitate Babylonica vſque ad Chriſtum Eccleſia vernaculam ſcripturam nullam habuit; nec curæ fuit Eſdræ, Nehemiæ, Malachiæ, Zachariæ, Aggæo, Oniæ, Machabæis, aliiſq; viris ſanctiſſimis, vt eam conuerterent.* Quippe cum poſt captiuitatem illam Chaldæorum linguam cum Syra permiſcuerint, vetus Hebræa vernacula ampliùs non fuit. Quin & à Moſe vſque ad captiuitatem Babylonicam, Hebræa lingua adhuc in integritate ſua perdurante, peculiari tamen inſtitutione traditioneque opus fuiſſe propter puncta vocalia, docet idem P.Contzen. Vnde colligitur, etiam ab illis, quibus tunc eo ſeculo Biblia vernacula fuêre, non ſine magna exercitatione legi ea potuiſſe; & vt plerumque in rebus difficilibus fieri amat, vt paucos habeant ſectatores, non vſque adeò multos fuiſſe, qui tunc quoque lectionem illam vſurpârint.

Adam. Contzen. lib.5. Politicor. c. 27.

Iam de Chriſto quoque & Apoſtolis, præter laudatum auctorem etiam Huntlæus tradit, eos nunquam præcepiſſe, vt Hebraicas ſcripturas in Syriacum idioma verterent. Quid verbis opus eſt? ipſe D.Paulus ad Latinos & vulgò Latinè loquentes Romanos Græcam epiſtolam miſit. Lucas item acta Apoſtolorum Romæ non Romanâ, ſed Pelaſgâ linguâ, ſcripſit. Imo ad S.Auguſtini vſque ætatem, hoc eſt, quadringentis annis poſt Chriſtum, quin etiam vſque ad Rabani Mauri tempora, qui vixit plus quàm octingentis annis poſt Chriſtum, Biblia non niſi in tribus linguis, nempe Hebræa, Græca, Latina extiterunt. Et tamen tunc primitiuæ Eccleſiæ vigor, fidei puritas ſinceritaſque fuit, vulgo nondum Lutheranè ſapere, & ad Biblia, ſed ad traditiones prouocare docto. Nulla igitur eſt neceſsitas, nullum præceptum, vt populus Biblia priuatim & vulgari linguâ legat. Si enim ea lectio neceſſaria foret, cur tot ſeculis Eccleſia Iudæorum, & deinde Apoſtolorum quo-

Huntl. Contrau. 1. c. 22.

S. Hier. de ſcript. Eccle. in Luca.

Cur Apoſtoli non in vernaculas linguas tranſtulerint Biblia?

que rem tam neceſſariam neglexiſſet? cur non hæreticorum more id maximè egiſſet, vt ſcripturæ in omnes linguas verterentur? præſertim cum Apoſtoli linguarum tam fuerint periti? vt *ſtuperent omnes & mirarentur dicentes: Nonne ecce omnes iſti, qui loquuntur, Galilæi ſunt, & quo modo nos audiuimus vnuſquiſque linguam noſtram, in qua nati ſumus?* Quare videant Aduerſarij quid agant, cum nos ob omiſſas ſcripturæ ſacræ verſiones tam inuidiosè traducunt, nam nobiſcum, immò noſtro ſub nomine Apoſtolos carpunt, qui cum potuiſſent ſcripturam in omnium nationum linguas conuertere, ea tamen verſione omiſſa, ſatis Eccleſijs proſpectum arbitrati ſunt, ſi ijs Epiſcopos Doctoreſque darent, ex quorum ore & fidem acciperent, & ſcripturarum interpretationem.

Act. 2. 7.

An prohibitum vertere Biblia in vernaculam linguam? aut legere ſic verſa?

Interea vernaculæ ſcripturarum verſiones, ſi genuinæ ſint, nulla lege Eccleſiaſtica vetantur; neque adeò earum lectio ſimpliciter vlli prohibetur; quanquam meritò hac in re Eccleſia certam exceptionem, rationemque temporum, locorum & perſonarum haberi iubeat. Itaque vult Tridentina ſanctio, Biblia quæ permittenda ſint, à Catholicis auctoribus eſſe verſa; & Concilium Oxonienſe contra VVicleffum decreuit, ne editiones VVicleffi, aut aliorum legerentur, niſi eſſent ab Epiſcopo diœceſano approbatæ: de approbatis nihil vetat. Scit enim ipſos SS. Patres ad ſcripturas legendas ſæpiùs hortari; ſcit à multis cum magno pietatis emolumento volutari, & tanquam epiſtolam quandam Dei ad homines miſſam honorari.

Serar. Proleg. Bibliac. c. 20. quæſt. 3.

Duæ conditiones ad vernaculas verſiones legendas requiſitæ. Prima conditio ex parte Bibliorum, vt ſint genuina.

Geminas tamen conditiones apponit, vnam ex parte Bibliorum, alteram ex parte eorum, qui Biblia ſunt lecturi. Quæ ambæ conditiones num deſint, vel adſint, *iudicio inquiſitoris ſtandum* pronunciat. Ex parte Bibliorum, verſionem vult eſſe genuinam, non corruptam, non adulteratam, non dolis & artibus hæreticorum intoxicatam. Non, inquam, Arianam, non Socinianam, non Anabaptiſticam, non Caluiniſticam, non Lutheranam. Quis mali conſulat, ſi Eccleſia non velit filios ſuos cibo veſci venenato? aut certè à cuncta propemodum

vene-

Digitized by Google

venenantibus cocto? Nihil loquitur Concilium de Biblijs *vt vel ab auctoribus Hebraicè, vel Græcè nobis relicta, vel ab Eccleſia Latinè approbata ſunt*, hæc nemini morigero vetat; immò etiam ſuadet ex ijs mores, ex ijs pietatem, ex ijs exempla petere; quin & ipſa conſuetudine in Germania permittit à probis Catholiciſque auctoribus tranſlata. Quid vultis, ô Lutherani, quid Caluiniſtæ, flagitatis? an vobis pulchrum eſt Bibliorum verſiones Catholicas repudiare, & veſtras à nobis repudiari *impium* eſſe cum Iacobo Apoſtata clamitatis? Ipſe Iacobus Britanniæ rex affirmat, *Genuenſia Biblia eſſe peßima, notas eorum* eſſe *falſas, ſeditioſas, nimiúmque redolentés animæ periculoſa, & peruerſiſſimæ machinationes*, & vos, ô Caluiniſtæ, hæc talia vultis auidè capi? Ipſe Lutherus de corruptis à ſe Biblijs interroganti reſponderi cupit: *Doctor Martinus Lutherus vult ſic habere*; & vos, ô Lutherani, verba Lutheri vultis haberi pro verbis Dei? Nónne præſtabilius eſt, non legere Biblia, quàm Biblia occidentia? quis non intelligit tutius eſſe à ſcripturis abſtinere, quàm nomine ſcripturæ in laqueos ſeſe induere, & verbum diaboli, quaſi verbum Dei credere? Hanc ipſam ob cauſam teſte Stoltzio, ſanis excipiunt Caluiniſtæ omnia Biblia Lutheranorum, & Lutherani viciſsim Caluiniſtarum: Catholici, qui ſoli ſunt in poſſeſsione ſcripturarum, ſoli cogantur hoſtium ſuorum perfidiæ doliſque ſubſcribere? ſoli cogantur ſpurias pro legitimis manu aſſerere? & in caducum, vt dici ſolet, parietem inclinare? Nunquam ſinet ſibi hanc ab hæreticis legem dici Eccleſia.

Vide P. Adamum Kontzen loc. cit.

Luth. tom. 4. Germ. excuſo VVittenbergæ An. 1551. *fol.* 475.

Stolzius in defenſ. Lutheri.

Altera conditio, quam Tridentina Synodus poſtulat, eſt ex eorum parte, qui Biblia legere cupiunt. Si enim *conſilio Parochi vel Confeſſarij* tales cenſeantur, vt *ex huiuſmodi lectione non damnum, ſed fidei atq; pietatis augmentum capere poſſe* videantur; nequaquam arcentur. Hos tales arceri, inaudita calumnia eſt. Excipimus, prouocamus, Deum teſtamur, nobis iniuriam fieri. Quiſquis animo bono, quiſquis voluntate diſcendi Biblia legere deſiderat, nec Epiſcopum nec Parochum, nec Confeſſarium ſibi ea in re experietur aduerſum.

Secunda conditio ex parte legentium, vt ſint morigeri & qui ſe maiorum iudiciis ſubmittant.

Quod ſi illi qui eſt nouarum rerum appetens qui ſciolus, infla-

Inflatus, libidinoſus, inquietus, qui ſui æſtimator, qui Eccleſiæ gubernantis impatiens, Biblia dederis, quid aliud facies, quàm ſi furioſo gladium ſubminiſtres? Nam hinc hæreſes extiterunt; hinc blaſphemiæ, hinc ſacrilegia, hinc fanda & nefanda, paſsim principium & originem habuerunt. Neque indocti igitur, neque docti vlli legendis ſcripturis operæ precium ſunt facturi, niſi ſepoſito proprio priuatoque iudicio, ſcripturas, vt diſcipuli Eccleſiæ, Eccleſiaſticæ traditionis canone, quaſi Ariadneo quodam filo apprehenſo, reuerenti cum pietate legant, eamque interpretationem vna admittant, ſine qua ſcripturæ nunquam rectè intelliguntur. Nulli enim vnquam promiſit Deus gratiam intelligendi ſcripturas, niſi per magiſterium Eccleſiæ, quæ eſt columna veritatis. His ergo talibus cùm Eccleſia Biblijs interdicit, quam reprehenſionem meretur? Quis medicum vituperet, ſi in febrili æſtu cubantibus vinum non permittat? quo tamen alios vti iubet, *propter ſtomachi infirmitatem.*

1. Tim. 5. 23.

Apoſtatæ contumelia. *Aran. c. 11, pag. 86.*

Ex quibus omnibus perſpicitur I. incredibilis Apoſtatæ vanitas dicentis; *Supereſt denique impium Papæ interdictum, quo laicos ſine Epiſcopi, aut Inquiſitoris licentia obtenta, à ſcriptura lectione in lingua vernacula arcet.* Non *Papæ interdictum*, ſed Apoſtatæ conuicium *impium eſt.* Veſtris Biblijs interdicit, quæ corrupta & deuirginata ſunt. Hoc ſi impium eſt, tum impium eſt Paſtori oues à lupis defendere, & pium veniente lupo deſerere.

Ibid. in margine & in textu. Apoſtatæ mendacium.

II. Itaq; mendacio vaniſsimo Simonem & me maculare vis, Iacobe, dum ſcribis *miram* eſſe noſtram *vertiginem circa legem Papæ de Biblijs*; itemque, *Ad hoc interdictum ſiue excuſandum, ſiue mitigandum* nos noſmetipſos *variè torquere.* Vbi nos, aut cur torquemus? An quia contumelias à te Eccleſiæ illatas non iratiore ſtilo confodimus?

Plaut. Trinum.

Noui ego hoc ſeculum moribus quibus ſit. malus bonum, malum
Eſſe volt, vt ſit ſui ſimilis,

Quia ſcilicet tu vbique torqueris, pœnarum comites optas.

At ais III. *Negant, de ſcriptura in tribus doctioribus linguis conſcripta, aut edita,* interdictum procedere. Negamus: & hoc ipſo ſten-

Digitized by Google

ſtendimus Papam velle Eccleſiam nunc in eo eſſe ſtatu, in quo quondam erat, cum ſcriptura ſacra in illis duntaxat tribus aut paucioribus linguis eſt ſeruata: quando videlicet plebs contenta fuit à Paſtoribus gubernari, & ex ore Sacerdotum legem Dei requirere.

IV. Pergit nugari; & *Quid hoc*, inquit, ſcilicet quod trib. illis linguis ſcripturæ nunquam ſint prohibitæ, *ad illiteratos laicos, de quib. ego ibi apertè? eos enim linguarum imperitia ipſa ſatis arcet à ſcriptura ita edita.* O allium! *O dura meſſorum ilia!* Interrogas Iacobe, quid hoc *ad illiteratos?* Nihil *ad illiteratos*, ſed ad te, quia tuo iudicio non es illiteratus. Nam ea ſcripturæ in tribus linguis doctioribus permiſsione oſtendimus, vbi minus periculi eſt, minus ſolicitam eſſe Eccleſiam; atque idcirco ſcripturas non prohibere ijs, qui tanquam doctiores ſcripturis prudentiùs vti didicerunt: indoctioribus autem non ſimpliciter ſed certa prudentiæ lege duntaxat ſapienter permittere: cum enim magnum ſit diſcrimen legentium, decet & diſcrimen eſſe in legendi poteſtate. Quid quòd tu ipſe diſcrimen facis? An iam oblitus es, quid ſupra in his ipſis tuis Araneis texueris? *Quis noſtrum dixit*, aiebas, *ſcripturam eſſe ita claram, &c. vt cuiuis in legendâ ſcriptura tironi perinde, atque diu exercitato, omnia peruia intellectuq́ facilia ſint?* Hæc ipſa cauſſa eſt, Iacobe, quare tironi audaculo & temerario, non nimium in ſcripturam licere velit Eccleſia. Quia enim multa in ſcripturis *Difficilia ſunt intellectu, quæ indocti & inſtabiles deprauant, ad ſuam ipſorum perditionem*; idcirco dicimus lectionem ſcripturæ ſacræ in vulgarem linguam tranſlatæ, non omnibus eſſe vtilem; immò non paucis etiam eſſe perniicioſam. Item, quia multi ſunt, qui opus habent lacte, non eſca aut ſolido cibo, vt loquitur S. Paulus, dicimus ijs ſalubriores eſſe inſtructiones Catecheticas, & conciones Paſtorum, in quibus de verbo Dei erudiantur, quàm pertinaciæ temeritatiſque periculo expoſitam lectionem Bibliorum.

Aran. ibid.

Horat. lib. Epod. Od. 3.

Cur in vernaculis verſionibus Eccleſia habeat difficultatem magis quàm in doctioribus linguis?

Aran. cap. 9. pag. 71.

2. Pet. vlt. v. 16.

V. Aliquid (magno tuo tuorumq́ue Lutheranorum malo) inter meum & Simonis reſponſum, quod diſſonet, te reperiſſe exiſtimas, ſed id ordinis cauſſa, in poſtremum locum reijciam.

Digitized by Google

Aran.pag 86.
Apoſtata iterum malus Logicus.

VI. Circa vernaculam verſionem, ſcribis *Simonem liberaliorem, Stengelium parciorem eſſe. Nam Simon affirmat, etiam vernaculam omnibus permitti, in regionibus hæretica labe infectis. Stengelius verò permiſsionem iſtam Germaniæ finibus includit* O ſuperi, quàm grandem iſte reperit Pumilionem! Primùm ſi Simon *liberalior* eſt me, ſuperat & te liberalitate, ex cuius profeſſus ſum me libro reſponſum illud contra te protuliſſe. Deinde quàm inſcitè, immò quàm mendaciter ais, me *permiſsionem iſtam Germaniæ finibus includere?* Iterum in Logicam reducendus es? Affirmo in Germania vernaculas verſiones permitti; Ergo *Germaniæ finibus permiſsionem iſtum includo?* Pfui Dialecticum! Verba mea ſunt: *Immo in Germania conſuetudo etiam vernacula lingua à Dietenbergero, Embſero & alijs Catholicis ſcriptoribus Biblia tranſlata permittere, neque expreſſam facultatem exigere videtur (vt tu ipſe faſſus es) cum Magiſtratus Eccleſiaſticus ſciat, videatq́; Biblia illa haberi, nec tamen reclamet, immo velut calculo ſuo approbet.* Qualis itaque conſequentia foret, *conſuetudo in Germania permittit* mendicos, *Ergo mendici Germaniæ finibus includuntur*; talis eſt illa tua. Perturbatiſsime homo, quod de vno loco affirmo, de altero non nego, ſi particulam excluſiuam non addo.

Differt.c.9.

Apoſtata malus iuriſta & humaniſta.
Reg. Qui tacet. 43. *De Reg.iur.in VI.*
Adam. Contzen. lib.5.Polit.c.27.

VII. Ais Simonem *audacter* dicere, *immò vernacula permittitur*, me verò *titubare*, cum dico, *conſuetudo Biblia à Catholicis tráſlata permittere, neque expreſſam facultatem exigere videtur.* Ita nimirum etiam regularum iuris imperitus es, vt qui earum formula vtitur, atque ad eas alludit *titubare* pronuncies? Nunquam legiſti: *Qui tacet, conſentire videtur?* Itaque eo ipſo vt etiam doctiſsimus Adamus Contzen in hac re monuit, quia ſcripturæ vernacula lingua comprehenſæ *publicè edi, vendi, ac emi permittuntur, cenſetur data legendi facultas generalis, qua tamen nonnulli ſine dubio abutuntur. Sed caueri omnia ſcandala non poſſunt.* Denique neſcis antiquam Romanorum iudicum formulam, REVM VIDERI? Quæro num ea titubantium fuerit argumentum? Credo tibi, cum iſta ſcriberes, vinoſa vertigine cerebrum titubâſſe.

Cit. Aran. loc.

VIII. Itaque corruit illa tua ex ignorantia profecta ſuſpi-

ſpicio, cum ais, me *timuiſſe ne in Pontificis regulam, nullo regionum diſcrimine (de non legendis in vernacula Biblijs, ſine licentia Epiſcopi in ſcripto impetrata) latam impingerem, legíque iniquiſſimæ pro libertate Germanica derogarem.* Nihil timui, quia ſciui quid ſit permittere. Immò tu denuò neſcis quid loquaris. Nam ſi timuiſſem *ne in Pontificis regulam, nullo regionum diſcrimine latam impingerem,* debuiſſem vel maximè à nominanda Germania abſtinere, ne diſcrimen faciendo, vbi lex diſcrimen nón facit, tunc demòm impingerem. Sed tuâ nihil intereſt, vbi impingas. Tam facile eſt tibi frontem, quàm caligas exuere.

IX. *Turpem fucum, apertum mendacium* vocas, cum dico, conditiones illas *Pontificij interdicti vernacula Biblia laicis vetantis, arcere deprauatas ab hæreticis inter vertendum ſcripturas.* Te fuci & aperti mendacij arguit totum Concilium Tridentinum, quod tam expreſsè *Bibliorum à* CATHOLICIS *Auctoribus verſorum* rationem haberi iubet: Cur? niſi *vt deprauatas ab hæreticis inter vertendum ſcripturas* legi prohibeat? Non vult ſcilicet hominibus Biblia propinari tineoſa. Apoſtata apertè mentiens alios aperti mendacij arguere audet.

X. Vt tuam contumeliam firmes, Syllogiſmum formas. *Verſiones* inquis, *pro hæreticis habitas, vti quoſuis hæreticos libros, non niſi ab ipſo Rom. Pontifice poteſtate data, legere Pontificio vlli licet.* Tranſeat Maior, Iacobe. Et noſſe potes, cur dicam *Tranſeat.* Neque enim tibi, cum adhuc Pontificius eſſes, ipſe Rom. Pontifex immediatè hæreticos libros, aut verſiones pro hæreticis habitas legendi poteſtatem dedit, &c. Sed, vt dixi, Tranſeat Maior. Perge bonis auibus ad Minorem. Sed vide, ne te comitētur corui, nā illæ malæ ſunt aues, effodiunt oculos nō bona fide ambulantibus. *Lex iſta, ais, de poteſtate ab Epiſcopo impetrāda pro vernaculis Biblijs legendis agit.* Duplex eſſe poteſt minoris iſtius ſenſus: primò quòd Lex iſta TANTVM agat de poteſtate ab Epiſcopo impetranda pro vernaculis Biblijs legendis, & aliud nihil agat: quo ſenſu & apertè falſa, & apertè fallens eſt Minor. Apertè falſa, quia, vt paulo antè oſtendi, Concilium Tridentinum eo loco eaque lege expreſsè *Bibliorum à* CATHOLICIS *auctoribus verſorum* rationem haberi iubet, *vt deprauatas* ſcilicet *ab hæreticis inter ver-*

Podagricus Apoſtatæ Syllogiſmus.

Exenteratur dolus Apoſtaticus?

Digitized by Google

tendum ſcripturas arceat. Apertè etiam fallens eſt Minor, quia id quod in Concluſione contra me inferre vis, ſupponit, immò ponit. Vis enim inferre & oſtendere me, *apertum mendacium* dixiſſe, quando dixi, *conditionibus illis deprauatas ab hæreticis inter vertendum ſcripturas arceri.* Nam dum hoc ipſum dixi, nónne ſimul dixi, legem iſtam non TANTVM agere de poteſtate ab Epiſcopo impetranda pro vernaculis Biblijs legendis? ſed etiam agere de hæreticis arcendis? Itaque occultè id dicis in Minore, quod tibi in Concluſione apertè vis concedi. Quod ſi autem ſecundò Minoris tuæ ſenſus eſt, nec tu adeò plus vis dicere, quàm; Præter alia in iſta lege, etiam agi de poteſtate ab Epiſcopo impetranda pro vernaculis Biblijs (quæ à nullo hæretico nimirum verſa & euerſa ſunt) legendis, vera quidem eſt Minor, ſed nihil prorſus ex ea contra me deducitur. Quo modo enim, qua figura aut forma tu inde contra me deduces, *Conditionibus illis deprauatas ab hæreticis inter vertendum ſcripturas non arceri?* An tu tam bellus ſophiſta es, vt ex affirmatione vnius partis negationem alterius, aut ex negatione vnius affirmationem alterius poſsis concludere? & à termino non diſtributo, ad diſtributum progredi? Hoc tu aduertiſti te facere & ne palam aduerteretur, fallaciſsimè concluſionem ſemiplenam poſuiſti hanc: *Non igitur de Lutheri verſione, cuius legendæ licentia ab Epiſcopo, qui illam dare non poteſt, peti non ſolet.* Imple lacunam, vt videamus fallaciam. Si ſic vis implere: *Non igitur agit lex iſta de Lutheri verſione impetranda, cuius legendæ licentia ab Epiſcopo qui illam dare non poteſt, peti non ſolet*; nihil prorſus contra me deducis: non enim dico hac lege agi de Lutheri *impetranda*, ſed de *arcenda* verſione; niſi apud te idem eſt *impetrare & arcere*, adeoq; *impetrare & non impetrare.* Quod ſi lacunam illam hoc modo vti debes, imples: *Non igitur agit lex iſta de Lutheri verſione arcenda &c.* iam tuus Syllogiſmus eſt talis, quale coniugium tuum, plenus miſerijs & carens vera vnione ac connexione. Nam vide tuum elumbem & mille vlcerib. ſcatentem Syllogiſmum. *Verſiones pro hæreticis habitas, vti quoſuis hæreticos libros, non niſi ab ipſo Rom. Pontifice poteſtate data legere Pontificio vlli licet. Lex iſta, de poteſtate ab* *Aran. pag. 87.*

Epiſ-

Episcopo impetranda pro vernaculis Bibliis legendis, agit. Non igitur agit lex iſta de Lutheri verſione arcenda, cuius legendæ licentia ab Episcopo, qui illam dare non poteſt, peti non ſolet. Credo paucos Tubingæ Baccalaureos eſſe, qui in hoc Syllogiſmo medium terminum, maius aut minus extremum, figuram, aut modum oſtendere poſſent; ſed ego omiſsis ceteris vim formamque totam in ſimili ſed compendioſo exemplo ob oculos ponam. *Dentes non ſunt oculi, Lex illa, quæ dicit, oculum pro oculo, dentem pro dente, agit de oculo; Non igitur agit lex illa de dente, cum agat de oculo, & dentes non ſint oculi.* Hæc, Iacobe, vis, hæc forma eſt tui Syllogiſmi, quo partem vnam legis cõcludis, vt alteram pulcherrimo deceptionis genere excludas. Sed nimirum cocus debet ſe dominorum palato accommodare. Alij ſalſa, alij inſulſa amant. Quia igitur & Lutherani inſulſis delectantur, officij tui fuit, inſulſa illis apponere. *Exod. 21. 24*

At ne in infinitum eam, ſi infinitos tuos errores velim perſequi, habe compendium. Omnia quæ aduerſum me, hoc loco, effudiſti, in te ipſum redundant, Iacobe. Nam tuas tibi ſolutiones reddidi. Quæ ſi *timidæ*, ſi minùs *liberales*, ſi *impiæ* ſunt, fuiſti & tu olim timidus, minùs liberalis, impius, quamuis nec hoc quidem velis videri. Vnde inolita tibi arte & hoc & alia nunc quoque diſsimulas. Quæ ſi quis omnia, ad nouiſsimum quadrantem velit exigere, næ ille negotium ſibi grande faceſſeret, præſertim exigendo ea ab homine, qui verſuram fecit, nec iam eſt ſoluendo.

CAPVT XLI.

QVID ET QVANTVM HÆRETICI EX LECTIONE SCRIPTVRARVM PROFICIANT?

Orphei lyra imperito non profuit ſed obſuit.

C*Vm Orphea Threſſæ mulieres dilaniâſſent, ferunt, caput vatũ vnà cum Lyra cùm primùm Hebrus excepiſſet, in nigrum Pontum eie-*

Digitized by Google

eiectum, ac ita ſimul natâſſe caput ac Lyram: illo lugubre quiddam in Orphei necem canente, hac ventis chordas percellentibus aptos materiæ facientе modos, donec ad Lesbum appellerentur. Vbi incolæ fluctibus vtriſque ereptis, caput ſepulchro condiderunt, Lyram autem ſuſpenderunt in templo Apollinis, in quo cũ benè longũ tempus fuiſſet adſeruata, multis annis poſt Neanthus Pittaci tyranni filius, cùm quæ de Lyra narrabantur, audiſſet, quod beſtias hac demulſiſſet Orpheus, plantas & ſaxa mouiſſet, quódque ipſo iam cæſo tamen per vndas lata, nemine modulante reſonâſſet, capitur incredibili amore habendi hanc, quare ingenti pecuniarum vi corrupto Sacerdoti perſuadet, Orphei Lyram, aliâ ſuppoſitâ, ſibi det: quâ acceptâ, parùm tutum ratus interdiu hac in vrbe ludere: nocte ſinu occultam efferens, ſolus in ſuburbium pergit. Quò vbi venit, Lyram pulſare incipit, ac chordas perturbat, ſperans ſtolidus ac imperitus artium iuuenis, fore vt diuinum aliquod carmen percuſſæ fides redderent, quo cunctos permoueret, & animi affectus quo vellet traheret, vt hoc nomine beatus haberetur Orphei muſices hæres. Dum hæc agit, vicini canes, qui in eo loco erant plurimi, ſtrepitu exiti coëunt, ac infelicem iſtum citharœdum diſcerpunt: quod ipſum ſolum cum Orpheo commune habuit, poſtquam canes adduxerat. Maniſeſtiſſimè igitur oſtenſum hoc exemplo eſt: non Lyram eſſe quæ homines & feras lenierit, ſed artem ac carmen, quæ præ alijs excellentia mater Orpheo contulerat, Lyra nihil à quibuſuis barbitis differente.

Orphei lyra, eſt Dei ſcriptura. Hæretici ſunt Neanthi. Vt ergo non eadem Neanthi fuit, quæ Orphei manus, hac chordas ita ſuauiter percutiente, vt tigrides currerent, leones attenderent, arbores traherentur, cautes mouerentur, ſiluæ totæ totiq; montes ſequerentur; illâ fides ita perturbante, & miſerabiliter pulſante, vt exciti è vicinia canes Neanthum non minùs lacerarent, quàm ille lyram; ſic ijſdem Biblijs orthodoxi vndiq;, in omnem terram veritatis ſono exeunte, populos & ſeipſos ad fidem, ad Eccleſiam, ad cœlum trahunt: in omnib. enim libris ſacris, vt tradit Auguſtinus, timentes Deum, & pietate manſueti quærunt voluntatem Dei: Lutherani autem ceteriq; diuinæ veritatis inimici, dum cum Neantho imperiti artis promittunt fore, vt diuinum aliquid è Biblijs proferant, mendacia proferunt, hæreſes proferunt, blaſphe-

S. Aug. 2. de Doct. c. 9.

mias proferunt, ſacrilegas libidines proferunt, inſtrumento ſalutis, in ſummæ perditionis inſtrumentum conuerſo.

Quæ dum liquidiora reddam, ſimul reſponſum habebit impudens & puerilis illa Apoſtatæ calumnia, quam ex conſilio ſupra in vltimum hunc locum diſtuli. Scribit enim Vbiquiſta Simonem & me de permiſsione Bibliorum non conuenire. *Simon dicit: Latina, Græca & Hebraica editio omnib. permittitur. Stengelius ait: Biblia, vt vel ab auctorib. Hebraicè, vel Græcè nobis relicta, vel ab Eccleſia Latinè approbata ſunt, nemini morigero vetantur. Itaq; Simon abſolutè nemini; Stengelius limitatè nemini morigero Biblia in primarijs linguis vetari ait. Pulchra conſenſio. Et quem morigerum Stengelius cenſet? illum ſcilicet, qui plus Papæ quā ſcripturæ credit, & Papæ mancipium, quidquid illum ſacræ litteræ doceant, eſſe ſic iurat. Qui talis non eſt, ne illi ſacrum codicem Stengelio decernente, tactio ſit.* Huc vſque Vbiquiſticus Scripturiſta.

Aran. pag. 86. Biblia in linguis doctioribus nemini & nemini Morigero vetari, an ſint inter ſe pugnantia vt Apoſtata calūniatur?

Primùm egregium nobis paradigma exhibet triumphi Lutherani. Deus bone! quantum eſt in iſtis Prædicantib. inane! Si ego alijq; eorum Aduerſarij in reſpondendo aliquot verbulis conuenimus, mox alterum ab altero deſcripſiſſe clamant, vel certè vtrumq; à tertio, aut omnes tres à quarto, vt in Araneis ſuis Apoſtata aliquoties clamat: ſi verbulo vnico diſcrepamus, mox iterum vociferantur, *Pulchra conſenſio! Bene inter ſe non conueniunt!* &c. Quid demòm ſcribendum eſt, quod iſti non calumnientur? Si ijſdem verbis vtimur, carpunt; ſi diuerſis, iterum carpunt; mallent ſcilicet nos omnino tacere; quia acerbum eſt illis, ſiue ijſdem, ſiue diuerſis verbis refutari. O malè cæci iudices! quæ diſſenſio, *Simon abſolutè nemini, Stengelius limitatè nemini morigero Biblia in primariis linguis vetari ait?* Mi homo, nec Simon, cum *abſolutè nemini vetari* ait, plus dicit, quàm Stengelius, cum ait *nemini morigero vetari.* Num aliud dicit, qui abſolutè dicit, nemini ſuus gladius inuito eſt retinendus: & aliud, qui limitatè ait, nemini ſano retinendus eſt, quia inſano etiam ſuus gladius non eſt porrigendus? Quis Paulo cenſeretur contradicere, ſi diceret, *hominis confirmatum teſtamentum nemo* morigerus *ſpernit*; cum tamen Paulus illud *mo-* *Gal. 3. 15.*

rige-

rigeris non addat, quod nihilominus tacitè ſubintelligit: Haud enim neſciuit multos immorigeros etiam *confirmatum teſtamẽtum* ſpreuiſſe, corrupiſſe, *ſuper addidiſſe.* Nulla eſt ergo inter Simonem & me diſſenſio, ſed Apoſtatæ pueriliter quæſita obiectio.

Impudens mendacium & impoſtura Apoſtatæ.

Deinde quærit Apoſtata, *Et quem morigerum Stengelius cenſet? illum ſcilicet, qui plus Papæ quàm ſcripturæ credit, &c.* Hoc mendacium Apoſtatæ tam craſſum eſt, quàm Dodonæa quercus, aut ingenium Cunradi Cellarij. Vbi enim aut quando vnquam, vel in meis libris legiſti, vel ex meo ore audiuiſti, proiectiſsime deſertor, illum eſſe meâ ſententiâ morigerum, *qui plus Papæ, quàm ſcripturæ credit?* Contrarium ſemper dixi, dico, dicam; illum ſcilicet eſſe immorigerum, illum infidelem, illum ſacrilegum, qui *plus Papæ quàm ſcripturæ credit.* Illud tamen haud parùm refert, quidnam aliquis ſcripturam eſſe exiſtimet. Nam vos, qui ne Papæ credere aut ſupercilium Spirituſque veſtros ponere cogamini, ſcripturas fingitis & refingitis veſtro arbitrio, nec ſcripturæ quidem creditis: quia ſcriptura non eſt, quam vos ſcripturam ſomniatis; & audaciæ veſtræ machæra veruinaque facitis

Plaut. Bacchid.

Confoſſiorem ſoricina nænia.

Quid vis, Iacobe, an libentiùs mancipium eſſe cupis ancillarioli alicuius Prædicantis, à ſtabulo & culina fætentis, quàm ſummi Pontificis Chriſti locum tenentis? Nempe ego credere deberem, eum eſſe genuinum ſcripturæ ſenſum, quem lixæ mentiuntur; & tu mancipia vocas, qui Papæ, SS Patribus, qui Eccleſiæ credũt ſcripturas interpretanti? Nónne abſurditatẽ hanc vides? Imò Papæ & Eccleſiæ ſcripturas exponenti credere, eſt ſcripturis credere: Prædicantibus credere, eſt mendacijs credere, & doctrinis diabolorum. Quorum amentia eouſque intumeſcit, vt credere nolint Eccleſiæ per tot iam ſecula probatæ: ſibi credi velint, qui toties iam deprehenſi ſunt fefelliſſe. Sed mitto hæc vel relatu indigna.

Tertiò igitur quoniam interrogas, *Et quem morigerum Stengelius cenſeat?* Reſpondeo, eum tanquam morigerum à ſcriptura pri-

Digitized by Google

ra primarijs linguis expreſſa non arcendum, qui, vt ſupra ex D.Petro dixi, non eſt indoctus, non inſtabilis, non mendax, non inquietus, non cerebroſus, non audax, non ſibi placens, & SS. Patrum ſententiam Eccleſiæque interpretationem & ductum contemnens, non denique luxurioſus & libidinoſus, hi enim tales introducunt *ſect.u perditionis*; per hos *via veritatis blaſphematur*; hi *in auaritia fictis verbis* de ſalute animarum *negotiantur; hi ſunt fontes ſine aqua, & nebulæ turbinibus exagitatæ, quibus caligo tenebrarum reſeruatur. Superba enim vanitatis loquentes pelliciunt in deſiderijs carnis luxuriæ eos, qui paululùm effugiunt, qui in errore conuerſantur: libertatem illis promittentes, cum ipſi ſerui ſint corruptionis.*

2. Pet. 2. & 3. cap.

Quinam immorigeri non ſint ad ſcripturam admittendi?

Tales autem in primis ſunt hæretici, ac præcipuè Prædicantes ipſi, qui in ſanctiſsimam Euangeliſtarum quadrigam, ſicut Phaëthon in Solis currum, cum ſuo & totius mundi diſcrimine conſcendunt; qui velut Oza indignam ad arcam Dei manum temerè extendunt, vt & Deus iratam in illos manum extendat; qui in diuinis ſcripturæ paſcuis vitulantur, iuuenantur, libidinantur: quique illo animo Biblia legunt, quo Ouidius legit, dum ex ſacra illa veritate, profanas fabulas concinnauit.

2. Reg. 6. 6.

Has impias Bibliorum tineas & blattas quiſquam morigeras iudicet? his ſcripturas committat? faciatque Biblia iure librum dici hæreticorum? cùm Irenæo & Tertulliano teſtibus, hæretici ad oppugnationem veritatis, ſoleant ſcripturas densè coaceruare, & tamen vt D. Auguſtinus docuit, *ſanctis diuinorum librorum authoritatibus nullo modo quiſquam rectè tribuerit, tam multos & varios errores hæreticorum, cum omnes ex ijſdem ſcripturis falſas atque fallaces opiniones ſuas conentur defendere*; inque Biblijs tanquam ſimius in purpura, exultent. Vt enim qui ſtrychnum bibit, ſtatim inſanit; ita qui hæreſin hauſit, illico ſcripturas corrumpit, ſcripturis indormit, ſcripturis immoritur & perit, ad ſuum, non ad Papæ aut Eccleſiæ ſenſum explicatis. Et tamen *non ad ſcripturas*, inquit Tertullianus, *prouocandum eſt, nec in his conſtituendum certamen, in quibus aut nulla, aut incerta victoria eſt, aut parùm certa. Nam etſi non ita euaderet collatio ſcripturarum, vt vtramque*

Librum hæreticorũ Biblia vocauit ipſe Lutherus in Sympoſ. & alibi ſæpiùs.

Iren. lib. 5. Tertull c. 9. & 15. de Præſc. S. Aug. lib. 1. de Trin. c. 3.

Tertull. de præſcr. c. 19.

partem parem ſiſteret, ordo rerum deſiderabat, illud priùs proponi, quod nunc ſolùm diſputandum eſt, quibus competat fides ipſa, cuius ſunt ſcripturæ, à quo, & per quos, & quando & quibus, ſit tradita diſciplina, qua fiunt Chriſtiani: vbi enim apparuerit eſſe veritatem diſciplinæ, & fidei Chriſtianæ, illic erit veritas ſcripturarum, & expoſitionum, & omnium traditionum Chriſtianarum.

Sed tempus monet ad exempla venire, atque hæreticos, quos vt immorigeros, & pernicioſiſsimas tineas, populatoreſque à ſcripturis virulentum os abſtinere volumus, ipſis ſcripturis abutentes in lucem protrahere, tanquam intra ſuas præſepes deprehenſos, & ſuis ipſorum alis captos.

I. Quis non tanquam immorigeros à ſcriptura arceat, ſicut apes *Ignauum fucos pecus à præſepibus arcent*, Caluiniſtas in ſcripturam tam blaſphemos? *Primores eorum*, inquit rectiſsimè Adamus Kontzen, *cum ſcriptura vrgentur, in illarum accuſationem vertuntur. Vorſtius cum in ſcriptura quædam errata eſſe dixiſſet, Caluini & Iunij auctoritate cauſam ſuam contra æternam Dei veritatem tuetur. Aliàs locum citaui, ſed nec mihi quiſquam reſpondit hactenus, & nunc quoque calumniantium importunitas extorquet, vt eadem proponam.* Denique obijcitur inprimis illud de Apoſtolis, alijſque N.T. ſcriptoribus, quòd dicantur in rebus leuiculis errare, aut memoria labi potuiſſe, &c. Sed an non eadem, aut ſimilia habet Caluinus, cum interdum eoſdem N.T. ſcriptores aut ſuperflua quædam tradere, aut alia magni momenti omittere, aut ordinem temporis in hiſtoria turbare, aut quædam ex V.T. minùs appoſitè citare, &c. non obſcurè ſcribit? Pro multis ſit vnus ille locus in 1. Ioan. 2. 14. Vbi diſertè ait, repetitiones illas Apoſtoli eſſe ſuperfluas, in his ſcilicet verbis: Scribo vobis pueri, &c. Sed vt Caluinum hìc omittamus, quid de Franciſco Iunio videtur, qui in locis communibus, recenter hìc impreſsis; lib. 1. cap. 19. non veretur affirmare, ſcriptores N. T. aliquando ſcientes prudentes præter veritatem hiſtoriæ quædam ſcripſiſſe. Sic enim apertè ſcribit, pag. 61. & 62. eos interdum recepto errori aliquid ex charitate condonâſſe, & propter opinionem

Adam. Contzen libr. 5. Politicor. c. 23.

Caluiniſtæ in ſcripturam blaſphemi.

Sectarij ſcripturas falſitatis, ſuperfluitatis, mendacij arguunt.

Item Politiciſmi.

Digitized by Google

nionem publicam, à veritate hiſtoriæ deflexiſſe, adeoque præter veritatem quædam S. textui inſeruiſſe, &c. idque ſpeciali exemplo S. Lucæ confirmat, qui contra veritatem hiſtoriæ Moſaicæ nomen Kenanis in genealogia Chriſti poſuerit, ne videlicet eos offenderet, qui Græcæ V. T. verſioni aſſueuiſſent, in qua nomen iſtud extabat, &c. Quod ſi hæc aſſertio Fr. Iunij excuſari poteſt (de quo ſententiam meam proferre iam nolo) cur non alia ſaltem ſimilis hæſitatio, aut conceſsio excuſari poterit? certè enim grauius eſt, ſcientem prudentem aliquid contra veritatem hiſtoriæ ſcribere, quàm σφάλμα μνημονικὸν in re leuicula admittere. Et rurſum maius quiddam eſt certò illud prius de aliquo aſſerere, quàm per confeſsionem poſterius iſtud aduerſario largiri. Sed iſta iam ſufficiant. Plura id genus exempla ex doctoribus noſtris, vbi opus erit, alia occaſione afferri poterunt: ſaltem vt appareat, eos magna proſopolepſia laborare, qui eadem aut ſimilia dicta in vno liberaliter excuſant, quæ in alio tanquam hæretica & impia traducunt. *Caluinus certè, in 24. 32. Ioſue. Stephanum Actor. 17. arguit, quaſi Abraham pro Iacobo nominârit, & manet tamen apud illos error indicatus à Caluino, & Harm. in Matth. 20. 26. Negat quadrare illam ſententiam, ſeu ad rem eſſe: Multi vocati, pauci electi. At Chriſti ſententia fuit. Si igitur vnus in ſcripturam error admittitur, tota fides eius vacillat, mendaci enim ſcripturæ non creditur, & omnium ſic legum fundamentum labaſcit.*

Et erroris, vt adeò totius ſcripturæ auctoritas apud iſtos vacillet.

II. *Nec mitior hac eſt in parte Lutherus, ſcripturam enim* DEO *opponit, in Gal. 3. Tom. 5. fol. 345.* Potiùs honorem habere & credere velim vni Chriſto, quàm permoueri omnibus locis, quos contra fidei doctrinam pro iuſtitia operum ſtatuenda producere poſſent. Quare ſimpliciter eis ita reſpondendum eſt. Hîc Chriſtus eſt, illic ſcripturæ teſtimonia de lege & operibus, Chriſtus autem Dominus eſt ſcripturæ & omnium operum. *Et paulò poſt.* Nihil moror ſcripturæ locos, ſi ſexcentos producas pro iuſtitia operum contra fidei iuſtitiam, & clamites ſcripturam pugnare. Ego authorem & Dominum ſcripturæ habeo, à cuius parte volo potiùs ſtare, quàm tibi credere. *Et pau-*

Lutherus ſcripturam quaſi Deo repugnãtem Deo poſtponit.

Digitized by Google

cũ interiectis. Tu vrges ſeruum, hoc eſt, ſcripturam, & eam non totam, neque potiorem eius partem, ſed tantùm aliquot locos de operibus, hunc ſeruum relinquo tibi. Ego vrgeo Dominum, qui eſt Rex ſcripturæ. *Si igitur errores ſcripturæ obijciunt, quomodo nobis contemptum eius obijciunt? Hæc ex fontibus impuriſſimis Ebionitarum, Cerdoniſtarum, Gnoſticorum, Marcioniſtarum, Tatianiſtarum, Seuerianorum, Helceſaitarum, Manichæorum, Bogomilitarum, Albigenſium deriuata ſunt, & in venenatiſſimum lacum Anomorum, & Libertinorum quaſi in ſentinam confluxerunt: qui id agunt, vt mundus ſit exlex.*

Hæretici ſcripturam legẽtes, quanti faciant eos, qui à ſcriptura commendantur? vt Abraham & Sarã.

III. *De illis qui ſacras litteras nobis reliquerunt, quiq; in illis commendantur, peſſimè ſenſerunt. Scriptura Abrahamum vt fidelium Patrem, vt fide iuſtificatum, Deo placentem nobis depingit: Caluinus & illum & vxorem eius Saram contra diuina Oracula grauiſſimorum ſcelerum reos agit. Abrahamum* nimiæ facilitatis, *Saram* feſtinationis *accuſat commentario in c. 16. 3. Geneſ.* Fidem Abrahæ concuſſam ait, & medium prætextum fuiſſe inter fornicationem & matrimonium, honeſto nomine palliatum. In medio ſeu agendi ratione, non in ſubſtantia eos peccâſſe, ait, quia extra DEI legitimã ordinationem ſobolem quæſiuerunt. *Sed modus ille ſubſtantiam fidei penitùs ſuſtulit; Benedictionem enim per adulteria & lenocinia quæſiuerunt, ſi Caluino credimus,* Abraham enim id egiſſe, ne benedictione priuaretur, *affirmat: At ſanè flagitioſum eſt adulterare, vt benedictionem conſequaris. De Sara ait.* Cum ſciret in benedictione Abrahæ benedicendas eſſe omnes gentes, mirum non eſſe, ſi ſocietatis honore noluerit priuari, ne reſecta à corpore benedicto, quaſi putridum membrum, extranea quoque à ſalute promiſſa fieret, *quæ ſi vera ſunt; Sara & Abraham infideles fuerunt. Nam credere ſe à corpore benedicto reſecandam, niſi domi ſuæ lupanar erigat, aut extraneam fore ſaluti, niſi ſit lena mariti, productrix ancillæ, eſt infidelem eſſe. Nec mitior eſt in Moyſen Exod. 2. 12. & 4. 10. Deut. 34. 10.* ait. Cõtempſiſſe eum diuinam obedientiam, voluiſſe quaſi DEVM ad abrumpendum opus adigere, fuiſſe mentis omnium oblitæ. *Dauidem, Eliam, Danielem, alios eodem modo excipit. Non igitur nos ſcripturam, & auctores eius contemnimus, ſed illi qui nos ea de re accuſant.*

Moſen, Dauidem & alios quomodo hæretici commendent.

ſunt. Tam voraces videlicet tineæ ſunt, vt & ſcripturas, & ipſos ſcriptores, eoſq; qui à ſcripturis atque ſcriptoribus commendantur, vnà deuorent ſcelerata ingluuie.

IV. Quàm morigeri ſint hæretici ad ſcripturam admiſsi, experiuntur tot partes ſcripturæ, mutilatæ, mutatæ, reiectæ, damnatæ. Iſti Iudith, Tobiam, librum Sapientiæ, Eccleſiaſticum, Baruch, 13. & 14. caput Danielis, Canticum trium puerorum adiectum cap. 3. Danielis, libros Machabæorum, Iacob & Iudę Epiſtolas, totam Apocalypſin, & quid non inuaſerunt, vt abſumerent? Quis tales tineas non è Biblijs excutiat? Quæ Eriſichthonia fames ſuperauit famem harum tinearum? Quis tales etſi doctos ad ſcripturam mittat, quis inuitet? niſi velit inuitatos venire, ſicut ad Semeles domum Iuppiter venit. Hęretici quãti ſint graſſatores Bibliorum.

V. Omninò verè ſcripſit Ioſephus Acoſta: *neminem eſſe tam rudem & imperitum, quin ſi humiliter legat, multa illic vtilia, veraq; intelligat; neminem tam doctum, qui non illic multò plura ignoret, quàm ſciat*. Hæretici ſeu docti ſeu indocti *humiliter* ſcripturas legere neſciunt. Vnde & ſuos inſtruunt, vt ſcripturas, tanquam Magiſtri Magiſtrorum euoluant; & iſtud ipſi gnauiter faciunt, illudque *Cedo nemini* cogitatione, verbo & opere præ ſe ferunt. Hinc tot hæreſes, velut zizania in ſcripturarum agro ſeminãtur, iſtis Cerberis ex Erebo ad Biblia infeliciter protractis ſpumas in aconita vbique ſpargentibus. Quis eos igitur ad ſcripturas admittat? an vt hæreſes multiplicet? an vt vineam vaſtet apro ſingulariter feroci eam depaſcente? *Ioſeph. Acoſta lib. 2. de Chriſto reuelato, cap. 2.* Non admittẽdos ad ſcripturas, qui eas humiliter non legunt; ſed hęreſes ex ijs fingunt.

VI. Quis morigeros iudicet & lectione diuinarum litterarum dignos, qui ſcripturas Prædicãtica deuotione voluunt, ſed maximè ijs in libris, vbi maiore ſe affectu inflammari perſentiſcunt? Cantica Canticorum, quàm puris verſibus, immò quàm impuris amoribus tranſcripſit Caluiniſticus Beza? Eadem de oſculis, de vberibus, &c. loquentia, quanta auiditate legunt columbi hæreticorum? ſicut & hiſtoriam de filiabus Loth; de iocante Abrahamo; de Ruben dormiente cum Bala concubina Patris ſui; de raptu Dinæ; de Thamar; de vxore Putipharis Ioſephum ſolicitantis; de Berſabea & Suſanna ſe la- Hæretici impuri prorſus à ſcriptura arcendi.

Digitized by Google

Quid ſtudioſi Baſileenſes è ſcriptura didicerint.

uantibus, & ſimilibus? Quid ex his talibus diſcant, vidi ipſe ante aliquot annos Baſileæ in Auditorio Theologorum. Vbi vtique Caluiniſticè Theologicas ſuas puriſsimas cogitationes è verbo Dei ſcilicet, & dictis ſcripturæ locis hauſtas, dum Prædicantem audierunt, vel certè audire debuerunt, ſcamnis partim calamo inſcripſerunt, partim cultellis inciderunt, vt tanquam Veneris monumentum perennarent. Editores quoque ſancti Chryſoſtomi, quid è ſcriptura diſci poſsit, haud obſcurè innuunt, dum ad quandam ſancti eius Patris homiliam in margine alleuerunt: *Scripturæ diligenter legendæ ab ÿs, qui habent vxorem & liberos.* Senſum dicti iſtius exemplo ſuo qui ſequuntur, declarârunt.

Ad Hom. 9. Chryſoſt. in ep. ad Coloſſ.

Oſiander in in Hymenæo num. 1.

Quid Oſiander è ſcriptura didiciſſe ſe dicat?

VII. Sic enim nuper Lucas Oſiander oſtẽdit ſe legiſſe Biblia atq; ex ijs profeciſſe, vt videre eſt in Valetudinario Poëtico. Oſiandri carmina carminumq; cenſura ferè ita ſe habent.

Cui ſine prole torus; Στοργὴν laudare paternam
Quî queat? haud aliter; caſtos qui laudet amores
Quem ſacer excepit nunquam torus ille iugalis?
Sic etiam populo, cœleſti voce Sacerdos,
Quî Patris ætherei Στοργὴν; quî flammea Chriſti
Verba, quibus ſponſam ſolatur ſanguine partam,
Exprimat; ignarus prolis, thalamíque iugalis?
Rectè igitur, Reihinge, torum, prolémque petiſti.
Sic torus ac proles lætum te ſemper habento:
Syderei vt Patris Στοργὴν Natíque fidelem
Affectum hoc typico poßis perdiſcere amore.

Nempe hæc eſt cauſa, quamobrem Prædicans eſſe nequeat, qui non habet Prædicantiſſam? quia ſcilicet Sacerdos cœleſti voce Patris ætherei aut Chriſti in Eccleſiam amorem exprimere nequeat, qui non in toro priùs expertus didicit quid ſit amare? Belliſsima connubiorum cauſſa, nuſquam in ſacris litteris indicata. Quæ ſi valet, iam & pueri impuberes, & ſeptennes puellæ viri haud patientes, quàm miſeri erunt, cum intelligere amorem Dei in filium, & Chriſti in ſponſam non poßint, quia experientia tori deſtituuntur? Quid ſi cui coniunx ſit, ſed proles non ſit, vnde dilectionem illam adipiſcetur? an prolem in alio hoſpitio quærere debet,

Syderei

Digitized by Google

Syderei vt Patris Στοργὴν, Natíque fidelem,
Affectum hoc typico poſsit perdiſcere amore?

Denique quid Chriſto, quid Ioanni Baptiſtæ, quid Agneti, Luciæ, Agathæ, &c. quas ipſe Lutherus virgines deceſsiſſe fatetur, factum putemus; cum enim neque coniugem, neque prolem iſti habuerint, an Στοργὴν paternam & caſtos amores laudare non potuerunt? haud aliter, laudari poſſunt, ait Oſiander. Hæc in Valetudinario.

Ad quæ Lucas Oſiander, in epiſtola Anti-Forero Iohan-Vlrici Pregizeri præfixa, aliud nihil habuit, quòd reſponderet, quàm iſta. *Tertiâ nunc vice, pie & beneuole Lector, iniquiſsimè ab improbitate vellicor Ieſuitica. Primùm Anonymus ille Tenebrio, Valetudinarij Poëtici Auctor, me aggreſſus eſt, ob ſcriptam à me Gratulationem, in nuptijs Reuerendi & Clariſsimi Viri D. Iacobi Reihingij, Collegæ mei dilecti, honeſtiſsimis. Verùm quod Author ille ea in me carperet, quæ non mea, ſed* SPIRITVS SANCTI VERBA ERANT, *quòd etiam* Nomen *ſuum edere in publicum ipſemet erubuit, neque cum vmbris mihi colluctandum ego exiſtimarem, hominem (hominis nomine ſi modo dignus fuerit) ſibi relinquendum, contemnendúmque potiùs, quàm talem irritandum lutulentum crabronem, cenſui, & adhuc cenſeo:* Hæc Oſiander, quæ pluribus alij diſcutienda relinquo. Illud ſolùm interrogo, quando Oſiander tam exertè ait, *non ſua, ſed Spiritûs ſancti verba eſſe*, in quonam loco Spiritus ſanctus de diuinis rebus tam impurè tamque carnaliter, immò tam falsè locutus ſit? Vbi carmina hexametra in nuptias Iacobi Reihingi pangere cœperit? Denique an ipſe etiam Spiritus ſanctus caſtos amores laudare poſsit, cum coniugem nunquam duxerit, & tamen Oſiander dicat:

Lucas Oſiander Academia Tubingenſis Cancellarius & Eccleſiæ Præpoſitus, in epiſt. quam Pregitzeri Anti forero præfixit, quaſi is epiſtolam ſcribere non poſſet ipſe.

—— caſtos quî laudet Amores,
Quem ſacer excepit nunquam torus ille iugalis?

VIII. Sic ſcripturam Cupidineo oculo legit VVilhemus Schikart, Sacr. L. Profeſſor, qui in eodem Hymenæo, *poſt impium Bezæ exemplum Cantica Canticorum, aliáque diuinæ litteraturæ verba deſcribere & mulierum amori accommodare auſus eſt.*

Scriptura ad Amaſias accommodata à Prædicātib. Cantica Canticorum ad amores.

Sicut lilium inter ſpinas,
Sic amica tua inter filias, &c.

IX. Sic

Digitized by Google

IX. Sic ſalutationem qua Angelus Dei parentem futuram impertijt, à futura Dei parente, ad futuram Ian-Fridericuli parentem impio calamo tranſtulit M. Georg-Cunradus Maicclerus Eccleſiæ Felbach Paſtor P. L. Hic cum dixiſſet B. Mariam Deiparentem toties totieſque fruſtra à Iacobo precibus ambitam, & Mariam VVelſeram longè fuiſſe blandiorem, inuocatamque in toros illius iſſe, addere non dubitauit ſcripturæ verba, aliò accommodata & velut correcta in hunc modum,

In eod. Hymenæum 15.

Salutatio Angelica, ad vxorem ſalutandam trãslata.

Ergo Maria VALE, *nunc rectè direxit illi:*
Huic ſed AVE *dicat, cara Maria mihi.*

Mirum niſi etiam Angelum Gabrielem iuſsit Chriſti Matri pro *Aue*, dicere *Vale*, & Aue illud è cœlo miſſum ad Mariam VVelſeram deferre.

X. Aequè caſtum exemplum in Dialogiſmo ſcientiæ & inſcitiæ à Iuſtitia appenſæ nuper eſt exagitatum, quod extat in Poëſi, quæ inſcribitur *Epithalamia in nouos honores, R. clariſſ. & præſtantiſſ. viri M. Iohan. Mülbergeri, &c.* In ea Poëſi inter ceteros anſeres ſtrepit & *M. Iohan. Iacob. Cnaus, Paſtor Bernſteinenſis*, & in carmine ſuo vxores Angelas nominat. *Hic cum putri venâ luctam Iacobi cum Angelo: immò vt ipſe ait cũ ipſo in Angelica forma Chriſto, deſcripſiſſet addidiſſetq́;* : Non magè demiror certamina tãta Iacobi, *vt palam faceret qualẽ luctam miraretur, qualémq́; cum Angelica illa lucta componeret, en quàm mellitos verborum globulos, quàm ex arte ſonantes numeros, quàm Socraticos ſanctoſque verſiculos ſubiecerit.*

Lucta Angeli cum Iacob, quam puram Prædicantibus luctam repræſentet? *Vide ſcientiã & inſcitiam in trutina Iuſtitia appenſam.*

Hic ego demiror, quod Iacobæa (Ioannem)
Vinciat, id ſtupeo, quî queat hoc fieri?
Sed quid id? Angelica eſt, (Iohannes) Angelus iſte eſt,
Sunt faciles vinctu ambo, Angelus, Angelica.
Angelicè vinxit, ſubtili vincula nexu
Implicuit (cordi,) ô Molorine tuo.
Angelus es Domini, Domini hanc velut (Angelam) amabis,
Nec facilis nexum (per) penetrabis (eum)
Sic vinctus maneas; animam, cor, pectus & iſtud
IACOBAEI LATERI *vincere da aſsiduo:*

Vincere

Vincere deuincire tuam da corda puellam,
Donec ab his vinclis liber ad Aſtra (meas)

IVST. *Quàm multa hinc in trutinam mittenda ô ſcientia? I. quòd Iohannem iam longum iam breuem (non contentus id Iacobo feciſſe) ac veluti mutilato capite in medium adducit. II. quòd non contentus Angelos habere, etiam Angelas creat. Negat enim ſe Deus Angelas creauiſſe. Vnde ergo Angela iſta, niſi tanquam noua Pallas è cerebro Iouis iſtius? per quem non licebit ampliùs dicere Chriſto: Neq; nubent neq; nubentur, ſed erunt ſicut Angeli Dei in cœlo. Debuiſſet dicere; ſicut Angeli & Angelæ, ſi voluiſſet Doctoribus iſtis placere, qui, ſicut mutuò hortantes dicunt. Angelus es Domini, Domini hanc velut Angelam amabis: ita etiam pro pietate ſua malunt cuſtodes Angelas quam Angelos habere. III. Erubeſco dicere quàm caſtus his carminibus ſenſus inſit, & tamen illi non erubeſcunt ſcribere. IV. Illam luctæ honeſtiſſimam comparationem, quis ſtomacho non funditus euerſo perlegit? V. Deniq; ſi iſti perinde Metricas, & Matrimonij leges ſeruant, næ probè nobis trutinandi veniunt.*

XI. Quàm morigeri ſint iſti, quamque virgineâ mente Dei verbum legant, patuit etiam non admodum pridem ex carmine Ratisbonæ edito in nuptias cuiuſdam Domini, Anno M.DC.XXIII. 23. Septembr. celebratas. Carminis auctor eſt *M. Michaël Dornberger. p.t. Conrector.* Carminis titulus eſt: *Echo* Διαλογιστικὴ *inter Nobiliſſ: Dn. Sponſum & Dn. Sponſam, cuius reſponſum reddit Echo. clamat,* SPONSVS *reclamat.* SPONSA. Carminis tenor eſt, qualem à Sceparnione & illius hera expectes, ad cuius fanum candidati hoſtiatique venire ſolebant. Sed ego de multis florib. duos ſeligam, duob. diſtichis implexos. Diſticha ergo Dornbergeri hæc ſunt.

Quid ſit quo Prædicantes Dauidem ſuperari prædicent.

Plaut. Rud.

Eſſe licet videar miles Veteranus, Amica:
Inualidus non ſum; cunctaq; conor. —— Honor,
NON EGO TE SICVT DAVID, SVNANIMITIDA HABEBO:
Illo plus ego te ſollicitabo. ——— Dabo.

Siccíne ſcripturas eſſe legendas putemus? Indignandum vel ſenectuti vel caſtitati Dauidis arbitrantur, & eius exemplo prorſus contrarium promittunt. O hominum pudor, quo migrâſti? Si hæc è Biblijs hauſta ſcribere publicè non veren-

Digitized by Google

tur, quàm honeſtas intra pectus ſuum cogitationes nutrient, cum talia legent? Quis talib. quamuis doctis ſcripturâ non interdicat? Quis illotis manib. eos irrumpere, & in ipſo fonte puritatis magis collutulari patiatur? Hos ergo *immorigeros* appello. his Biblia non permitto. Interrogâſti, Iacobe, *Et quem morigerum Stengelius cenſet?* Reſpondi. Habes, quod quæſiuiſti. Poſthac, ni plura vis diſcere, noli plura interrogare.

Aran. 86. pag.

An fæminæ debeant ſcripturis ſtudere?

XII. Non ignoro D. Hieronymum etiam in quibuſdam feminis ſtudium ſcripturarum commendauiſſe, ſed feminæ illæ Paulæ, Euſtochia & ſimiles erant, Græcè, Hebraicè, Latinè eruditæ; diſcipulæ, non magiſtræ: diſcere, non docere paratæ; denique morigeræ, non VViclephicis lamijs & Huſſiticis ſtrigibus comparandæ. Quis enim iſtas procaces non potiùs ad fuſum & colum & calathiſcum, quàm ad ſcripturas ablegaret? Rectiùs.

Iuuenal. ſat. 2.

Vos lanam trahitis, calathiſq; peracta refertis
Vellera: vos tenui prægnantem ſtamine fuſum

meliùs torquetis, quàm S. Paulum. Quouſque ô fæminæ ſapitis? immò quouſque deſipitis? Ideóne ſcripturam legitis, vt Doctores ipſos prouocetis, & ventoſâ veſicâ inflatiores, inter comendũ, inter prandendum, inter ſaltandũ ſcripturas eructetis? *Populus Lutheranus*, inquit Cochlæus, *vt vnuſquiſque eorum qui Lutheri nouum teſtamentum perlegerit, exiſtimat ſe cunctis Papiſtis (ita vocant Catholicos) in ſcripturarum intelligentia præferendum. Vnde factum eſt, vt non ſolùm Sutores, Pelliones, Sartores, Lanij, Cerdones, cultrifices & id genus alij vel viliſſimi, ac ſordidiſſimi quique ex infima plebe artifices, qui modò Teuthonicè ſciunt legere, petulantiſſimè per noui teſtamenti librum, quem è ſinu proferunt, Paſtores ſuos, & Monachos concionantes inceſſant & redarguant: Verùm etiam nobiles eò leuitatis per contemptũ deueniãt, vt ad diſputationis duellum Theologiæ Doctores, abiecta muliebri verecundia prouocare auſint. Quarum vna, nomine Argula, totam vniuerſitatem Ingolſtadienſem (licet in ea eſſet doctiſſimus Ioannes Eckius, qui ne à Luthero quidem & Oecolampadio diſputationibus vinci potuit) ad congreſſum diſceptandi propoſitis thematis procaci contemptu euocare non erubuit. Sed non tulit eam indignitatem Illuſtriſſimus vtriuſque Bauariæ*

Cochlæus in libro, An expediat laicis legere noui teſtamenti libros Vernacula lingua.

Argulæ arrogantia.

Dux

Digitized by Google

Dux VVilhelmus, qui tam immodeſtæ matronæ maritum & honorifica, vtiliq; exuit præfectura & à ſe longiùs cum vxore relegauit.

XIII. Recentius exemplum, quàm parùm conducat populo & indoctis Biblia propinare, vt ex ijs ſibi religionem fabricent, narrauit mihi hoc primùm anno vir nobilis, & pereruditus, de ſe ſuaque ſorore ad Catholicam Eccleſiam mirabiliter adductis. Eſt is Norinbergæ natus & notus, atque inibi diu verſatus, donec reperta veritate, Bambergam ſe recepit, vt rebus religionis quietiùs inuigilaret. Inde hac tranſiens, me velut de via ſalutauit, & vt eſt pietate, zeloque ſancto ardentiſsimus, multa mecum de rebus ad fidem pertinentibus contulit. Is ergo, ita ſe ad veram fidem perductum commemorabat. Norinbergæ varia, vt fit, ſæpe audierat in Catholicos criminoſè iactari, ac inter cetera, quòd ipſis Biblijs non pepercerint, ſed ea longè alio alioque ſenſu de Hebræis fontibus in Latinum ſermonem traiecerint. Inde noſtra Biblia turbatam aquam, Lutherana limpidos liquores continere. Viſa eſt ea accuſatio viro prudenti non carere ſuſpicione, cum tot SS. Patres, tot Eccleſiæ ætates & ſecula peteret tangeretque. Quare vt feruidè amanti nihil nimis arduum & difficile eſt, multæ iam ætatis vir, veritatis intelligendæ cupiditate accenſus, ſubſeciuas ſibi horas deſtinauit, quibus intra duos annos Hebræam linguam ita didicit, vt in eo idiomate Biblia facilè & legere & intelligere poſſet. Cuius rei ipſe experimentum cepi, nã ſicut extemplo Græcos auctores, ita & Hebræos in meo conſpectu legit, vertitque. Ita ergo inſtructus, noſtra pariter & Lutheranorum Biblia cœpit cum Hebræis conferre & prorſus contrarium reperire ijs, quæ anteà audierat. Noſtra enim vidit congruere, ea autem quæ Lutherus vertit, vehementer diſſonare, adeoque digna, quæ Matheſius aliquis pro concione virgis cædat, dicatque *diſcas meliùs*. Neque enim gratis ſcripſit Lutherus: Jch kan weder Griechiſch noch Hebraiſch. Deprehenſa igitur hac capitali calumniâ, progreſſus eſt ad alteram diſpiciendam. Nam & SS. Patres doctrinâ Lutheranos fuiſſe creberrimis ſermonib. audierat. Coëmit igitur ſibi magnam

Mirum exemplum de Biblijs puellæ obtruſis.

Luther. qui in ſympoſ. c. 69. negat S. Hieronymum fuiſſe Hebrææ linguæ peritum: idem de ſe quoq; in ijſdem Sympoſiacis fatetur.

gnam vim librorum, vt ipſus legere poſſet, quid SS. Patres docuiſſent. At neque Patres pro Lutheranis, immò palam contra illos ſtare vidit. Tandem ergo Becani controuerſias ac Bellarmini aggreſſus veritati & Deo manus dedit. Ac ne fruſtra tam ſedulus fuiſſet, alios quoque eâdem veritate imbuit. Inter hos erat & ſoror illius adhuc innupta. Quam cum ipſe Norinbergâ digreſſus, domi reliquiſſet, magnam prælіandi occaſionem ſe nactos arbitrati Prædicantes, totis vexillis oppugnare cœperunt. Dubites ex qua parte viri, ex qua femina diſputârit. Nam virgo virili conſtantia perſtitit; Prædicantes muliebriter victi haſtam abiecerunt. Quid facerent? quam argumentis conſtringere non quiuerunt, vinculis conſtrinxerunt. Itaque non ratiocinando, ſed in cuſtodiam dando eam incluſerunt. Ibi mihi vide, quid Biblia poſsint, ſine duce, ſine magiſtro lectitata. Cum enim diu vexatam virginem de conſtantia deijcere non potuiſſent, Biblia illi attulerunt, ibi legeret, ibi videret, quid verbum Dei credi præcipiat: & vtique non erraturam, ſi Dei verbum ſequeretur. Puella, iam olim de Lutherano more, erga ſcripturam licentiùs affici ſolita, accipit vnà codicem, & conditionem. Quid expectatis Lutherani? Quid ſperas, Iacobe, qui paulo ſupra dixeras, *ſcripturam ita in neceſſarijs eſſe claram vt à populo cum fructu legi, & ex illa ſola, fidei controuerſias omnes dirimi poſsint?* Ita proteruè affirmâſti. Age, ades, ſpecta. In quæſtionem adducuntur fidei controuerſiæ, quæritur norma, porrigitur ſcriptura, excluditur traditio, iubetur puella in clariſsimo Dei verbo manifeſtiſsimè intueri Lutheranam veritatem. Nec negligens eſt virgo, iudicem Lutheranum controuerſiarum conſulit, iudicem audit, immò legit. Quid factum putatis Lutherani? Id quod Manichæis Auguſtinus ſcribit contigiſſe, vt vetus teſtamentum aſſererent nouo repugnare. Nam quo pacto ſeſe extricaret? Vetus teſtamentum ait, *Deum creâſſe omnia*: nouum ait, *omnia per verbum facta*. Vetus ait hominem factum eſſe ad imaginem Dei: nouum ait, hominem eſſe ex diabolo. Vetus ait, Deum die ſeptimo quieuiſſe ab omni opere: nouum ait, *Deum vſque modò operari*. Hæc talia per-

Aran. pag. 71.

S. Aug. lib. cõtra Adimantum Manichæi diſcipulum.

Gen. 1. 1.
Io. 1. 3.
Gen. 1. 27.
Io. 8. 44.
Gen. 2. 2.
Io. 5. 17.

Digitized by Google

perplexam reddebant. Et inſuper identidem fluctuãtis animũ pulſabant, quòd Iſraëlitas populum electum, aſsiduiſque Dei promiſsionibus ſuſtentatum mirificiſque prodigijs de varia tyrannide periculoque ereptum lectitaret. Iterum interrogo Lutherani, vbi veſtra vnica norma fidei? vbi iudex eſt, iudex ille tam clarus, tam apertus, vt ſolus ſufficiat ad omnes omninò controuerſias dirimendas? Hic iudex à veſtris Prædicantibus vltro eſt huic puellæ, immò hæc puella huic iudici eſt oblata. Pro quonam igitur pronunciauit? O miſeri Lutherani! cauſſa cecidiſtis apud hunc ipſum veſtrum iudicem, ad quem appellauiſtis. Nam illa ſibi, & vt putabat ſcripturæ credens, facta eſt Iudæa. Hunc effectum habet lectio ſcripturarum, ſi Lutherano more peragatur. Aequè nimirum facilè in hunc, quàm in alium ſcopulum ac errorem inducit. Et tamen veſtris artibus hæc puella nauigauit? Quî ergo fit, vt naufragium fecerit? Nempe fallaces ſunt artes veſtræ. Sine nauarcho vela facere, eſt Syrtibus ſe exponere. Quid opus fuiſſet Apoſtolis, ſi Biblia ſuffeciſſent? Non legimus Chriſtum iuſsiſſe, vt Euangelium ſcriberetur, legimus tamen iuſsiſſe, vt prædicaretur. Itaque rectiùs & huic puellæ aliquis fidem viuo ſermone propoſuiſſet, quàm Biblia, vnde illa ſibi ipſa fidem non fidem adoptauit. Quare, ô Prædicantes, veſtræ culpæ negocium eſt, quòd hæc anima nouo Teſtamento fidem abiudicârit. Veſtra temeritate ſeducta eſt, quæ veſtra induſtria non potuit reduci. Quippe, vbi ſemel animo conſtituit, Iudæorum ſe legib. addicere, omnem occaſionem circumſpexit, vt à vobis ad Synagogam aliquam profugere poſſet. Reperit occaſionem. Profugit. Iudæa inter Iudæos viuere cœpit. Sed à vobis non permiſſa eſt diu ibi viuere. Itaque Norinbergam ex fuga retracta fuit. Quid ô Lutherani, dicam? Equi veſtri plus poſſunt, quàm Prædicantes veſtri. Nam puellam, quam equi Norinbergam reduxerunt; Prædicantes ad Lutheraniſmum non reduxerunt. Omnem ſanè lapidem mouerunt, omnem catapultam, omnes machinas adhibuerunt. Stetit puella in conſilio. Immo iacuit in Iudaiſmo. Et iacuiſſet diutiùs, niſi eum pius & ardens

Digitized by Google

frater, Reuerendiſsimi & Illuſtriſsimi Principis Ioannis Godefridi Bambergenſis & Herbipolenſis Epiſcopi litteris auxilioque adiutus, ad Catholicam denuo veritatem erexiſſet.

CAPVT XLII.

ETIAM EXEMPLO IPSIVS APOSTATAE DEMONSTRATVR, QVAM PARVM PROSIT HÆRETICIS DE SCRIPTVRIS TRIPVDIARE, QVAS IPSIS SVIS TRIpudijs perditum eunt.

Scripturæ hæreticis pro veneno.

Sueton. in Neron. Claudio cap. 33.

SATIS exemplorum eſt, quibus oſtenditur ab immorigeris, ab ijs qui ſibi ipſis Magiſtri ſunt & diſcipuli, denique ab hæreticis & libidinoſis ſcripturas deuorari, ſicut à Claudio quondam boletus; qui etſi prouerbio Græco quaſi Deorum cibus collaudaretur, veneno tamen tinctus mortem illi attulit. Quanquam enim & ſcriptura cibus quidam, ſi non Deorum, ſaltem diuinus dici poteſt, deprauata tamen, vel ſecundùm litteram duntaxat vſurpata occidit. *Hæc eſt inſtitutio,* inquit Tertullianus, *non dico iam quæ futuras hæreſes prænunciabat, ſed de qua hæreſes prodierunt. Sed non fuerunt ex illa, ex quo factæ ſunt aduerſus illam.* Et paulo poſt. *Illic igitur & ſcripturarum, & expoſitionum adulteratio deputanda eſt, vbi diuerſitas inuenitur doctrinæ. Quibus fuit propoſitum aliter docendi, eos neceſſitas coëgit aliter diſponendi inſtrumenta doctrinæ. Aliàs enim non potuiſſent aliter docere, niſi aliter haberent, per quæ docerent hæreſim.* Neque aliud mihi magis voluiſſe Chriſtus videtur, cum dixit: *Nolite dare ſanctum canibus, neque mittatis margaritas veſtras ante porcos, ne fortè conculcent eas pedibus ſuis, & conuerſi dirumpant vos.* Quid enim ſanctius ſcripturis? quid latratoribus ſimilius, quàm impudentes iſti, qui ipſo Dei verbo mendacium ſtabilire nituntur? immò qui porcorum inſtar, inde exempla libidinis ſumunt, vnde virtutem diſcere debuiſſent:

2. Cor. 3.6.

Tertull. de Præſcr. c. 36.

Ibid. cap. 38.

Matth. 7.6.

Digitized by Google

ſent: & diuinæ hiſtoriæ margaritas immundiſsimorum carminum *pedibus* proculcant.

Super hæc omnia tamen exempla, tuum, Iacobe, accedat exemplum. Seu enim deſperatio te excæcârit, ſeu malitia tibi in hoc vitæ ſtatu neceſſarias fraudes extorſerit, vbique tamen prodis, quàm vanè *iniquitas ſibi mentiatur.* *Pſal. 26.12.*

An non enim magnificus ille promiſſor tu es, qui ais, *Ita perfectam dicimus ſcripturam, vt omnia credenda, vel clariſſimis ipſius verbis, vel legitima ex illis conſequentia probari queant?* Quanquam ergo, vt ſupra monſtraui, hoc à prima illa veſtra doctrina eſt pedem reducere; quanquam hoc non eſt ex *ſola pura puta ſcriptura probare:* nihilominus, etiamſi & hanc vobis conditionem donemus, adhuc implumes eſtis, nec eò, quò deſtinatis, vllo modo valetis euolare. Quanta hæc miſeria, de diuitijs quaſi in arca repoſitis ſuperbire, & famem pati? gloriari de armis, & hoſtem fugere? iactare purpuras, & in nuditate frigora ſuſtinere?

Arau. c.10. pag. 75.

Scripturas hæretici iactant, quas non habent.

Vel age, Iacobe, niſi ſpe vanâ Lutheranos lactas, age, ſi *ita perfectam dicis ſcripturam, vt omnia credenda, vel clariſſimis ipſius verbis, vel legitima ex illis conſequentia probari queant*; Proba mihi, proba Lutheranis tuis, *omnia credenda vel clariſſimis ipſius verbis, vel legitima ex illis conſequentia*: prouocamus ad hoc genus probationis, expectamus, deſideramus. Id quàm diu non facis, promiſſo tuo non ſatis facis. Arbitramur te dicere poſſe, facere autem non poſſe, niſi facto tuo opinionem noſtram emendes. Et mirum, ſi id facere potes, te tam diligenter ab vtroque probationis genere abſtinuiſſe. Imò mirum, te, qui alioqui omne ferè tuum præſidium in diſsimulando collocas, ſemel iterumque legitimæ veſtræ conſequentiæ ſpecimina dare non metuiſſe. Quanquam, quàm inuitus dares, præmiſſa quadam conuitiorum triga ſatis declarauiſti. Quàm enim egregium ſpecimen eſt illud, cum ais: *Illa tamen Simonis, vti in quæſtiunculis ſuis importunus, & puerilis eſſe, ſibique perplacere ſolet, illa inquam, quæſtiuncula, vbi in ſcriptura tradatur hæc diſtinctio, quòd ſcriptura in neceſſarijs clara ſit, breuiter expedienda eſt. E ſcriptura manifeſtè hæc diſtinctio colligitur,*

Aran. cap.9. pag. 74. Primum ſpecimen legitimæ conſequentiæ ex ſcripturis Lutherana dialectica deductæ. *Lucian. in Veris hiſtoriis.*

ligitur. Cum enim ſcriptura ſe apertam dicat, & in multis, quæ ſcitu neceſſaria non ſunt, omnium partium confeſſione obſcura ſit; conſequens eſt, vt de neceſſarijs intelligi illud claritatis encomium debeat. O Siculæ nugæ! ô manifeſta collectio! ô legitima conſequentia! Eóne tu, Iacobe, per ſcripturas veniſti, vt nox tibi ſit lux, illorum more, qui ſicut in fabulis eſt, interdiu nihil, internoctu omnia viderunt? Eſtne hoc argumentum enthymema, an ſyllogiſmus? Neutrum apparet. Si hæc conſequentia in formam eſſet reducenda, quanto ſudore conſtaret? quàm raucus ex ea prodiret ſyllogiſmus? Si manifeſta eſt iſta collectio, manifeſta erit & hæc mea. *Cum ſcriptura ſe apertam dicat, & in multis, quæ ſcitu neceſſaria non ſunt, omnium partium confeſſione clara & aperta ſit, conſequens eſt, cum eadem ſcriptura ſe dicat obſcuram, vt de neceſſarijs intelligi illud obſcuritatis nomen debeat, & iſtud claritatis encomium de non neceſſarijs.* Porrò quo modo ſe apertam ſcriptura dicat, ex ſupra diſputatis conſtat.

Paulo meliorem formam conſequentiæ, in pari tamen, hoc eſt, in æquè fragili & caduca materia, & æquè inuitus atque coactus, vt apparet, contra me ædificâſti, vt demonſtrares, *ſolam ſcripturam eſſe rectè credendi certiſſimam regulam.* Ita enim ſcribis. *Quoniam verò Stengelius adeò ſyllogiſmos amat, meq́ prouocat, vt vel vnicum ſyllogiſmum componam, quo illud dogma noſtrum concludam, prouocatus parebo, & argumentum indicatum vnico claro ſyllogiſmo expreſſum dabo. Si ſcriptura traditiones reprehendit, nihilq́ ſibi addi patitur, & præterea in rebus ad ſalutem neceſſarijs lucida, perfectaq́, hominem ſufficienter ad ſalutem inſtituere, perfectúmque facere poteſt* (vt puellam Norinbergenſem ſcilicet fecit) *tum ſanè ſine traditionibus, ſola ſcriptura eſt ſufficiens, & perfecta fidei regula: ſed prius eſt verum. Ergo & poſterius,* &c. *Habet ergo iam ſyllogiſmum, quem tantopere petijt, & nullis viribus fieri poſſe vaniſſimè putauit.* Iacobe, nondum habeo ſyllogiſmum, quia nego Minorem: ſine Minore enim nullus eſt ſyllogiſmus. Alioquin & ego probarem te volare poſſe hoc ſyllogiſmo. Si Iacob. habet omnia ad volandum requiſita, tum ſanè volare poteſt: Sed prius eſt verum. Ergo & poſterius. Miranturque meritò, qui vel ſupremis labijs aliquid

Digitized by Google

quid eruditionis guſtauerunt, te tam ſimplicem factum, vt putes, vel Lutheranos tuos tam facilè decipi poſſe. Quaſi verò neſciant te id ipſum aſſumere in minore, quod in quæſtione eſt, quodq; nos negamus? Negamus enim traditiones diuinas à ſcriptura reprehendi: negamus ad ſcriptũ Dei verbum, non additum eſſe ab ipſo Deo aliud Dei verbum non ſcriptum; negamus ſcripturam in omnibus rebus ad ſalutem neceſſarijs lucidam; negamus ſcripturam ſolam hominem ſufficienter ad ſalutem inſtituere; & hoc ipſum à te probari nobis clarè poſcimus. At tu egregius ſicut ſponſus ita ſponſor, hæc omnia in minore collocas, concediq; tibi debere exiſtimas? Immò non exiſtimas, & nihilominus collocas, vt in aëre ædifices, & Iunonem aliquam tibi è nubibus fingas. Ais enim ibidem. *Aſſumtio ex teſtimonijs ſacris à me loco antè nominato allatis clara euadit. Quid verò ad illa reſpondere conetur Aduerſarius, in ſequentibus aliquot capitibus mox videbimus.* Collocâſti igitur in Minore, quod à nobis negatum ſciſti, neque nunc quidem vllo pacto probauiſti: aut ſi vir es, pone illam tuam probationem in minore, vt claram legitimamque conſequentiam tandem videamus, & credamus. At fruſtra te iubeo facere, quod non potes. Feciſſes vtique, ſi potuiſſes, vt ſaltem hîc aliquam gratiam à tuis Mæcenatibus inires. Quoniam itaque & hoc quoddam fidei, imò primarium apud vos dogma eſt, *ſolam ſcripturam eſſe rectè credendi certiſſimam regulam*, ex magnifico illo tuo promiſſo tam diu pro perfido debitore haberis, donec & iſtud nobis, *vel clariſſimis ipſius ſcripturæ verbis, vel legitimâ ex illis conſequentiâ probes.*

Aran. cap. 7. pag. 53. Alterum egregium ſpecimen legitimæ conſequentiæ Lutheranæ.

Sed ita eſt, vt initio docui, tineæ eſtis, ſcripturæ dum inhiatis, ſcripturam perditis. Dum omnia credenda è ſcripturâ clariſsimè vos probaturos iactatis, ne vnum quidem controuerſiæ vllius articulũ contra nos probare poteſtis. Quis Pſeudoprophetas vos eſſe non animaduertat? quis promiſsiones veſtras tam inanes non execretur? quis non intelligat Filium hominis, cum ad orbem terrarum iudicandum deſcenderit, *partem* veſtram *cum hypocritis* poſiturum? Quæ enim maior, quæ deteſtabilior hypocriſis, quàm tam glorioſè, tam palam, tam *Supra c. 1.*

frequenter & confidenter affirmare, *ita perfectam eſſe ſcripturam, vt omnia credenda vel clariſſimis ipſius verbis, vel legitima ex illis conſequentia, probari queant?* & tamen cum in rem præſentem venitur, probare non poſſe?

Si itaque ex verbo diuino tradito probare nihil vultis: ſi ex verbo diuino ſcripto probare contra nos nihil poteſtis; quid aliud ſequitur, quàm vos omne verbum diuinum perdidiſſe? Quòd ſanè & Adamus Contzen eruditè oſtendit; & iam olim SS. Patres perſpicuè docuerunt.

Adam. Contzen. lib. 5. Politicor. c. 25. vbi demonſtrat ſectarios habere veram Dei legem non poſſe.

Tertull. de Præſcript. aduerſ. hæret. cap. 37.

Nam *ſi hæc ita ſe habent,* inquit Tertullianus, *vt veritas nobis adiudicetur, quicunque in ea regula incedimus, quam Eccleſia ab Apoſtolis, Apoſtoli à Chriſto, Chriſtus à* DEO *tradidit; conſtat ratio propoſiti noſtri definientis non eſſe admittendos hæreticos, ad ineundam de ſcripturis prouocationem, quos ſine ſcripturis probamus ad ſcripturas non pertinere. Si enim hæretici ſunt, Chriſtiani eſſe non poſſunt, non à Chriſto habendo quòd de ſua electione ſectati hæreticorum nomine admittunt. Ita non Chriſtiani nullum ius capiunt Chriſtianarum litterarum, ad quos meritò dicendum eſt, qui eſtis? quando, & vnde veniſtis? quid in meo agitis non mei? quo denique Marcion iure ſyluam meam cædis? qua licentia Valentine fontes meos tranſuertis? qua poteſtate Apelles limites meos commoues? mea eſt poſſeſſio, quid hic cæteri ad voluntatem veſtram ſeminatis & paſcitis? mea eſt poſſeſſio. olim poſſideo, prior poſſideo, habeo origines firmas, ab ipſis auctoribus quorum fuit res. Ego ſum hæres Apoſtolorum. Sicut cauerunt teſtamento ſuo, ſicut fidei commiſerunt, ſicut adiurauerunt, ita teneo. Vos certè exhæredauerunt ſemper & abdicauerunt, vt extraneos vt inimicos. Vnde autem extranei & inimici Apoſtolis hæretici, niſi ex diuerſitate doctrinæ, quam vnuſquiſque de ſuo arbitrio, aduerſus Apoſtolos aut protulit, aut recepit?*

[illegible] 3. c. 2. [illegible]

Euenit itaque, Irenæo teſte, *neque ſcripturis iam, neque traditioni conſentire eos,* qui ſcilicet Lutheranorum & Caluiniſtarum more Eccleſiæ in traditionibus admittendis non obſecundant. Cum enim, vt idem ait, *ad eam iterum traditionem, quæ eſt ab Apoſtolis, quæ per ſucceſſiones Presbyterorum in Eccleſijs cuſtoditur, prouocamus eos, qui aduerſantur traditioni: dicunt ſe non ſolùm presbyteris, ſed etiam Apoſtolis exiſtentes ſapientiores ſinceram inueniſſe veritatem,* Nempe

ſicut

ſicut nimium ſapere, eſt deſipere, ita veritatem hoc pacto inuenire, eſt mendacium inuenire. *Quomodo ergo*, inquit meritò Clemens Alexandrinus, *ſi quis fiat beſtia ex homine. ſimiliter atque hi, qui fuerunt infecti venenis Circes: ita homo Dei eſſe, & Domino fidelis eſſe perdidit, qui aduerſus Eccleſiaſticam recalcitrauit traditionem, & in humanarum hæreſeum deſiluit opiniones.* Quod cum & tibi, Iacobe, contigerit, etiam tu *homo Dei & Domino fidelis eſſe perdidiſti, qui aduerſus Eccleſiaſticam recalcitras traditionem, & in humanarum hæreſeum deſiluiſti opiniones.* Quapropter velut Circeis *venenis infectus, beſtia ex homine*, hoc eſt, *tinea* factus es & blatta; diuini verbi non prædicator, ſed *populator*. Si ex *tinea*, rurſus homo cupis fieri, poſthac *non contradicas verbo veritatis vllo modo, & de mendacio ineruditionis tuæ confundere.*

Clem. Alex. lib. 7. ſtrom.

Eccli. 4.30.

F I N I S.

Omnia ad maiorem D E I *&* *Eccleſiæ* D E I *gloriam.*

VITTORIO EMANUELE BIBLIOTECA IN ROMA

Digitized by Google

INDEX CAPITVM
totius libri.

Caput. I. Tinea & Apoſtatæ ſimilitudo, atq; libri huius ſcopus. pag. 15.

II. Summa & ordo Diſputationis de rectâ Fidei normâ. p. 20.

III. Primum argumentum à diſſenſione explicantium trahẽtiumq; ſcripturas petitum, quàm athleticè eludere conetur Apoſtata? p. 21.

IV. Idem argumentum contra Hæreticorum normam itemq; Verſipellis Apoſtatæ reſponſio magis explicatur, ex reſponſione Meiſneri, ad quam Iacobus prouocauit. p. 26.

V. Alia Apoſtatæ ad primum argumentum extra rem data reſponſio examinatur: illa ſcilicet, quam dat de diſsimulatis à ſe argumentis, vt hoc ipſum argumentum diſsimulet. p. 30.

VI. Tranſitus Apoſtatæ, ſeu propoſitio ſecundi, vel, vt ipſe vocat, primi argumenti ab illis articulis, qui ex ſcripturâ clarè demonſtrari non poſſunt, petiti. p. 34.

VII. Poſsitne ex ſolâ ſcripturâ clarè & certò ſciri, quinam libri ſint Canonici? p. 37.

VIII. Bellarminúſne pudendam contradictionem, an Iacobus pudendam impoſturam crimenq; falſi commiſerit? & quo modo è ſcripturâ ſcripturæ diuinitas probetur? p. 45.

IX. Nóſne an Hæretici, in demonſtrandâ Fidei normâ, circulum committamus? p. 53.

X. Lutheranos Baptiſmum paruulorum ex ſolâ ſcripturâ probare non poſſe. Et ipſo Apennino maior Apoſtatæ circa hanc rem impoſtura. p. 66.

XI. Lutheranam Religionis normam etiam in eo deficere, quòd è ſolâ ſcripturâ demonſtrare non poſsint, An præceptum de abſtinentiâ à ſanguine & ſuffocato adhuc obliget? & cur feſtum Paſchatis tali die peragendum? p. 77.

XII. Argumentum tertium contra normam Lutheranorum, à ſcripturâ ipsâ multos articulos non exprimente hauſtum, quàm miſerè Apoſtatam ſtrangulet? vbi & de methodo Gonterianâ. p. 88.

XIII. Eos qui dicunt ſolam ſcripturam eſſe normam omnium dogmatum fidei, atq; è ſolâ ſcripturâ omnia probari vel improbari poſſe, teneri ad omnia in terminis indidem demonſtranda. Itidem methodum Gonterianam ſuâ firmitate conſiſtere. p. 92.

XIV. Recentium hæreticorum per conſequentias vanum effugium detegitur; recteq; eos ex ſuâ doctrinâ veterum hæreticorum Traditiones contemnentium exemplo, ad ſola ſcripturæ verba adigi oſtenditur. p. 99.

XV. Apo-

Digitized by Google

INDEX.

XV. *Apoſtata Apoſtolo abuſus, à conſequentijs ſuis ad ſolam ſcripturam relegatur.* p. 110.
XVI. *Quinq; Vltima Apoſtata reſponſa in mare Creticum miſſa, ſimulq; Genterius, Mocquetius, Ouuerus defenſi.* p. 117.
XVII. *Quartum generale argumentum, quo ex ipsâ ſcripturâ oſtenditur, ſcripturam non eſſe Iudicem controuerſiarum.* p. 123.
XVIII. *Scripturas quas Apoſtata pro ſe torquet, è diametro contra Apoſtatam eiusq; Iudicem militare.* p. 132.
XIX. *Apoſtata in nouo mendacio diſſimulationeq; eorum, quæ eum clarè Vrgebant, deprehenſus & reprehenſus.* p. 142.
XX. *De lo o S. Pauli pro Traditionibus, quàm ſit firmus, quámq; infirma & exoleta Apoſtata ad eum reſponſio?* p. 145.
XXI. *Quàm ineptè Apoſtata ex Iſaiâ & Paulo traditiones diuinas oppugnet?* p. 156.
XXII. *An certum ſit, cultum, quē Angelis Sanctisq; exhibemus, à S. Paulo perſtringi tanquam malam traditionem?* p. 165.
XXIII. *Proponitur Apoſtata & recentium Lutheranorum frigidum de claritate ſcripturarum reſponſum.* p. 175.
XXIV. *Ex Lutheri, aliorumq; quorundam Prædicantium mente totam ſcripturam eſſe clariſſimam, quod tamen Hunnius & Iacobus negant, poſtquam apertè conuictos priores animaduerterunt.* p. 180.
XXV. *Quàm ineptè nunc Prædicantes ſaltem fidei dogmata ab obſcuritate ſcripturarum eximant?* p. 186.
XXVI. *Cauſſæ, ob quas ſcriptura diuina obſcuritate inuoluuntur, an non etiam neceſſarijs competant?* p. 191.
XXVII. *An ex ſcripturis rectè probetur, ſcripturas etiam in neceſſarijs eſſe obſcuras?* p. 197.
XXVIII. *Ab Eccleſiâ, Vt ſcripturas, ita & ſcripturarum ſenſum abſolutè ſiue in neceſſarijs, ſiue non neceſſariis, immò expreſsè etiam in neceſſarijs eſſe accipiendum, teſtatur ratio & SS. Patres.* p. 205.
XXIX. *Quædam in ſpecie neceſſaria, & tamen nihilominùs obſcura in ſcripturis eſſe demonſtrantur.* p. 208
XXX. *An teſtimonia de ſcriptura perfectione præterierim, Vel ſtatum quæſtionis inuerterim?* p. 215.
XXXI. *Nihil eſſe contra ſcripturæ perfectionem, quòd non omne Verbum diuinum in ijs ſcriptum ſit. Et obiter errores nonnulli ab Apoſtatâ in reſpondendo commiſſi tanguntur.* p. 219.
XXXII. *Hæreticos, qui nos de imperfectione Verbi diuini accuſant, ipſos maximè imperfectum Verbum diuinum habere.* p. 227.
XXXIII. *Veſpertilio in mucronem ſponte incurrens, hoc eſt, Anonymus Ratiſponenſis Prædicantaſter, ſe & precationem Dominicam, ſacraq; ſcripturæ Verſionem, qualis à Lutheranis Vſurpatur, Vulneribus Vltrò offerens, per epiſtolam caſtigatus.* p. 230.
XXXIV. *Idem Hæreticus ad Lapidem Adiutorij eâdem epiſtolâ alliſus.* p. 237.
XXXV. *Apoſtata de neglectu ſcripturarum calumnia, quàm malè fulta? &*

 Delrius

Delrius ab illo contra illum productus. p. 240.
XXXVI. *Ieſuitas in ſcripturarum ſtudio, vel ipſo Apoſtatâ agnoſcente, longè diligentiores eſſe quam Prædicantes.* p. 244.
XXXVII. *Quæ, quamq; firma argumenta ex Magnatum Catholicorum circa ſcripturas diligentia contra hæreticos ducantur.* p. 252.
XXXIIX. *Quanta in Eccleſia Catholica ſacrarum ſcripturarum ſit reuerentia & cura?* p. 255.
XXXIX. *Eccleſiam & SS. Patres, etſi magna cura ſtatuerint, vt diuinarum litterarum ſtudia vigerent, rectè tamen ſtudia illa non omnibus eſſe vtilia cenſuiſſe.* p. 269.
XL. *An, & quibus, vel qua ratione Biblia à Catholicis prohibeantur.* 275.
XLI. *Quid & quantum hæretici ex lectione ſcripturarum proficiant?* p. 285.
XLII. *Etiam exemplo ipſius Apoſtatæ demonſtratur, quàm parum proſit hæreticis de ſcripturis tripudiare, quas ipſis ſuis tripudijs perditum eunt.* p. 302.

ERRATA SIC CORRIGANTVR.

pag. 39. v. 6. *diſtingure, diſtinguere.* pag. 43. v. 7. à fin. *celeritate, celebritate.* pag. 45. v. 5. Poſtilla: *Vel hæc traditio eſt Verbum Dei, vel non* : adde *Si non*: pag. 47. v. 11. 4. *IV.* pag. 56. v. 12. à fin. *quò quò, quoquò.* * pag. 105. In margine poſt *hæreticis*, adde, *non.* pag. 119. v. 12. *maxièm, maximè.* pag. 121. v. 12. *Ingoſtadij, Ingolſtadij.* pag. 166. v. 3 poſt *non eſt*; adde, *vllo ex his modis.* pag. 242. v. 16. à fin. *emuxti, emunxti.* pag. 274. v. 5. à fin. *copulis ſcopulis.* pag. 283. v. 8. *demòm, demùm.* pag. 287. v. 13. à fin. *demòm, demùm.* pag. 291. v. 3. *hiſtori, hiſtoria.* Cetera prudens Lector Typographo donabit.

* pag. 69. v. 5. à fin. poſt *Eccleſiæ* adde *probantem.*

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

9-3-2